



-10.

OFFICIA
SANCTORUM

IN ECCLESIA METROPOLITANA
CIVITATE AC DIOECESI FLORENTINA
RECITANDA

ILLUSTRISS. AC REVERENDISS. DOMINO


JOACHIM LIMBERTI

ARCHIEPISCOPO FLORENTINO


SS. D. N, PII IX. PRAEL. DOMEST.
ET S. R. J. PRINCIPI

DICATA

EDITIO QUARTA



FLORENTIÆ
FRIDERICUS BENCINI TYPOGRAPHUS
NOVITER IMPRESSIT PROPRIIS EXPENSIS
1858.



Illustriss. ac Reverendiss. Praesul

Cum suasu atque auxilio aliquorum Ecclesiae nostrae Metropolitanae sacerdotum, Officia Propria Sanctorum hujus Florentinae Dioecesis, meis typis recudenda mihi proposuerim, non tantum ut necessitati ecclesiasticorum occurrerem, qui frustra libellum flagitant jam tribus anteactis editionibus exhaustum, verum etiam ut novum hunc omnibus officiis recentioribus, singulis suo loco dispositis ditarem, et quantum patitur labor difficillimus, a mendis veterum impressionum expurgatum facerem; nullo sane feliciori auspicio arbitratus sum eundem posse in lucem edere, quam si Paternitati Tuae, qui Florentinam Ecclesiam tuo adhuc recenti auspicatissimo adventu tanta laetitia afficis, in mei tanquam filii obsequii et venerationis argumentum obtulissem; nam mihi visum est hoc et pietati tuae fore acceptissimum et clero universo, qui Te omnium quot sunt bonorum laude probatum, Antistitem suum jucundissime nuper excepit, et nunc, tuam sollicitudinem, comitatem, benignitatemque expertus, quasi parentem optimum reveretur et diligit.

Si indulgenter faventibusque oculis parvum (quoad mea interest) munus aspexeris, me gratia vel maxima cumulatum satisfactumque abunde credam laboris quem operi explendo majori qua potui diligentia contuli.

Ad Tuos interim provolutus pedes, Pastoralem Benedictionem exposco, meque reverenter subscribo

Paternitatis Tuae Illustriss. ac Reverendiss.

Humill. obed. servum

Fridericum Bencini

OFFICIA PROPRIA

SANCTORUM

DIE XXVII NOVEMBRIS.

In Festo B. LEONARDI A PORTU MAURITIO *Confess.*
Duplex
Omnia de Communi Confess. non Pontif. praeter ea quae sequuntur. Méruit suprémos.

ORATIO

Deus, qui Beátum Leonárdum Confessórem tuum Evangélicae praedicatiónis, et singuláris poeniténtiae grátia decorásti: concéde propítius, ut ejus inhaeréntes mónitis, et exémpla sectántes, praemia consequámur aetérna. Per Dóminum nostrum.

In I. Noct. Lectiones de Script. occurr.

In II. Nocturno.

Lectio IV.

Beátus Leonárdus a Portu Maurítio in ora Ligústica Itáliae piis paréntibus natus, étiam a prima puerítia mirífica quadam propensióne ad pietátem porténdit indícia futúrae sanctitátis. Quae multo clarióra deínde ejus in adolescéntia eluxérunt, cum Romam proféctus in Collégio Románo stúdiis litterárum, ac Philosophíae óperam dedit. Ita enim in illa Scholárum celebritáte est versátus, ut dum ingénii exercitatióne némini concéderet, innocéntia morum, austeritáte vitae, contémptu sui, stúdio rerum divinárum omnes antecéderet, ádeo ut eo adolescénte alter Aloysius Gonzága Collégio illi rédditus viderétur. His pósitis pietátis fundaméntis, ad consummándum sanctitátis opus, quod aedificáre coeperat inter sodáles Caravitános adléctus, dum de more illíus sodalítii totus esset in navánda ópera Apostólicis Urbis concionatóribus, captus Apostolátus sanctitáte, nihil magis in votis habére coepit, quam se totum proximórum salúti dedicáre. Ad quod vitae genus quo facílius formarétur, terrénis ómnibus abdicátis in famíliam Fratrum Minórum Reformatórum institúti rigidióris ingréssus est.

Hic quámdiu vixit numquam a summa sanctitáte est visus abésse. Admiránda in doméSticis légibus servàndis vigiléntia, singuláre orationis stúdium exímius in Jesum atque in Deíparam amor, assidua in affliclándo córpore acérbitas, ardens in próximos cháritas, summa in omni virtútum laude, ánimi demíssio eum absolútum sanctitátis exémplar constituébant.

℟. Honéstum etc.

Lectio V.

Ex hac virtútis schola, suscépto Sacerdótio, atque Theológicis stúdiis ad praedicatiónem formátus, urgénte in próximos charitáte, tamquam e cárcere ad cursum ad lucrándas ánimas egrèssus, tanta contentióne Apostolátum suscépit, ut conátibus impar ejéctu sánguinis Apostólicis labóribus in ipso praedicatiónis exórsu abstinére ei fúerit necésse. Hoc ex morbo quinto post anno Deíparae ope relevátus ad prístinam contentiónem ita se renovávit, ut prodígii loco haberétur, in corpúsculo àdeo graviter affécto, inédia, vigíliis, maceratiónibus semper extenuáto tantam inésse firmitátem. Hoc in vitae génere nunquam nec perículis detérritus, nec labóribus defatigátus annos quátuor supra quadragìnta persevérávit. Quanta cum animárum utilitáte declárant Itáliae regiónes admirábili ejus dicéndi vi, qua vel obstinatíssimos quosque pervincébat, ad Religiónis stúdium revocátae, ac Urbs Roma praecípue, quae conciónibus ejus, ad quas étiam Benedíctus decimusquartus intérfuit, ádeo ad virtútem exársit, ut fructus adhuc perénnet admirándi illíus Apostolátus. Nec vero dum exterórum salúti consulébat, suos obliviscebátur. Nam benefício Cosmae tértii in solitúdine Etrúriae comparáta ea domo, in quam ipse sese a praedicatióne recípere ad S. Ignátii exercítia solébat, auctor fuit iis, qui árctius Deo adhaerére vellent, ut eo secéderent, ibíque juxta leges ab ipso cónditas, et a Cleménte undécimo probátas, secréti a pópulo asperióri vitae génere uteréntur.

℟. Amávit eum.

Lectio VI.

Idem plura sodalítia Urbis excóluit, atque illud praecìpue Sanctíssimi Cordis Jesu, quod est in Sancti Theodóri templo, in iísque multa instítuit, quibus in Christum atque in Deíparam honor mirífice est auctus. Horum dulcìssima nòmina in ore habébat semper, et tamquam praesídia certa salútis pro fóribus domórum palam proponénda curábat. Passiónis Domínicae meditándae stúdium propagávit sacéllis in

Amphiteátro Flávio aedificátis, ad quae cruciátus Christi Crucem ad Calvárium bajulántis recoleréntur. Ab eo étiam perpétua Sacraménti Eucharístici adorátio praecípuis in Itáliae Urbibus est constitúta. His ígitur aliísque admirándis virtútum méritis matúrus coelo, postquam et prophetíae dono, et miraculórum virtúte Deus sanctitátem Servi sui confirmásset, cum tempus appropinquáret retributiónis, ut Benedícto decimoquárto fidem praestáret, cui núspiam nisi Romae se moritúrum promíserat, ex praedicatióne Bononiénsi, ad quam ab eódem fúerat missus, in Urbem revérsus, labóribus fractus morbo tentári coepit, quo cum defíceret, Ecclésiae Sacris, et benedictióne ipsíus Pontíficis rite expiátus, qui ad eum decumbéntem statim deférri vóluit postquam postréma salútis mónita frátribus suis dedísset, anno aetátis suae quinto et septuagésimo, sanctíssime obdormívit in Dómino, die vigésima quinta Novémbris in Coenóbio S. Bonaventúrae, ubi nunc ejus corpus cólitur; eíque Pius sextus qui vivéntem magno honóre habúerat, absolúto prius rite de virtútibus ac miráculis Servi Dei judício, anno ab ejus óbitu quadragésimo quinto Beatórum honóres officium et missam decrévit.

℟. Iste homo.

In III. Noct. Lectiones de Communi Conf. non Pont. 1. loc.

DIE IV. DECEMBRIS.

In Festo S. BERNARDI *Conf. Flor. et Ep. Parm.* Duplex.

ORATIO.

Deus mundi Creátor, et rector, qui hodiérna die Beátum Bernárdum Pontíficem ad caeléstis regni glóriam transtulísti: da nobis,quaesumus,fámulis tuis; ut qui ejus celebrámus festivitátem, salútem consequámur et pacem. Per Dóminum nostrum etc.

In I. Noct. Lect. de Script. occurr.

In II. Noct. Lect. IV.

Bernárdus Floréntiae claris natálibus ortus, cum patris defúncti opulentíssimam haereditátem ingréssus esset, adoléscens mundi delícias fastidíre coeperat, solidióres ánimi voluptátes exquírens: Unde dum se sopóri dat, per visum offértur illi vestis monástica a venerabili viro; quam cum a princípio Bernárdus accípere renuísset, mox pro Christi amóre se receptúrum pollícitus est. Cujus sponsiónis memória sollicítior efféctus, beatíssimam Vírginem rogáre coepit, ut quod sibi

hac in re faciéndum esset, inspiráret. Célebris eo témpore erat fama sanctitátis Monachórum Vallisumbrósae, quos beátus Ioánnes Gualbértus sub sanctíssimae Vírginis patrocínio páulo ante institúerat, ad quorum Abbátem declínans Bernárdus, Religiónis ingréssum humíliter expostulávit.

℟. Invéni etc.

Lectio V.

Plantátus ítaque in vínea Dómini exténdit pálmites bonórum óperum, ádeo ut, defúncto illìus loci Abbáte, Abbas ipse suffèctus sit: índeque ad universále Vallisumbrosánae Religiónis régimen fuit promótus. Quem póstea, mórtuo venerábili Petro Cardináli ex Vallisumbrósae Ordine (quem sancta Ecclésia ob tránsitum per ignem Igneum appellavit) Urbánus secúndus ob egrégias ánimi virtútes et exploratíssimam sanctitátem, invítum licet et eníxe reluctántem, ad Cardinalátum assúmpsit, ejúsque ópera contra Henrícum Imperatórem schismáticum ipse et Paschális succéssor saepíssime usi sunt. Bernárdum máxime cóluit Mathíldis Comitíssa óptima foemina, cujus cura públicum donatiónis instruméntum ipsa venerábilis Comitíssa bonórum, tam quae in Itália, quam quae ultra Alpes possidébat, Sedi Apostólicae instaurávit. Ea hortánte, et Parménsi pópulo efflagitánte, Parmae, quo ad compéndos Schismaticórum motus se contúlerat, Epíscopus consecrátur, perpéssis ante in ea civitáte quamplúrimis aerúmnis. Nam die Assumptiónis Sanctae Dei Genitrícis, dum cantáto Evangélio conciónem ad pópulum habéret, et haerétici Imperatóris mores aliquántulum perstrinxísset, commóta plebs schismática sanctum virum Missam celebrántem rápuit ad cárcerem: quibus statim Bernárdus ignóvit, illísqne véniam et a Mathílde, quae propter éorum scelus exercitum coégerat, et a Pontífice impetrávit.

℟. Pósui etc.

Lectio VI.

Pacem Itáliae, cujus Legátus erat, restítuit, hóstibus Ecclésiae perdómitis. Dimicántes Parmensium ácies, armis et número hóstibus inferióres, fusis ad Deum précibus, ad victóriam praemunívit. Horríbilem Padi alluviónem, cuncta in agro Parménsi devastántem advéntu suo, solo Crucis signo compréssit. Moribúndo Mónacho vitae tempus protráxit, quoúsque negótiis, quae prae mánibus versabántur, expedítis, Pontificalem illi benedictiónem elargirétur. Demum activae vi-

tae áctibus, non minus pro Ecclésiae Dei dignitáte tuénda suíque gregis salúte, et Vallisumbrósae Religiónis exaltatióne, quam contemplatívae, sacrae nimírum Scriptúrae stúdio et oratiónibus, ad beátam Vírginem praesértim, quam Sancti Patris Joánnis Gualbérti exémplo Patrónam adscíverat, conspícuus, in coelum evolávit anno millésimo centésimo trigésimo tértio, prídie nonas Decémbris. Ejus corpus Parmae in Ecclésia Cathedráli asservátur.

℟. Iste est etc.

In III. Noct. Homil. in Ev. Homo perégre, *de Commun. Conf. Pont.* 1. *loco.*

DIE V. DECEMBRIS

Ass. heri

In festo S. PETRI CHRYSOLOGI *Ep. C. et D.* Duplex.

Omnia de Communi Conf. Pont. praeter ea, quae hic habentur propria.

AD VESPERAS

In Hymn. dicitur Méruit suprémos etc.

Ad Magnif. Ant. O Doctor óptime, Ecclésiae sanctae lumen, beáte Petre Chrysóloge, divínae legis amátor, deprecáre pro nobis Fílium Dei.

ORATIO.

Deus qui beátum Petrum Chrysólogum, Doctórem egrégium, divínitus praemonstrátum, ad regéndam et instruéndam Ecclésiam tuam éligi voluísti: praesta quaesumus, ut quem Doctórem vitae habuímus in terris, intercessórem habére mereámur in coelis. Per Dóminum etc.

Deinde fit com. S. Bernardi, Fer. et S. Sabbae Ab. ℣. *Lex Dei.*

In 1. *Noct. Lect. de Commun. Conf. Pont.* 1. *loc.* Fidélis Sermo.

In II. Noct. Lectio IV.

Petrus, qui ob áuream ejus eloquéntiam Chrysólogi cognómen adéptus est, Foro Cornélii in Æmília honéstis paréntibus natus, a prima aetáte ánimum ad Religiónem adjíciens, Cornélio Románo, tunc ejúsdem urbis Corneliénsis Epíscopo, óperam dedit; a quo étiam (sciéntia, et vitae sanctitáte cum brevi profecísset) Diáconus creátus est. Postmodum cóntigit, ut Ravennátes ob mortem Archipraesulis sui álium (ut moris erat) ab eis eléctum Romam ad sanctum Xystum Papam tértium pro confirmatióne míserint, una cum Legátis suis, et cum praedícto Cornélio, qui eúmdem Levítam secum perdúxit. Interim

sanctus Petrus Apóstolus, et Martyr Apollináris Summo Pontífici in somnis apparuérunt, mediúmque habéntes hunc júvenem, jussérunt ut illum, et non álium, in Archiepíscopum Ravénnae creáret. Hinc Póntifex, mox ut vidit Petrum, cognóvit eum a Dómino Deo praeeléctum, proptérea, rejécto illo, quem ipsi offerébant, hunc solum anno Christi quadringentésimo trigésimo tértio illi Metropolitánae praefécit Ecclésiae. Quod cum Legáti Ravennaténses aegre ferrent, audíta visióne, divínae voluntáti libénter acquiescéntes, novum Archiepíscopum máxima cum reveréntia suscepérunt.

℟. Invéni David etc.

Lectio V.

Petrus ígitur, licet invítus, in Archipraesulem consecrátus Ravénnam dedúcitur: ubi a Valentiniáno Imperatóre, et a Galla Placídia ejus matre, ac ab univérso pópulo máxima laetítia excéptus est. Et ille ab eis id unum pétere dixit, ut, quando tantum óneris pro ipsórum salúte subíre non recusávit, studérent ipsi mónitis suis obtemperáre, divinísque praecéptis non obsístere. Duórum Sanctórum tunc ibi defunctórum córpora óptimis unguéntis condíta sepelívit, Barbatiáni vidélicet Presbyteri, et Germáni Antisiodorénsis Epíscopi, cujus étiam cucúllam, et cilícium sibi vindicávit in haereditátem. Projéctum, et Marcellínum in Epíscopos ordinávit. In Classe fontem extrúxit magnitúdinis vere admirábilis, et templa quaedam magnífica aedificávit tum beáto Andréae Apóstolo, tum áliis Sanctis. Ludos ab homínibus personátis cum váriis saltatiónibus Kaléndis Januárii fíeri sólitos concióne cohíbuit acérrima; ubi inter ália illud praecláre dixit: Qui jocári volúerit cum diábolo, non póterit gaudére cum Christo. Jussu Sancti Leónis Papae primi scripsit póstea ad Chalcedonénse Concílium advérsus haeresim Eutychétis. Respóndit praetérea ad Eútychen ipsum et alia epístola quae eídem Concílio in novis editiónibus praefíxa, et in Annáles Ecclesiásticos reláta fuit.

℟. Pósui adjutórium etc.

Lectio VI.

Dum públice sermónes habéret ad pópulum ádeo véhemens erat in dicéndo, ut prae nímio ardóre vox illi intérdum defécerit, sicut cóntigit in concióne mulíeris haemorrhoíssae. Unde Ravennátes commóti tot lácrymis, clamóribus, et orationibus locum replevérunt, ut póstea


ipse grátias ágeret Deo, quod in lucrum amóris vérterit damnum ejúsdem sermónis. Cum tandem annos círciter decem et octo eam Ecclésiam sanctíssime rexísset, labórum suórum finem adésse divínitus praenóscens, in pátriam se cóntulit, ubi Sancti Cassiáni templum ingréssus, magnum diadéma áureum gemmis distinctum pretiosíssimis ófferens, super altáre majus posuit, nec non áureum cratérem, et paténam argénteam, quam tum rábidi canis morsus, tum febres sanáre saepius expértum est, aqua inde demíssa. Ex tunc Ravennátes qui eúmdem secúti fúerant, dimísit, ádmonens, ut in eligéndo óptimo Pastóre invigilárent atténte. Mox Deum humíliter precátus, et Sanctum Cassiánum Patrónum, ut benígne ánimam ejus excíperet, tértio nonas Decémbris plácide ex hac vita migravit, anno Dómini círciter quadringentésimo quinquagésimo. Sacrum illíus corpus, commúni totíus civitátis fletu, ac pietáte, prope corpus ejúsdem Sancti Cassiáni honorífice cónditum, nostris étiam tempóribus religióse cólitur; cujus tamen bráchium, áuro et gemmis ornátum, Ravénnam delátum in Ursiána Æde venerator.

℟. Iste est etc.

In III. Noct. legitur Homil. in Evang. Vos estis sal terrae, *de Commun. Doctor.* 8. ℟. In médio Ecclésiae apéruit etc.

In Laud. fit comm. Fer. Advent. et S. Sabbae ℣. *Amavit In ij. Vesp. a capit. fit de seq. com. praeced. Ant.* O Doctor *et fer.*





DIE VIII. DECEMBRIS

IN FESTO

IMMACULATÆ CONCEPTIONIS

BEATAE MARIAE VIRGINIS

DUPLEX SECUNDÆ CLASS. CUM OCTAVA



Ad Vesp. Ant. Sicut lílium, *cum reliq. de Laud.*

Psal. ut in Officio parvo.

Capitulum.

Prov. 8.

Dóminus possédit me in inítio viárum suárum, ántequam quidquam fáceret a princípio. Ab aetérno ordináta sum, et ex antíquis ántequam terra fíeret. Nondum erant abyssi, et ego jam concépta eram.

Hymn. Ave Maris Stella. *ut in Brev.*

℣. Immaculáta Concéptio est hódie Sanctae Maríae Vírginis.

℟. Cujus vita ínclyta cunctas illústrat Ecclésias.

Ad Magnificat.

Ant. Beáta Dei génitrix María Virgo perpétua, templum Dómini, Sacrárium Spiritus Sancti, sola sine exémplo placuísti Dómino nostro Jesu Christo. Allelúja.

Oratio.

Deus qui per immaculátam Vírginis Conceptiónem dignum Fílio tuo habitáculum praeparásti; ejus nobis intercessióne concéde, ut cor et corpus nostrum immaculátum Tibi, qui eam ab omni labe praeservásti, fidéliter custodiámus. Per eúmdem Dóminum nostrum etc.

AD MATUTINUM

Invitatorium.

Immaculátam Conceptiónem Vírginis Maríae celebrémus:

* Christum ejus Filium adorémus Dóminum.

Psal. Veníte exultémus.

Hymn. Quem terra, pontus, sidera, *ut in Brev.*

IN I. NOCTURNO

Ant. Multae fíliae congregavérunt divítias, tu supergréssa es univérsas.

Psal. ut in Offic. parvo.

Ant. Manus Dómini confortávit te, et ídeo eris benedícta in aetérnum.

Ant. Noli metúere, non moriéris: non enim pro te, sed pro ómnibus haec lex constitúta est.

℣. Deus praecínxit me virtúte.

℟. Et pósuit immaculátam viam meam.

Lectio I.

De Libro Ecclesiástici. *Cap.* 24.

Ego ex ore Altíssimi prodívi primogénita ante omnem creatúram. Ego feci in coelis ut orirétur lumen indefíciens, et sicut nébula texi omnem terram. Ego in altíssimis habitávi, et thronus meus in colúmna nubis. Gyrum coeli circuívi sola, et profúndum abyssi penetrávi: in flúctibus maris ambulávi, et in omni terra steti, et in omni pópulo, et in omni gente primátum hábui: et ómnium excelléntium, et humílium corda virtúte calcávi: et in his ómnibus réquiem quaesívi, et in haereditáte Dómini morábor. Tunc praecépit, et dixit mihi Creátor ómnium: et qui creávit me requiévit in tabernáculo meo, et dixit mihi: In Jacob inhábita, et in Israel haereditáre et in eléctis meis mitte radíces.

℟. Quae est ista quae ascéndit sicut auróra consurgens, * Pulchra ut luna, elécta ut sol?

℣. Quasi arcus refúlgens inter nébulas, et quasi flos rosárum in diébus vernis. Pulchra ut luna.

Lectio II.

Ab inítio et ante saecula creáta sum, et usque ad futúrum saeculum non désinam, et in habitatióne sancta coram ipso ministrávi. Et sic in Sion firmáta sum, et in civitáte sanctificáta simíliter requiévi, et in Jerúsalem potéstas mea. Et radicávi in pópulo honorificáto, et in parte Dei mei haeréditas illíus, et in plenitúdine sanctórum deténtio mea. Quasi cedrus exaltáta sum in Líbano, et quasi cypréssus in monte Sion. Quasi palma exaltáta sum in

Cades, et quasi plantátio rosae in Jéricho. Quasi olíva speciósa in campis, et quasi plátanus exaltáta sum juxta aquam in platéis. Sicut cinnamómum et bálsamum aromatízans odórem dedi: quasi myrrha elécta dedi suavitátem odoris: et quasi storax, et gálbanus, et úngula, et gutta, et quasi Líbanus non incísus vaporávi habitatiónem meam, et quasi bálsamum non mistum odor meus.

℟. Vidi speciósam sicut colúmbam ascendéntem désuper rivos aquárum, * Cujus inestimábilis odor erat nimis in vestiméntis ejus.

℣. Quae est ista quae ascéndit de desérto delíciis affluens, innixa super diléctum suum? Cujus.

Lectio III.

Ego quasi terebínthus exténdi ramos meos, et rami mei honóris et grátiae. Ego quasi vitis fructificávi suavitátem odóris: et flores mei fructus honóris et honestátis. Ego mater pulchrae dilectiónis, et timóris, et agnitiónis, et sanctae spei. In me grátia omnis viae, et veritátis: in me omnis spes vitae et virtútis. Transíte ad me omnes qui concupíscitis me, et a generatiónibus meis impléminí. Spiritus enim meus super mel dulcis, et haeréditas mea super mel et favum. Memória mea in generatiónes saeculórum. Qui edunt me, adhuc esúrient: et qui bibunt me, adhuc sítient. Qui áudit me non confundétur: et qui operántur in me, non peccábunt. Qui elúcidant me, vitam aetérnam habébunt.

℟. Congratulámini mihi omnes qui diligitis Dóminum * Quia cum essem párvula plácui Altíssimo.

℣. Fecit mihi magna qui potens est, et sanctum nomen ejus. Quia.

Glória Patri. Quia.

IN II. NOCTURNO

Ant. Erípuit me de inimícis meis fortíssimis, et factus est Dóminus protéctor meus.

Ant. Sanctificávit tabernáculum suum Altíssimus.

Ant. Fundátur mons Sion exultatióne univérsae terrae, látera aquilónis, cívitas Regis magni.

℣. In hoc cognóvi quóniam voluísti me.

℟. Quóniam non gaudébit inimícus meus super me.

Lectio IV.

Ex libro S. Ambrósii Epísc. de Virgínibus.

Lib. 2. sub init.

Sit vobis tamquam in imágine descrípta virgínitas ví-

taque beátae Maríae: de qua velut in spéculo refúlget spécies castitátis, et forma virtútis. Hinc sumátis licet exémpla vivéndi: ubi tamquam in exemplári magistéria expréssa probitátis, quid corrígere, quid effúgere, quid tenére debeátis, osténdunt. Primus discéndi ardor, nobílitas est magístri. Quid nobílius Dei matre? Quid splendídius ea, quam splendor elégit? Quid cástius ea, quae corpus sine córporis contagióne generávit?

℟. Fundaménta ejus in móntibus sanctis: * Díligit Dóminus portas Sion super ómnia tabernácula Jacob.

℣. Gloriósa dicta sunt de te cívitas Dei. Díligit.

Lectio V.

Nam de céteris ejus virtútibus quid loquar? Virgo erat non solum córpore, sed étiam mente, quae nullo doli ámbitu sincérum adulteráret afféctum. Corde húmilis, verbis gravis, ánimi prudens, loquéndi párcior, legéndi studiósior, non in incerto divitiárum, sed in prece páuperis spem repónens, inténta óperi, verecúnda sermóne, árbitrum mentis sólita non hóminem, sed Deum quaerere: nullum laedere, bene velle ómnibus, assúrgere majoribus natu, aequálibus non invidére, fúgere jactántiam, ratiónem sequi, amáre virtútem.

℟. Nihil inquinátum in eam incúrrit: * Candor est lucis aetérnae, spéculum sine mácula.

℣. Hortus conclúsus soror mea sponsa, hortus conclúsus, fons signátus. Candor.

Lectio VI.

Quando ista vel vultu laesit paréntes? quando dissénsit a propínquis? quando fastidívit húmilem? quando derísit débilem? quando vitávit ínopem? Eos solos sólita coetus virórum invísere, quos misericórdia non erubésceret, neque praeteríret verecúndia. Nihil torvum in óculis, nihil in verbis procax, nihil in actu inverecúndum. Non gestus fráctior, non incéssus solútior, non vox petulántior: ut ipsa córporis spécies simulácrum fúerit mentis, figúra probitátis.

℟. Beátam me dicent omnes generatiónes: * Quia ancíllam húmilem respéxit Deus.

℣. Ornátam monílibus fíliam Jérúsalem Dóminus concupívit. Quia.

Glória Patri. Quia.

IN III. NOCTURNO

Ant. Ave grátia plena: Dóminus tecum.

Ant. Veníte et vidéte, et narrábo quanta fecit Deus ánimae meae.

Ant. A dextris est mihi Dóminus ne commóvear: propter hoc dilatátum est cor meum.

℣. Elégit eam Deus et praeelégit eam.

℟. In tabernáculo suo habitáre facit eam.

Lectio VII.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthaeum.

Cap. 1.

Liber generatiónis Jesu Christi fílii David, fílii Abraham. Abraham génuit Isaac. Isaac autem génuit Jacob. Et réliqua.

Homilía sancti Augustíni Epíscopi.

L. II. de Cons. Ev. c. 1.

Matthaeus Evangelísta sic orsus est: Liber generatiónis Jesu Christi fílii David, fílii Abraham. Quo exórdio suo satis osténdit generatiónem Christi secúndum carnem se suscepísse narrándam. Secúndum hanc enim Christus fílius hóminis est: quod étiam se ipse saepíssime appéllat, comméndans nobis quid misericórditer dignátus sit esse pro nobis. Nam illa superna et aetérna generátio, secúndum quam Fílius Dei unigénitus est ante omnem creatúram, quia ómnia per ipsum facta sunt, ita ineffábilis est, ut de illa dictum a Prophéta intelligátur: Generatiónem ejus quis enarrábit?

℟. Signum magnum appáruit in caelo, Múlier amícta sole, et luna sub pédibus ejus, * Et in cápite ejus coróna stellárum duódecim.

℣. Fília Sion tota formósa et suávis est. Et in cápite.

Lectio VIII.

Exéquitur ergo humánam generatiónem Christi Matthaeus, ab Abraham generatóres commémorans, quos perdúcit ad Joseph virum Maríae, de qua natus est Jesus. Neque enim fas erat, ut ob hoc eum a conjúgio Maríae separándum putáret, quod non ex ejus concúbitu, sed virgo péperit Christum. Hoc enim exémplo magnífice insinuátur fidélibus conjugátis, étiam serváta pari consénsu continéntia, posse permanére vocaríque conjúgium, non permíxto córporis sexu, sed custodíto mentis afféctu: praesértim quia nasci eis étiam fílius pótuit sine ullo compléxu carnáli, qui propter solos gignéndos fílios adhibéndus est.

℟. Benedíxit te Dóminus in

virtúte sua, * Quia per te ad níhilum redégit inimícos nostros.

℣. Hódie nomen tuum ita magnificávit Dóminus, ut non recédat laus tua de ore hóminum. Quia.

Glória Patri. Quia.

Lectio IX.

Cap. 2.

Cum autem evidénter dicat Apóstolus Paulus, ex sémine David secúndum carnem Christum: ipsam quoque Maríam de stirpe David áliquam consanguinitátem duxísse, dubitáre útique non debémus. Cujus féminae, quóniam nec sacerdotále genus tacétur, insinuánte Luca, quod cognáta ejus esset Elísabeth, quam dicit de filiábus Aaron: firmíssime tenéndum est, carnem Christi ex utróque génere propagátam, et regum scílicet, et sacerdótum, in quibus persónis apud illum pópulum Hebraeórum étiam mystica únctio figurabátur, idest chrisma unde Christi nomen elúcet, tanto ante étiam ista evidentíssima significatióne praenuntiátum.

AD LAUDES

ET PER HORAS.

Ant. Sicut lílium inter spinas, sic amíca mea inter fílias.

Ant. Diléctus meus mihi, et ego illi, qui páscitur inter lília.

Ant. Tota pulchra es, amíca mea, et mácula non est in te.

Ant. Benedícta es tu, fília, a Dómino Deo excelso prae ómnibus muliéribus super terram.

Ant. Tu glória Jerúsalem, tu laetítia Israel, tu honorificéntia pópuli nostri.

Capitulum

Prov. 8.

Dóminus possédit me in inítio viárum suárum, ántequam quidquam fáceret a principio. Ab aetérno ordináta sum, et ex antíquis ántequam terra fíeret. Nondum erant abyssi, et ego jam concépta eram.

Hymn. O glorićsa Vírginum.

℣. Immaculáta Concéptio est hódie Sanctae Maríae Vírginis.

℟. Cujus vita ínclyta cunctas illústrat Ecclésias.

Ad Benedictus

Ant. Ait Dóminus Deus ad serpéntem: Inimicítias ponam inter te et mulíerem, et semen tuum et semen illíus:

ipsa cónteret caput tuum. Allelúia.

Oratio. Deus qui per immaculátam. *ut supra.*

Ad Primam.

In ℟. *br. dicatur:* Qui natus es de María Vírgine.

Ad Tertiam.

Ant. Diléctus meus.

Capitulum ut in Laud.

℟. *br.* Deus * praecínxit me virtúte. Deus.
℣. Et pósuit immaculátam viam meam. Praecínxit Glória Patri. Deus.
℣. In hoc cognóvi quóniam voluísti me.
℟. Quóniam non gaudébit inimícus meus super me.

Ad Sextam.

Ant. Tota pulchra es.

Capitulum.

Ezech. 44.
Porta haec cláusa erit, non aperiétur, et vir non intrábit per eam, quóniam Dóminus Deus Israel ingréssus est per eam: erítque cláusa Princípi. Princeps ipse sedébit in ea.
℟. *br.* In hoc cognóvi. * Quóniam voluísti me. In hoc.
℣. Quóniam non gaudébit inimícus meus super me. Quóniam. Glória Patri. In hoc.
℣. Elégit eam Deus et praeelégit eam.
℟. In tabernáculo suo habitáre facit eam.

Ad Nonam.

Ant. Tu glória.

Capitulum.

Prov. 8.
Beátus homo qui áudit me, et qui vígilat ad fores meas quotídie, et obsérvat ad postes óstii mei. Qui me invénerit, invéniet vitam, et háuriet salútem a Dómino.
℟. *br.* Elégit eam Deus * et praeelégit eam. Elégit.
℣. In tabernáculo suo habitáre facit eam. Et praeelégit. Glória Patri. Elégit.
℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis.
℟. Proptérea benedíxit te Deus in aetérnum.

IN II. VESPERIS.

Omnia ut in primis, praeter Ant. ad Magnif.

Ant. Concéptio tua Dei génitrix Virgo, gáudium annuntiávit univérso mundo: ex te enim ortus est sol justítiae

Christus Deus noster, qui solvens maledictiónem dedit benedictiónem; et confúndens mortem, donávit nobis vitam sempitérnam. Allelúja.

DIE IX. DECEMBRIS

Secunda die infra Oct. semid.
Omnia ut in Festo.

In I. Noct. LL. de Script.

IN II. NOCTURNO.

Lectio IV.

Sermo S. Epiphánii Episc.

Or. de laud. S. M. Deip. Quid dicam? et quid próloquar? Quo pacto beátam praedicábo glóriae radícem? Solo enim Deo excépto, cunctis supérior exístit; natúra formósior est ipsis Chérubim, Séraphim, et omni exércitu angélico: cui praedicándae caeléstis ac terréna lingua mínime súfficit, imo vero nec Angelórum. Étenim ipsi quidem hymnum, láudem, honórem protulérunt. Laetabántur vero Angeli, tamquam ipsi dumtáxat Deum habérent; quibus sanctíssima Virgo supérior facta, Deum habitántem in caelis concépit in terra, ut hac ratióne exércitus Angelórum tráheret in terram, et versarétur cum homínibus. Ipsa enim est caeli et terrae mediátrix, quae uniónem naturáliter perégit.

Lectio V.

O Beáta Virgo, colúmba pura et sponsa caeléstis María, caelum, templum et thronus Divinitátis, quae coruscántem in caelo et in terra solem habes Christum: nubes lúcida, quae fulgur de caelo lucidíssimum ad illuminándum mundum deduxísti Christum. Nubes caéléstis, quae tonítruum Spíritus Sancti in se ipsa recónditum dedúxit in mundum, et imbrem Spíritus Sancti in univérsam terram, ad producéndum fídei fructum, cum ímpetu demísit, Ave grátia plena, porta caelórum, de qua Prophéta vaticinátus est his verbis: Ecce porta cláusa, et nullus ingrediétur per eam, nec egrediétur, praetérquam Dóminus Deus solus: et erit porta cláusa duci, quia dux ipse vocábitur, et in ipsum sperábunt omnes gentes. De hac porta étiam in Cánticis Prophéta in decúrsu oratiónis plane et apérte prolóquitur inclámans: Hortus conclúsus soror mea sponsa, hortus conclúsus, fons signátus.

Lectio VI.

Angeli accusábant Evam, nunc vero Maríam glória prosequúntur, quae mulíerum infirmitátem vere gloriósam réddidit; quae lapsam Evam eréxit, et Adámum e paradíso dejéctum in caelos misit; quae paradísum cláusum apéruit, et per latrónem rursum Adámum complantávit. Per te enim, o Virgo, médius obstructiónis páries inimicítias dissólvit; per te pax caeléstis donáta est mundo; per te hómines facti sunt Angeli; per te hómines appelláti sunt amíci, servi, et filii Dei; per te hómines meruérunt esse consérvi Angelórum, et cum eis familiáriter conversári; per te notítia caeléstis a terra trasmíttitur in caelos; per te hómines fidúciam habent in caelo erga Altíssimum; per te Crux resplénduit per univérsam terram, in qua quidem cruce pepéndit filius tuus Christus Deus noster; per te mors concúlcátur, et spoliátur inférnus.

IN III. NOCTURNO

Lectio VII.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthaeum.

Cap. 1.

Liber generatiónis Jesu Christi filii David, filii Abraham. Abraham génuit Isaac, Isaac autem génuit Jacob. Et reliqua.

Homilía sancti Hierónymi Presbyteri.

Lib. 1. com. in Mat. in init.

In Isaía légimus: Generatiónem ejus quis enarrábit? Non ergo putémus evangelístam prophétae esse contrárium; ut quod ille impossíbile dixit effátu, hic narráre incípiat: quia ibi de generatióne divinitátis, hic de incarnatióne est dictum. A carnálibus áutem coepit, ut per hóminem Deum díscere incipiámus. Fílii David, Filii Abraham. Ordo praepósterus, sed necessário commutátus. Si enim primum posuísset Abraham, et póstea David, rursus ei repeténdus fúerat Abraham, ut generatiónis séries texerétur.

Lectio VIII.

Ideo áutem céteris praetermíssis, horum filium nuncupávit, quia ad hos tantum facta est de Christo repromíssio. Ad Abraham: In sèmine, inquit, tuo benedicéntur omnes gentes: quod est Christus. Ad David: De fructu ventris tui ponam super sedem tuam. Judas autem génuit Phares et Zaram de Thamar. Notándum, in genealogía Salvatoris nullam sanctárum assúmi mulíerum, sed

eas, quas Scriptúra reprehéndit: ut qui propter peccatóres vénerat, de peccatóribus nascens, ómnium peccáta deléret. Unde et in consequéntibus Ruth Moabítis pónitur, et Bethsabée uxor Uríae.

Lectio IX.

Jacob áutem génuit Joseph. Hunc locum obiécit nobis Juliánus Augústus de dissonántia Evangelistárum, cur Evangelista Matthaeus Joseph díxerit filium Jacob, et Lucas eum filium appellárit Heli: non intélligens consuetúdinem Scripturárum, quod alter secúndum natúram, alter secúndum legem ei pater sit. Scimus enim hoc per Móysen, Deo jubénte, praecéptum, ut si frater aut propínquus absque líberis mórtuus fúerit, álius accípiat uxórem ad suscitándum semen fratris, vel propínqui sui. Joseph virum Maríae. Cum virum audíeris, suspicio tibi non súbeat nuptiárum: sed recordáre consuetúdinis Scripturárum, quod sponsi viri, et sponsae vocéntur uxores.

Te Deum laudámus.

DIE X DECEMBRIS

In Festo Translationis Almae Domus B. Mariae Virginis Lauretanae. Duplex majus.

Ad Vesperas Ant. Domum tuam, *cum reliq. de Laud. ut infra Psal.* Dixit Dóminus *cum reliquis, ut in Officio parvo Beatae Mariae Virginis.*

Capitul. *Eccl.* 24.

In ómnibus réquiem quaesívi, et in haereditáte Dómini morábor. Tunc praecépit et dixit mihi Creátor ómnium, et qui creávit me, requiévit in tabernáculo meo.

Hymnus.

Ave Maris Stella; etc.

℣. Haec est domus Dómini fírmiter aedificáta.

℟. Bene fundáta est supra firmam petram.

Ad Magnif. Ant. Sanctificávit Dóminus tabernáculum suum: quia haec est domus Dei, in qua invocábitur nomen ejus, de quo scriptum est: Et erit nomen meum ibi, dicit Dóminus.

ORATIO.

Deus, qui Beátae Maríae Vírginis Domum, per incarnáti Verbi mystérium misericórditer consecrásti, eámque in sinu Ecclésiae tuae mirabíliter collocásti; concéde, ut segregáti a tabernáculis peccatórum, digni efficiámur habitatóres Domus sanctae tuae. Per eúmdem Dóminum etc.

Deinde fit comm. Fer. et S

Melchiadis. Nihil de Oct. Concept.

Ad Matut. Invit. Salvatórem mundi in domo Vírginis de Spíritu Sancto concéptum * Veníte adorémus.

Ps. Veníte exultémus etc.

Hymnus.

Coeléstis Urbs Jerúsalem etc. *prout in Festo Dedic. Ecclesiae.*

In I. Noct. Ant. Eleváta est magnificéntia tua super coelos.

Psal. Dómine Dóminus noster *cum reliquis, prout in Officio parvo B. M. V.*

Ant. In sole pósuit tabernáculum suum, et ipse tamquam sponsus procédens de thálamo suo.

Ant. Quis ascéndet in montem Dómini, aut quis stabit in loco sancto ejus? Innocens mánibus, et mundo corde.

℣. Domum tuam, Dómine decet sanctitúdo.

℟. In longitúdinem diérum.

De libro tértio Regum.

Lectio I.

Cap. 8.

Stetit autem Sálomon ante altáre Dómini, in conspéctu Ecclésiae Israel, et expándit manus suas in coelum, et ait: Ergóne putándum est, quod vere Deus hábitet super terram? Si enim coelum, et coeli coelórum te cápere non possunt, quanto magis domus haec, quam aedificávi? Sed réspice ad oratiónem servi tui: et ad preces ejus, Dómine Deus meus; audi hymnum et oratiónem, quam servus tuus orat coram te hódie, ut sint óculi tui apérti super domum hanc nocte ac die, super domum, de qua dixísti: erit nomen meum ibi ut exáudias deprecatiónem servi tui, et pópuli tui Israel quodcúmque oráverint in loco isto; et exáudies in loco habitáculi tui in coelo, et cum exaudíeris, propítius eris.

℟. Vidi speciósam sicut colúmbam ascendéntem désuper rivos aquárum: cujus inaestimábilis odor erat nimis in vestiméntis ejus: * Et sicut dies verni circúmdabant eam flores rosárum, et lília convállium.

℣. Quae est ista, quae ascéndit per desértum sicut vírgula fumi, ex aromátibus myrrhae et thuris? Et sicut.

Lectio II.

Si fúgerit pópulus tuus Israel inimícos suos (quia peccatúrus est tibi), et agéntes poeniténtiam, et confiténtes nómini tuo vénerint, et oráverint et deprecàti te fúerint in domo hac, exáudi in coelo, et dimítte peccátum pópuli tui Israel, et redúces eos in

terram, quam dedísti pátribus eórum. Si clausum fúerit coelum, et non plúerit propter peccáta eórum, et orántes in loco isto, poeniténtiam égerint nómini tuo, et a peccátis suis convérsi fúerint propter afflictióuem suam, exáudi eos in coelo, et dimítte peccáta servórum tuórum, et pópuli tui Israel, et osténde eis viam bonam per quam ámbulent, et da plúviam super terram tuam, quam dedísti pópulo tuo in possessiónem.

℟. Quae est ista, quae ascéndit sicut auróra consúrgens, pulchra ut luna, elécta ut sol: * Terríbilis ut castrórum ácies ordináta?

℣. Fília Sion tota formósa, et suávis es, pulchra ut luna, elécta ut sol. Terríbilis.

Lectio III.

Si quis cognóverit plagam cordis sui, et expánderit manus suas in domo hac, tu exáudies in coelo in loco habitatiónis tuae, et repropitiáberis, et fácies ut des unicuíque secúndum omnes vias suas, sicut víderis cor ejus (quia tu nosti solus cor ómnium filiórum hóminum), ut tímeant te cunctis diébus, quibus vivunt super fáciem terrae, quam dedísti pátribus nostris. Insuper et alienígena, qui non est de pópulo tuo Israel, cum vénerit de terra longínqua propter nomen tuum (audiétur enim nomen tuum magnum, et manus tua fortis, et bráchium tuum exténtum ubíque) cum vénerit ergo, et oráverit in hoc loco, tu exáudies in coelo in firmaménto habitáculi tui, et fácies ómnia, pro quibus invocáverit te alienígena, ut discant univérsi pópuli terrárum nomen tuum Israel, et probent, quia nomen tuum invocátum est super domum hanc.

℟. Quae est ista, quae procéssit sicut sol et formósa tamquam Jerúsalem? * Vidérunt eam fíliae Sion, et beátam dixérunt, et Regínae laudavérunt eam.

℣. Et sicut dies verni circúmdabant eam flores rosárum, et lília convállium. Vidérunt. Glória etc. Vidérunt.

In II. Noct. Ant. Diffúsa est grátia in lábiis tuis, proptérea benedíxit te Deus in aetérnum, et in saeculum saeculi.

Psal. Eructávit etc. *cum reliquis ut in Officio parvo.*

Ant. Santificávit tabernáculum suum Altíssimus.

Ant. Homo natus est in ea, et ipse fundávit eam Altíssimus.

℣. Dómine diléxi decórem domus tuae.

℟. Et locum habitatiónis glóriae tuae.

Sermo Sancti Bernárdi Abbátis.

Sermo 52. *de div.*

Lectio IV.

Sapiéntia, quae Dei erat, et Deus erat; de sinu Patris ad nos véniens, aedificávit sibi domum, ipsam scílicet Matrem suam Vírginem Maríam, in qua septem colúmnas excídit. Quid est in ea septem colúmnas excídere, nisi ipsam dignum sibi habitáculum fide, et opéribus praeparáre? Nimírum ternárius númerus ad fidem propter Sanctam Trinitátem, quaternárius pértinet ad mores propter quátuor principáles virtútes. Quod autem in Beáta María Sancta Trínitas fúerit, dico, per praeséntiam majestátis, ubi solus Fílius erat per susceptiónem humanitátis, testátur Núntius coeléstis, qui ei arcána mystéria réserans, ait; Ave grátia plena, Dóminus tecum; et post pauca: Spíritus Sanctus supervéniet in te, et virtus Altíssimi obumbrábit tibi. Ecce habes Dóminum, habes virtútem Altíssími, habes Spíritum Sanctum, habes Patrem, Fílium, et Spíritum Sanctum.

℟. O quam metuéndus est locus iste! * Vere non est hic áliud, nisi domus Dei, et porta Coeli.

℣. Haec est domus Dómini fírmiter aedificáta, bene fundáta est supra firmam petram. Vere.

Lectio V.

Utrum autem et quátuor principáles virtútes, tamquam quátuor colúmnas, posséderit inquisitióne dignum vidétur. Primum ergo videámus, an fortitúdinem habúerit: quae nimírum virtus quómodo illi abésse pótuit, quae abjéctis saeculáribus pompis, spretísque voluptátibus carnis soli Deo in virginitáte vívere propósuit? Ni fallor, haec virgo est, quae apud Salomónem légitur: Mulíerem fortem quis invéniet? Procul et de último fínibus prétium ejus. Porro, quod témperans, et justa fúerit, ex Angeli collocutióne, et sui ipsíus responsióne, luce clárius comprobámus. Salutáta quippe tam venerabíliter ab Angelo: Ave grátia plena, Dóminus tecum; non se éxtulit, quasi quae ex singulári grátiae privilégio benediceréetur: sed síluit, et qualis esset insólita haec salutátio secum cogitávit. Qua in re, quid, nisi témperans fuit? At vero cum de coeléstibus mystériis ab eódem Angelo doceréetur, diligénter quaesívit quómodo concíperet, et páreret, quae virum útique non cognósceret, et in hoc sine dúbio prudens éxtitit.

℟. Fundáta est domus Dómini supra vérticem móntium, et exaltáta est super omnes colles: * Et vénient ad eam omnes Gentes, et dicent: Glória tibi Dómine.

℣. Veniéntes autem vénient cum exultatióne, portántes manípulos suos. Et vénient.

Lectio VI.

Justítiae autem praeséfert insígne, ubi se ancíllam Dómini confitétur; nam quod justórum sit conféssio, testátur qui ait: Verúmtamen justi confitebúntur nómini tuo. Fuit ígitur beáta Virgo María fortis in propósito, témperans in siléntio, prudens in interrogatióne, justa in confessióne. His ítaque quátuor morum colúmnis, et tribus fidei praedíctis extrúxit in ea sibi domum Sapiéntia coeléstis, quae ádeo mentem ejus replévit, ut de plenitúdine mentis, foecundarétur et caro. Ipsíus autem Vírginis natális domus, divínis mystériis consecráta, Angelórum ministério ab infidélium potestáte in Dalmátiam prius, deínde in agrum Lauretánum Picénae Provínciae transláta fuit, sedente Sancto Caelestíno quinto; eamdémque ipsam esse, in qua Verbum caro factum est, et habitávit in nobis, tum Pontifíciis diplomátibus, et celebérrima totíus Orbis veneratióne, tum contínua miraculórum virtúte, et coeléstium beneficiórum grátia comprobátur. Quibus permótus Innocéntius duodécimus, quo fervéntius erga Matris amantíssimae cultum Fidélium memória excitarétur, ejúsdem sanctae domus Translatiónem anniversária solemnitáte in tota Picéni Província venerátam, Missa étiam, et Officio próprio celebrári praecépit.

℟. Domus mea domus oratiónis vocábitur, dicit Dóminus: in ea omnis qui petit, áccipit, et qui quaerit ínvenit *, Et pulsánti aperiétur.

℣. Pétite, et accipiétis, quaerite, et inveniétis. Et pulsánti. Glória Patri. Et pulsánti.

In III. Noct. Ant. Tóllite hóstias, et introíte in átria ejus, adoráte Dóminum in aula sancta ejus.

Psal. Cantáte Dómino etc. *cum reliquis ut in Officio parvo.*

Ant. Vidérunt omnes pópuli glóriam ejus.

Ant. Cantáte Dómino cánticum novum, quia mirabília fecit Dóminus, allelúja.

℣. Domum tuam, Dómine, decet sanctitúdo.

℟. In longitúdinem diérum.

Léctio S. Evangélii secúndum Lucam.

Lectio VII.

Cap. 1. 26.

In illo témpore: Missus est Angelus Gábriel a Deo in civitátem Galileae, cui nomen Názareth, ad Vírginem desponsátam viro, cui nomen erat Joseph, de domo David et nomen Vírginis María. Et réliqua.

Homilía Sancti Bernárdi Abbátis.

Ex Homil. 1. *Missus est.*

Quae est haec Virgo tam venerábilis, ut salutétur ab Angelo, tam húmilis, ut desponsáta sit fabro? Pulchra permíxtio virginitátis, et humilitátis. Nec mediócriter placet Deo illa ánima, in qua et humílitas comméndat virginitátem, et virgínitas exórnat humilitátem. Sed quanta, putas veneratióne digna est, in qua humilitátem exáltat foecúnditas, et partus cónsecrat virginitátem? Audis vírginem, audis húmilem. Laudábilis virtus virgínitas, sed magis necessária humílitas: illa consúlitur, ista praecípitur.

℟. Diffúsa est grátia in lábiis tuis: * Proptérea benedíxit te Deus iu aetérnum.

℣. Myrrha, et gutta, et cásia a vestiméntis tuis, a dómibus ebúrneis, ex quibus te delectavérunt filiae Regum in honóre tuo. Proptérea.

Ex Hom. 2. *super eod. loco.*

Lectio VIII.

Missus est, inquit, Angelus ad Vírginem, Vírginem carne, Vírginem mente, Vírginem professióne, Vírginem dénique, qualem descríbit Apóstolus, mente et córpore sanctam, nec nóviter, nec fortúito invéntam, sed a saeculo eléctam, ab Altíssimo praecógnitam, et sibi praeparátam, ab Angelis servátam, a Pátribus praefigurátam, a Prophétis promíssam; et, ut pauca loquar de plúribus, quam sibi áliam praedixísse Deus vidétur, quando ad serpéntem ait: Inimicítias ponam inter te, et mulíerem? Etsi adhuc dúbitas, an de Maria díxerit, audi quod séquitur: Ipsa cónteret caput tuum. Cui haec serváta victória est, nisi Maríae?

℟. Beáta es, Virgo María, Dei Génitrix, quae credidísti Dómino, perfécta sunt in te, quae dicta sunt tibi: ecce exaltáta es super choros Angelórum: * Intercéde pro nobis ad Dóminum Deum nostrum.

℣. Ave María, grátia plena, Dóminus tecum. Inter-

céde. Glória Patri. Intercéde.

Ex Hom. 3. super eod. loco.

Lectio IX.

Et ingréssus Angelus ad eam dixit: Ave gràtia plena, Dóminus tecum. Quo ingréssus ad eam? Puto in Sacrárium pudíci cubículi, ubi illa fortássis clauso super se óstio, orábat Patrem in abscóndito. Solent Angeli adstáre orántibus, et delectári in his, quos vident leváre puras manus in oratióne, holocáustum sanctae devotiónis gáudent se offérre Deo in odórem suavitàtis. Maríae áutem oratiónes quantum placúerint in conspéctu Altíssimi, Angelus indicávit, qui ingréssus ad eam tam reveránter salutávit.

Te Deum.

Ad Laudes, et per Horas.

Antiph.

Domum tuam, Dómine, decet sanctitúdo in longitúdinem diérum.

Psal. Dóminus regnávit. *cum reliq.*

Psal. Domus mea, domus oratiónis vocábitur: in ea omnis qui petit, áccipit; et qui quaerit, ínvenit; et pulsánti aperiétur.

Ant. Propter domum Dómini Dei nostri quaesívi bona tibi.

Ant. Dómine Deus, exaltásti super terram habitatiónem meam.

Ant. Domum majestátis meae, et locum pedum meórum glorificábo.

Cap.

Eccl. 24.

In ómnibus, réquiem quaesívi, et in haereditáte Dómini morábor. Tunc praecépit, et dixit mihi Creátor ómnium, et qui creávit me, requiévit in tabernáculo meo.

Hymnus.

Alto ex Olympi vértice
Summi Paréntis Fílius,
Ceu monte deséctus lapis,
Terras in imas décidens,
Domus supérnae, et ínfimae,
Utrúmque junxit àngulum.

Sed illa sedes Coelitum
Semper resúltat laudibus,
Deúmque Trinum et Unicum
Jugi canóre praedicat;
Illi canéntes júngimur
Almae Siónis aemuli.

Haec templa, rex coeléstium
Imple benigno lúmine:
Huc o rogátus ádveni,
Plebísque vota súscipe.
Et nostra corda júgiter
Perfúnde coeli grátia.

Hic ímpetrent Fidélium
Voces precésque súpplicum
Domus beátae múnera,

Partísque donis gaudeant:
Donec solúti córpore.
Sedes beátas ímpleant.
Decus Parénti débitum
Sit usquequáque Altíssimo,
Natóque Patris único,
Et ínclyto Paráclito,
Cui laus, potéstas, glória,
Aetérna sit per saecula.
Amen.

℣. Introíbimus in tabernáculum ejus.

℟. Adorábimus in loco, ubi stetérunt pedes ejus.

Ad Benedictus, Ant. Ecce tabernáculum Dei cum homínibus, et habitábit cum eis, et ipsi pópulus ejus erunt, et ipse Deus cum eis erit eórum Deus.

ORATIO

Deus, qui Beátae Maríae, Vírginis Domum, per Incarnáti Verbi mystérium misericórditer consecrásti, eámque in sinu Ecclésiae tuae mirabíliter collocásti; concéde, ut segregáti a tabernáculis peccatórum, digni efficiámur habitatóres Domus sanctae tuae. Per eúmdem Dóminum etc.

AD PRIMAM

In ℟. *br. dícitur* ℣. Qui natus es de María Vírgine.

AD TERTIAM

Ant. Domus mea. *Cap.* In ómnibus réquiem, *ut supra.*

℟ *br.* Hic domus Dei est, * Et porta coeli. Hic domus.

℣. Et vocábitur Aula Dei. Et porta. Glória Patri. Hic domus.

℣. Dómine diléxi decórem domus tuae.

℟. Et locum habitatiónis glóriae tuae.

AD SEXTAM

Ant. Propter domum.

Capit.

Eccl. 24. *b*

Et sic in Sion firmáta sum et in civitáte santificáta símiliter requiévi, et in Jerúsalem potéstas mea. Et radicávi in pópulo honorificáto; et in parte Dei mei haeréditas illíus, et in plenitúdine Sanctórum deténtio mea.

℟ *br.* Dómine, * Diléxi decórem domus tuae. Dómine.

℣. Et locum habitatiónis glóriae tuae. Diléxi. Glória. Dómine.

℣. Domum tuam, Dómine, decet sanctitúdo.

℟ In longitúdinem diérum.

AD NONAM

Ant. Domum majestátis.

Capit. Eccl. 24. b.

In platéis sicut cinnamómum, et bálsamum aromatízans odórem dedi: quasi myrrha elécta dedi suavitátem odóris.

R). *br.* Domum tuam, Dómine, * Decet Sanctitúdo.

Domum tuam.

Ý. In longitúdinem diérum.

Decet sanctitúdo.

Glória Patri.

Domum tuam.

Ý. Hic domus Dei est, et porta Coeli.

R). Et vocábitur áula Dei.

In secundis Vesperis omnia ut in primis.

Ad Magnif. Ant. O quam metuéndus est locus iste! Vere non est hic áliud, nisi domus Dei, et porta Coeli.

Commemor. S. Damasi, et Feriae.

DIE XI. DECEMBRIS. *In Festo S. Damasi Pp. C. Duplex. Omn. ut in Brev.*

DIE XII. DECEMBRIS D. AS.

In Festo B. JOANNIS DOMINICI *Conf. Flor. Ordinis Praedicatorum Card. Arch. Ragusini. Duplex.*

Omnia de Communi Conf. Pont. praeter sequentia. Méruit suprémos.

ORATIO.

Deus largítor Caritátis, qui Beátum Joánnem Confessórem, atque Pontíficem, in conservánda Ecclésiae unitáte, instaurandáque regulári disciplína virtúte roborásti, per ipsíus intercessiónem tríbue nobis idípsum sentíre et fácere in Christo Jesu, Dómino nostro. Qui tecum.

Lect. I. Noct. de Script. occur.
In II. Nocturno.

Lectio IV.

Joánnes paupéribus, piísque Paréntibus Floréntiae natus, a primis annis patris vestígiis insístens cibos manu, et arte quaerébat. Adoléscens, expléto diúrno ópere, Ecclésias invisébat pia sua vota Dómino solutúrus. Décimo octávo aetátis anno coeléstia inquírens, Praedicatórum Ordinem ingréssus Tyrónibus exémplo praeíbat demissíssima praesértim obediéntia. Solémnia vota nuncupátus, erat in victu módicus, jejúnio addíctus, in oratióne assíduus, rudióribus véstibus usus, saccum pro lecto hábuit. Optima imbútus morum disciplína ejúsmodi exercítiis litterárum stúdia conjúnxit, et licet ingenuárum ártium sciéntia, et nómine apud omnes polléret, humi-

litátem tamen mirum in modum excóluit. Proximórum salúti omni stúdio insístens, praedicatióni étiam Verbi Dei addìctus singulári fuit grátia donátus, ádeo ut defléctere voluntátem, commovére ánimos, reformáre mores, adunáre plebes, continére pópulos facíllime posset.

℟. Invéni.

Lectio V.

Curas omnes étiam sédulo praestitit, ut tam institúti sui, quam aliórum Ordinum reguláris observántia revocarétur, primúsque in Itália fuit, qui spíritus sui fervóre ita ánimos accéndit, ut in primaevam formam religiósae famíliae redigeréntur. His permótus Gregórius Duodécimus eum Ragusínae Ecclésiae Praesulem, et Sanctae Románae Ecclésiae Cardinálem Títuli Sancti Xysti, licet invítum, creávit. Joánnes vero hac dignitáte áuctus, quum Ecclésia infándo laniarétur schísmate, Gregório persuásit, ut pro bono Ecclésiae Pontificátum céderet; votíque compos factus Constántiam ad generále Concílium convolávit, perlectáque coram ómnibus Pontíficis renunciatióne, dignitátem suam páriter ultro abdicávit. Concílii Patres huic voluntáti restitérunt, absolutóque Concílio, Sigismúndus Imperátor a Martíno Quinto ibídem elécto impetrávit, ut Joánnes in Boémiam, Polóniam, et Hungáriam ad extirpándas haereses legátus mitterétur, ac Budam advéniens fervéntius coepit divínis rebus incúmbere, vigíliis, et oratiónibus semper inténtus.

℟. Pósui.

Lectio VI.

Ardénti febre intérea corréptus vitae sibi finem adésse praenóvit, et Ecclésiae Sacraméntis rite munítus véniam ab ómnibus adprecátus est. Próprio functus offício, quum pública, et priváta ómnia accuráte prosequútus esset, súbito véluti somno abréptus, angélicis, uti fertur comitátus obséquiis obdormívit in Dómino. Fuit Joánnes potens in ópere, et sermóne coram Deo, et omni pópulo, qui sciéntiae, et sapiéntiae sermóne effúlsit in Ecclésia Dei. Ad ejus funus commóta est univérsa Cívitas, atque ex histórícis monuméntis habétur multas ad Sepúlchrum extáre Imágines prodigiórum testimónia referéntes, quae Fidéles a Deo hujus Beáti Viri méritis sunt assequúti. Quaprópter ecclesiásticum immemorábilem Beáti Joánnis cultum, quem illic, aliísque in

locis proméruit, constantérque usque ad nos devénit Gregórius Décimus sextus Póntifex Máximus rite probávit ejusque Festum in Univérso Praedicatórum Ordine cum Officio, et Missa celebrári indúlsit.

℟. Iste est.

In III. Noct. Homil. in Evang. Homo péregre. *de Com.* 1. *loc.*

DIE XIV. DECEMBRIS ASS. EX IV. EJUSD.

In Festo S. Barbarae Virg. et Mart. *Dupl.*

ORATIO

Intercéssio, quaesumus Dómine, Beátae Bárbarae Vírginis, et Mártyris tuae ab omni nos adversitáte prótegat; ut per ejus intervéntum gloriosíssimum Sacrosáncti Córporis et Sánguinis Dómini nostri Jesu Christi Sacraméntum ante diem éxitus nostri per veram poeniténtiam, et puram confessiónem percípere mereámur. Qui tecum vivit etc.

In I. Nocturno.

Lectiones de Script. occurr. nisi venerit in Fer. IV. Quat. Temp. tunc enim leguntur de Comm. 2. *loc.* Confitébor *etc.*

In II. Nocturno.

Lectio IV.

Bárbara Virgo Nicomediénsis, Dióscori nóbilis sed superstitiósi hóminis filia, per ea, quae visibília facta sunt, ad invisibília, divína opitulánte grátia fácile pervénit. Quaprópter soli Deo rebúsque divínis vacáre coepit. Eam pater, útpote forma venustióri niténtem, a quocúmque virórum occúrsu tutári cúpiens turri inclúsit, ubi pia Virgo meditatiónibus et précibus addícta soli Deo, quem sibi in sponsum delégerat, placére studébat. Obláta a pátre plúriesnobílium connúbia fórtiter sprevit. Pater vero per sui abséntiam filiae ánimum posse facílius emollíri confídens, jussit primo bálneum éxtrui, ne quid ei deésset ad commoditátem, deínde péregre in éxteras regiónes proféctus est.

℟. Propter veritátem.

Lectio V.

Abséntc patre jussit Bárbara duábus fenéstris, quae in turri erant, tértiam addi in honórem Divínae Trinitátis, labiúmque bálnei sacrosánctae Crucis signo muníri: quod ubi rédiens Dióscorus inspéxit, audíta novitátis cáusa, ádeo in filiam excánduit,

ut stricto ense eam áppetens, parum abfúerit, quin eam dire confóderet: sed praesto ádfuit Deus; nam fugiénti Bárbarae saxum ingens se patefáciens viam apéruit, per quam montis fastígium pétere, et sic in specu latére, pótuit: sed páulo post, cum a nequíssimo genitóre repérta fuísset, ejus látera pédibus, dorsúmque pugnis immániter percússit, et crínibus per loca áspera difficilésque vias raptátam Marciáno Praesidi puniéndam trádidit. Itaque ab ipso ómnibus modis, sed incássum tentáta, nudam nervis caedi, et inflícta vúlnera téstulis confricári, deínde in cárcerem trahi praecépit: ubi imménsa luce circúmdatus ei Christus appárens, mirífice confortátam in passiónum toleránlia confirmávit: quod animadvértens Juliána Matróna ad Fidem convérsa ejúsdem palmae párticeps effécta est.

℟. Dilexísti justítiam.

Lectio VI.

Bárbarae demum férreis úngnibus membra laniántur, fácibus látera incendúntur, et malléolis caput contúnditur: quibus in cruciátibus consórtem solabátur, et hortabátur, ut ad finem usque constánter certáret. Praecísis tandem utríque ubéribus, nudae per loca pública tractae cápite plectúntur; filiaeque cervícem ipse scelestíssimus pater humanitátis expers própriis mánibus amputávit; cujus fera crudélitas non diu inúlta remánsit: nam statim eo ipso in loco fúlmine percússus intériit. Corpus hujus beatíssimae Vírginis Justínus Imperátor, Nicomedía áuferens, Constantinópolim primum transportávit. Illud idem, cum in progréssu témporis ab Imperatóribus Constantíno et Basilío impetrássent Véneti, Constantinópoli dedúctum in sancti Marci Basílica fuit deínde solémniter collocátum. Postrémo et último supplicántibus Torcelláno Epíscopo ejúsque sopóre Abbatíssa, ad Ecclésiam Moniálium sancti Joánnis Evangelístae Torcellánae Dioecésis anno salútis millésimo nono defértur: ubi et honorífice cónditum, perpétuo cultu ad praesens usque tempus summópere venerátur.

℟. Afferéntur Regi.

In III. Nocturno.

Homil. S. Gregorii Papae in Evang. Símile erit regnum Coelórum. *de Comm. 1. loc.*

DIE XV. DECEMBRIS

Octava Immaculatae Concept. B. M. V. Duplex.

Omnia ut in Festo.

Lect. I. Noct. de Scriptura; verum occurrente Feria IV. Quatuor Temporum Ego Sapientia *ut in Festo Dedic. S. Mariae ad Nives, die V. Augusti.*

IN II. NOCTURNO

Lectio IV.

Sermo Sancti Bernárdi Abbátis.

Hom. 2. sup. Missus est.

Laetáre, pater Adam, sed magis tu, o Eva mater exúlta, qui sicut ómnium paréntes, ita ómnium fuístis peremptóres; et quod infelícius est, prius peremptóres, quam paréntes. Ambo, inquam, consolámini super fília, et tali fília; sed illa ámplius, de qua malum ortum est prius, cujus oppróbrium in omnes pertransívit mulíeres. Instat namque tempus, quo jam tollátur oppróbrium nec habeat vir quid causétur advérsus féminam; qui útique dum se imprudénter excusáre conarétur, crudéliter illam accusáre non cunctátus est, dicens: Múlier, quam dedísti mihi, dedit mihi de ligno, et comédi. Proptérea curre, Eva, ad Maríam; curre mater ad fíliam; fília pro matre respóndeat: ipsa matris oppróbrium áuferat; ipsa patri pro matre satisfáciat: quia ecce si vir cécidit per féminam, jam non erígitur nisi per féminam.

Lectio V.

Quid dicébas, o Adam? Múlier, quam dedísti mihi, dedit mihi de ligno, et comédi. Verba malítiae sunt haec, quibus magis áugeas quam déleas culpam. Verúmtamen sapiéntia vicit malítiam, cum occasiónem véniae, quam a te Deus interrogándo elícere tentávit, sed non pótuit, in thesáuro indeficiéntis suae pietátis invénit. Rédditur nempe fémina pro fémina, prudens pro fátua, húmilis pro supérba; quae pro ligno mortis gustum tibi pórrigat vitae, et pro venenóso cibo illo amaritúdinis, dulcédinem páriat fructus aetérni. Muta ergo iníquae excusatiónis verbum in vocem gratiárum actiónis, et dic: Dómine, múlier, quam dedísti mihi, dedit mihi de ligno vitae, et comédi; et dulce factum est super mel ori meo, quia in ipso vivificásti me. Ecce enim

ad hoc missus est Angelus ad Vírginem. O féminam singuláriter venerándam, super omnes féminas admirábilem, paréntum reparatrícem, posterórum vivificatrícem.

Lectio VI.

Quam tibi áliam praedixísse Deus vidé ur, quando ad serpéntem ait: Inimicítias ponam inter te et mulíerem? Et si adhuc dúbitas, quod de María díxerit, áudi quod séquitur; ipsa cónteret caput tuum. Cui haec serváta victória est, nisi Maríae? Ipsa proculdúbio caput contrívit venenátum, quae omnímodam suggestiónem tam de carnis illécebra, quam de mentis supérbia dedúxit ad níhilum. Quam vero áliam Sálomon requirébat, cum dicébat: Mulíerem fortem quis invéniet? Nóverat quippe vir sápiens hujus sexus infirmitátem, frágile corpus, lúbricam mentem. Quia tamen et Deum légerat promisísse, et ita vidébat congrúere, ut qui vícerat per féminam, vincerétur per ipsam, veheménter admírans ajébat: Mulíerem fortem quis invéniet? Quod est dicere: si ita de manu féminae pendet et nostra òmnium salus, et innocéntiae restitútio, et de hoste victória: fortis omníno necésse est ut provideátur, quae ad tantum opus possit esset idónea.

IN III. NOCTURNO

Lectio VII.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthaeum.

Cap. 1.

Liber generatiónis Jesu Christi filii David, filii Abraham. Abraham génuit Isaac. Isaac áutem génuit Jacob. Et réliqua.

De Homilía sancti Joánnis Chrysóstomi.

Unde supra paulo post.

Duo sunt, quae páriunt quaestiónem. Unum, quae causa sit, ut in generatiónum catálogo Virgo sileátur; álterum vero, qua ratióne Joseph memorétur, cui certe nihil cum Christi generatióne est commúne. Vidétur enim et unum abundáre, et álterum deésse. Quid ergo dicémus? quod útique primum illud necésse fúerit memorári, quemádmodum ex David Virgo descénderit. Unde hoc ítaque discémus? Audi ad Gábriel loquéntem Dóminum: vade ad Vírginem desponsátam viro, cui nomen Joseph, ex domo

et família David. Quid vis audíre maniféstius, cum ex domo et família David illam Vírginem esse cognóscas?

Lectio VIII.

Non erat mos apud Hebraeos generatiónum catálogum per féminas téxere. Ut ergo et morem custodíret, neve in ipso statim princípio viderétur antíqua destrúere; et nobis Vírginem cértius indicáret; paréntes ejus réticens, atque majóres, de Joseph generatióne non tácuit. Sive enim haec fecísset in Vírgine, novitátis non effugísset invídiam; sive Joseph reticuísset, non agnoscerémus ex qua tribu Vírgo subsísteret. Ut ergo et nos discernerémus, quae esset María, vel unde, ut consuetúdo legis permanéret immóbilis, generatiónum catálogum usque ad sponsum ejus perdúxit, ac de domo illum David esse monstrávit.

Lectio IX.

Hoc enim declaráto, illud quoque páriter osténdit, quod scílicet inde esset et Virgo; quia útique nequáquam justus iste paterétur uxórem sibi aliúnde quam unde lex praecipiébat, elígere. Póssumus vero áliam quoque et altiórem quidem proférre ratiónem, ob quam paréntes Vírginis praetermíssi sunt. Sed quae ea est? Nóluit Evangelísta recénti adhuc témpore novi illíus, admirandíque partus Judaeis esse manitéstum, quod Christus natus fuisset ex Vírgine. Neque próprius noster hic sermo est, sed nobis de Patrum, atque insígnium virórum traditióne suscéptus.
Te Deum laudámus.

DIE XVI. DECEMBRIS

In Festo S. Eusebii *Episcopi et mart.* Semiduplex.

Omnia de Comm. unius Mart. praeter sequentia.

ORATIO.

Deus, qui nos beáti Eusébii Mártyris tui, atque Pontíficis ánnua solemnitáte laetíficas: concéde propítius, ut cujus natalítia cólimus, de ejúsdem étiam protectióne gaudeámus. Per Dóminum etc.

Deinde fit commemor. Feriae Advent.

In I. Noct. Lectiones de Scriptura occurrente, sed si fuerit in Quatuor Temp. erunt A Mileto de Com. 1. m.

In II. Noct.
Lectio IV.

Eusébius natióne Sardus

Románae Urbis Lector, post Vercelléusis Epíscopus, ad hanc regéndam Ecclésiam mérito est créditus divíno eléctus judício; nam quem nunquam ante constitúti Electóres cognóverant, posthábitis cívibus, simul ut vidérunt, et probavérunt, tantúmque intérfuit ut probarétur, quantum ut viderétur. Primus in Occidéntis pártibus in eádem Ecclésia eósdem Mónachos instítuit esse, quos Cléricos, ut esset in ipsis viris, et contémptus rerum, et accurátio Levitárum. Ariánis impietátibus ea tempestáte per Occidéntem longe, latéque tradúctis, advérsus eas viríliter sic dimicávit, ut ejus invícta fides Libérium Summum Pontíficem ad vitae solátium erígeret. Quare hic sciens, in ipso fervére Spíritum Dei, cum ei significásset, ut penes Imperatórem una cum suis Legátis patrocínium Fídei susciperet, mox cum illis proféctus est ad Constántium: apud quem eníxius agens, quidquid legatióne petebátur, obtínuit, ut Episcopórum nempe coetus celebrarétur.

℟. Honéstum fecit etc.

Lectio V.

Colléctum est Medioláni anno sequénti Concílium, ad quod a Constántio invitátum Eusébium, concupitúmque, ac vocátum a Libèrii Legátis, tantum abest, ut malignántium Synagóga Arianórum contra Sanctum Athanásium furéntium in suas partes addúceret, ut pótius disérte statim ipse declárans, e praeséntibus quosdam sibi compértos haerética labe pollútos, Nicaenam imo Fidem proposúerit iis subscribéndam ántequam caetera tractaréntur. Quod Ariánis acerbe irátis negántibus, nedum in Athanásium recusávit ipse subscríbere, quin Sancti Dionysii Mártyris, qui decéptus ab ipsis subscrípserat, captivátam simplicitátem ingeniosíssime liberávit. Quamóbrem illi gráviter indignántes, post multas illátas injúrias, exílio illum mulctárunt; sed Sanctus vir, excússo púlvere, nec Caesaris minas véritus, nec enses obstríctos, exílium véluti sui ministérii officium accépit, missúsque Scythópolim, famem, sitim, vérbera, divérsaque supplícia perpéssus, pro fide strénue vitam contémpsit, mortem non métuit, corpus carníficibus trádidit.

℟. Desidérium ánimae etc.

Lectio VI.

Quanta in eum tunc Aria-

nórum crudélitas fúerit, ac effrons inverecúndia, osténdunt graves lítterae plenae róboris, pietátis, ac religiónis, quas e Scythópoli scripsit ad Vercellénsem Clerum, et pópulum, aliósque finítimos: e quibus étiam est explorátum, ipsórum nec minis, inhumanáque saevítia potuísse umquam eum deterréri, nec serpentína blanda subtilitáte ad eórum societátem perdúci. Hinc in Cappadóciam, postremóque ad superióres Aegypti Thebáidas pro constántia sua deportátus, exílii rigóres tulit ad mortem usque Constántii: post quam ad gregem suum revérti permíssus, non prius redíre vóluit, quam reparándis fídei jactúris ad Alexandrínam Synodum sese conférret: postque, médici praestántis instar, péragrans Oriéntis províncias, in fide infírmos ad íntegram valetúdinem restitúeret, eos instítuens in Ecclésiae doctrína. Inde salubritáte pari digrésso Illyricum, tandémque in Itáliam deláto, ad ejus réditum lúgubres vestes Itália mutávit: ubi, postquam Psalmórum ómnium expurgátos a se commentários Orígenis édidit, Eusebiíque Caesareénsis quos vérterat de Graeco in Latínum; demum tot egrégie factis illústris, ad immarcescíbilem glóriae corónam, tantis aerúmnis proméritam sub Valentiniáno et Valénte Vercéllis migrávit.

℟. Stola jucunditátis índuit. etc.

In III. Noct. Homilia S. Gregor. Papae in Evang. Si quis vult post me veníre *ut in Communi unius Mart. secundo loco.*

℟. 8. Dómine praevenísti.

In Laud et Vesp. fit comm. Fer. Advent.

DIE XVIII. DECEMBRIS

In Festo Expectationis Partus B. M. V. Duplex majus.

Ad Vesp. Ant. Missus est Gábriel Angelus, *cum reliquis de Laudibus.*

Psal. Dixit Dóminus Laudáte púeri. Laetátus sum. Nisi Dóminus. Lauda Jerúsalem, *ut in Officio parvo B. M. V.*

Capitul.

Isaiae 11.

Egrediétur virga de radíce Jesse; et flos de radíce ejus ascéndet. Et requiéscet super eum Spíritus Dómini.

Hymnus.

Creátor alme síderum,
Aetérna lux credéntium;

Jesu Redémptor ómnium,
Inténde votis súpplicum.
Qui daemonis ne fráudibus
Períret orbis, ímpetu
Amóris actus, lánguidi
Mundi medéla factus es.
Commúne qui mundi nefas
Ut expiáres, ad Crucem
E Vírginis Sacrário,
Intácta prodis víctima.
Cuius potéstas glóriae,
Noménque cum primum sonat,
Et Coelites, et ínferi
Treménte curvántur genu.
Te deprecámur últimae
Magnum diéi Júdicem;
Armis supernae grátiae
Defénde nos ab hóstibus,
Virtus, honor, laus, glória
Deo Patri, cum Filio,
Sancto simul Paráclito,
In saeculórum saecula.
Amen.

℣. Ave María grátia plena.
℟. Dóminus tecum.

Ad *Magnif.* Ant. Spíritus Sanctus in te descéndet María: ne tímeas habébis in útero Fílium Dei, allel.

ORATIO

Deus, qui de Beátae Maríae Vírginis útero Verbum tuum, Angelo nuntiánte, carnem suscípere voluísti: praesta supplícibus tuis; ut qui vere eam Genitrícem Dei crédimus ejus apud te intercessiónibus adjuvémur. Per eúmdem Dóminum etc.

Et fit comm. Adventus. Ant. O.

Hymni Complet. et aliar. Horar. concludunt cum ℣. Virtus honor, laus glória etc.

Ad Matutinum. Invitat. Ave María grátia plena: Dóminus tecum.

Psal. Veníte exultémus.

Hymnus.

Verbum supérnum pródiens
E Patris aetérni sinu.
Qui natus orbi súbvenis,
Labénte cursu témporis.
Illúmina nunc péctora,
Tuóque amóre cóncrema;
Ut cor cadúca déserens
Coeli volúptas ímpleat.
Ut cum tribúnal júdicis
Damnábit igni noxios,
Et vox amíca débitum
Vocábit ad coelum pios.
Non esca flammárum nigros
Volvámur inter túrbines:
Vultu Dei sed cómpotes
Coeli fruámur gáudijs.
Patri, simúlque Fílio,
Tibíque sancte Spíritus,
Sicut fuit, sit júgiter
Saeclum per omne glória.
Amen.

In I. Noct. Ant. Ecce Dóminus noster cum virtúte véniet, et illuminábit óculos servó um suórum, allelúja.

Psalm. Dómine Dóminus noster.

Ant. Roráte coeli désuper, et nubes pluant justum, aperiátur terra, et gérminet Salvatórem.

Psal. Coeli enárrant glóriam Dei.

Ant. Ecce nomen Dómini de longínquo; et cláritas ejus replet orbem terrárum.

Psalm. Dómini est terra.

℣. Ex Sion spécies decóris ejus.

℟. Deus noster maniféste véniet.

De Isaía Prophéta.

Lectio I.

Cap. 7.

Et adjécit Dóminus loqui ad Achaz dicens; Pete tibi signum a Dómino Deo tuo in profúndum inférni, sive in excélsum supra. Et dixit Achaz: Non petam, et non tentábo Dóminum. Et dixit: Audíte ergo domus David. Numquid parum vobis est, moléstos esse homínibus, quia moléstí estis et Deo meo? Propter hoc dabit Dóminus ipse vobis signum. Ecce Virgo concípiet, et páriet filium, et vocábitur nomen ejus Emmánuel. Butyrum, et mel cómedet, ut sciat reprobáre malum, et elígere bonum.

℟. Non auferétur sceptrum de Juda, et dux de fémore ejus, donec véniat qui mitténdus est: * Et ipse erit exspectátio géntium.

℣. Pulchrióres sunt óculi ejus vino, et dentes ejus lacte candidióres. Et ipse.

Lectio II.

Cap. 11.

Et egrediétur virga de radíce Jesse, et flos de radíce ejus ascéndet. Et requiéscet super eum Spíritus Dómini: Spíritus sapiéntiae, et intelléctus, Spíritus consílii et fortitúdinis, Spíritus sciéntiae et pietátis; et replébit eum Spíritus timóris Dómini. Non secúndum visiónem oculórum judicábit neque secùndum audítum áurium árguet; sed judicábit in justítia páuperes, et árguet in aequitáte pro mansuétis terrae, et percútiet terram virga oris sui, et spíritu labiórum suórum interfíciet ímpium; et erit justítia cíngulum lumbórum ejus, et fides cinctórium renum ejus.

℟. Oriétur stella ex Jacob, et consúrget homo de Israel, et confríngent omnes duces alienigenárum: * Et erit omnis terra possessio ejus.

℣. De Jacob erit qui dominábitur, et perdet relíquias civitátis. Et.

Lectio III.

Cap. 35.

Laetábitur desérta et ínvia,

et exultábit solitúdo, et florébit quasi lílium. Gérminans germinábit, et exultábit laetabúnda, et laúdans: glória Líbani data est ei, decor Carméli, et Saron: ipsi vidébunt glóriam Dómini, et decórem Dei nostri. Confortáte manus dissolútas, et génua debília roboráte. Dícite pusillánimis: Confortámini, et nolíte timére: ecce Deus vester ultiónem addúcet retributiónis: Deus ipse véniet et salvàbit vos. Tunc aperiéntur óculi caecórum, et áures surdórum patébunt. Tunc sáliet sicut cervus cláudus, et apérta erit lingua mutórum; quia scissae sunt in desérto aquae, et torréntes in solitúdine. Et quae erat árida, erit in stagnum, et sítiens in fontes aquárum.

℟. Descéndet Dòminus sicut plúvia in vellus: oriétur in diébus ejus justítia, * Et abundántia pacis.

℣. Et adorábunt eum omnes reges terrae, omnes gentes sérvient ei. Et. Glória Patri. Et.

In II. Noct. Ant. De Sion exíbit lex, et verbum Dómini de Jerúsalem.

Psalm. Eructávit.

Ant. Ecce Deus noster, expectávimus eum, et salvábit nos, allelúja.

Psalm. Deus noster.

Ant. Dóminus véniet: occúrrite illi dicéntes: magnum princípium, et regni ejus non erit finis, Deus, Fortis, Dominátor, Princeps pacis allelúja.

Psalm. Magnus Dòminus, *Ut in comm. vv.*

℣. Egrediétur virga de radíce Jesse.

℟. Et flos de radíce ejus ascéndet.

Sermo Sancti Ildefónsi Archiepíscopi Toletáni.

Ex Lib. de Virginitate B. M.

Lectio IV.

Dómina mea atque dominátrix méa, dóminans mihi, mater Dómini mei, ancílla Fílii tui, génitrix factóris mundi, te rogo, te oro, te quaeso, ut hábeam spíritum Dómini tui, spiritúmque Fílii tui, nec non et spíritum Redemptóris mei, ut de te vera, et digna sápiam, vera, et digna loquar, vera et digna quaecúmque sunt, díligam. Tu enim es elécta a Deo, assúmpta a Deo, advocáta a Deo, pròxima Deo, adhaerens Deo, conjúncta Deo; visitáta ab Angelo, salutáta ab Angelo, benedícta ab Angelo, beatificáta ab Angelo, turbáta in sermóne, attónita in cogitatióne, stupefácta in salutatióne, admiráta in dictórum annuntiatióne.

℟. Ecce Virgo concípiet, et páriet Fílium, dicit Dóminus, * Et vocábitur nomen ejus Admirábilis, Deus, Fortis.

℣. Super sólium David, et super regnum ejus sedébit in aetérnum. Et.

Lectio V.

Invenísse te apud Deum grátiam áudis, et ne tímeas jubéris. Unde et tu fidúcia roboráris, cognitióne miraculórum instrúeris, ad novitátem inaudítae glóriae provéheris. De prole ab Angelo nuntiáta es, et post foetum íntegra, et pudíca manes. Certa virgínitas nobis propónitur, et nascitúrum ex te sanctum Dei Fílium, tibi ab Angelo evangelizátur et quae sit nascéntis Regis poténtia, mirabíliter intimátur. Quómodo fiat, quaeris, de origine intérrogas, de ratióne perscrutáris, de experiéntia requíris, de órdine sciscitáris. Audi inaudítum oráculum, consídera inusitátum opus, animadvérte incógnitum arcánum, atténde invísum factum: Spíritus Sanctus supervéniet in te, et virtus Altíssimi obumbrábit tibi.

℟. Roráte coeli désuper, et nubes pluant Justum; * Aperiátur terra, et gèrminet Salvatórem.

℣. Emítte Agnum, Dómine, Dominatórem terrae, de petra desérti ad montem filiae Sion. Aperiátur.

Lectio VI.

Tota invisibíliter Trínitas conceptiónem operábitur in te, sola Persóna Fìlii Dei in córpore tuo nascitúra carnem assúmet de te. Ideóque quod concipiétur ex te, quod nascétur ex te, quod pródiet ex te, quod germinábitur ex te, quod parturiétur ex te Sanctum, vocábitur Fílius Dei. Erit enim hic magnus, hic Deus virtútum, hic Rex ómnium saeculórum, hic factor ómnium rerum. Ecce beáta tu inter mulíeres, íntegra inter puérperas, Dómina inter ancíllas, Regína inter soróres. Ecce ex hoc beátam te dicent omnes generatiónes, beátam te novérunt omnes coeléstes Virtútes, beátam te praedicant omnes vates, beátam te célebrant omnes Natiónes. Beáta tu fidei nostrae, beáta tu ánimae nostrae, beáta dilectióni nostrae, beáta praecóniis et praedicatiónibus meis.

℟. Docébit nos Dóminus vias suas, et ambulábimus in sémitis ejus: * Quia de Sion exíbit lex, et verbum Dómini de Jerúsalem.

℣. Veníte, ascendámus ad montem Dómini, et ad do-

murn Dei Jacob. Quia. Glória Patri. Quia.

In III. Noct Ant. Dóminus dabit benignitátem; et terra nostra dabit fructum suum.

Psalm. Benedixísti. Ps. 84.

Ant. Ecce véniet Deus, et homo de domo David sedére in throno, allelúja.

Psal. Fundaménta. Ps. 86.

Ant. Annuntiá e pópulis et dícite: Ecce Deus Salvator noster véniet.

Psal. Cantáte Dómino ... cantáte Dómino omnis etc. Ps. 95

℣. Egrediétur Dóminus de loco sancto suo.

℟. Véniet ut salvet pópulum suum.

Si hoc festum venerit in Feria 4. Quat. Temp. Adventus, loco sequentis Hom. leguntur tres Lect. Hom. ejusd. Feriae 4. cum ***Responsoriis,*** *quae hic assignantur.*

Léctio Sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio VII.

Cap. 1. c,

In illo témpore: Missus est Angelus Gábriel a Deo in civitátem Galileae, cui nomen Názareth, ad Vírginem desponsátam viro, cui nomen erat Joseph de domo David, et nomen Vírginis María. Et réliqua.

Homilía Venerábilis Bedae Presbyteri.

In Evang. Lucae c. 1.

Ad Maríam Vírginem Gábriel míttitur, qui Dei fortitúdo nominátur; illum quippe nuntiáre veniébat, qui ad debellándas aéreas potestátes húmilis apparére dignátus est. De quo per Psalmístam dícitur; Dóminus fortis et potens Dóminus potens in praelio. Et rursum, Dóminus virtútum ipse est Rex glóriae. Per Dei ergo fortitúdinem nuntiándus erat, qui virtútum Dóminus, et potens in praelio contra potestátes aéreas ad bella veniébat. Et ingréssus Angelus ad eam, dixit: Ave grátia plena, Dòminus tecum, Benedícta tu in muliéribus. Bene grátia plena vocátur, quae nimírum grátiam, quam nulla ália merúerat, asséquitur ut ipsum vidélicet grátiae concípiat, et géneret auctórem.

℟. Ave María grátia plena; Dóminus tecum; * Spíritus Sanctus supervéniet in te, et virtus Altíssimi obumbrábit tibi: quod enim ex te nascétur sanctum, vocábitur Fílius Dei.

℣. Quómodo fiet istud, quóniam virum non cognósco?

Et respóndens Angelus dixit ei. Spíritus Sanctus.

Bened. Cujus festum cólimus, ipsa Virgo Vírginum.

Lectio VIII.

Ecce concípies in útero, et páries filium, et vocábis nomen ejus Jesum. Jesus Salvátor, sive Salutáris interpretátur, cujus Sacraméntum nóminis álloquens Joseph Angelus expósuit: Ipse enim, ínquiens, salvum fáciet pópulum suum a peccátis eórum. Non ait pópulum Israel, sed pópulum suum, hoc est, in unitátem fidei ex praepútio et circumcisióne vocátum, quibus ex divérsa parte vocátis, fieret unus pastor, et unum ovíle. Hic erit magnus, et Fílius Altíssimi vocábitur, et dabit illi Dóminus Deus sedem David patris ejus. Idem ergo Fílius Altíssimi, qui in útero virgináli concéptus, et natus est. Idem homo in témpore creátus ex matre, qui Deus est ante témpora natus ex Patre. Si autem idem homo, qui Deus est, omíttat Nestórius hóminem tantum dícere ex Vírgine natum.

℟. Súscipe verbum, Virgo María, quod tibi a Dómino per Angelum transmíssum est, concípies, et páries Deum páriter, et hóminem. * Ut benedícta dicáris inter omnes mulíeres.

℣. Páries quidem filium, et virginitátis non patiéris detriméntum: efficiéris grávida, et eris mater semper intácta. Ut benedícta. Glória Patri. Ut benedícta.

Lectio IX.

Idcóque et quod nascétur ex te sanctum, vocábitur Fílius Dei. Ad distinctiónem nostrae sanctitátis, Jesus sanctus singuláriter nascitúrus asséritur. Nos quippe, etsi sancti efficimur, quia ipsa natúrae corruptiónis conditióne constríngimur, ut mérito cum Prophéta geméntes sínguli dicámus: Ecce enim in iniquitátibus concéptus sum, et in delíctis péperit me mater mea. Ille autem solus veráciter sanctus est, qui, ut ipsam conditiónem natúrae corruptíbilis vínceret, ex commixtióne carnális cópulae concéptus non est. Sanctum, inquit, vocábitur Fílius Dei. Quid hic dicis, Nestoriáne, qui beátam Maríam Dei negans esse genitrícem apérte níteris impugnare veritátem? Ecce Deum dixit superventúrum Dei Fílium nascitúrum. Quómodo ergo aut Dei filius Deus non est? aut quae Deum édidit, quómodo Theótocos, idest Dei génitrix non esse potest?

Te Deum laudámus.

Ad Laudes, et p. r Horas Ant.

Missus est Gábriel Angelus ad Maríam Vírginem desponsátam Joseph.

Psal. Dóminus regnávit, *cum reliquis de Dominica.*

Ant. Ave María, grátia plena: Dóminus tecum: Benedícta tu in muliéribus, allelúja.

Ant. Ne tímeas, María: invenísti grátiam apud Dóminum: ecce concípies, et paries Fílium, allelúja.

Ant. Dabit ei Dóminus sedem David patris ejus: et regnábit in aetérnum.

Ant. Ecce ancílla Dómini: fiat mihi secúndum verbum tuum.

Capitul.

Isaiae 11.

Egrediétur virga de radíce Jesse, et flos de radíce ejus ascéndet, et requiéscet super eum Spíritus Dómini.

Hymnus.

En clara vox redárguit
Obscúra quaeque, pérsonans:
Procul fugéntur sómnia:
Ab alto Jesus prómicat.

Mens jam resúrgat tórpida,
Non ámplius jacens humi:
Sidus refúlget jam novum,
Ut tollat omne nóxium.

En Agnus ad nos míttitur
Laxáre gratis débitum:
Omnes simul cum lácrymis
Precémur indulgéntiam

Ut cum secúndo fúlserit,
Metúque mundum cínxerit,
Non pro reátu púniat,
Sed nos pius tunc prótegat.

Virtus, honor, laus, glória
Deo Patri cum Fílio,
Sancto simul Paráclito,
In saeculórum saecula.
Amen.

℣. Spíritus Sanctus supervéniet in te.

℟. Et virtus Altíssimi obumbrábit tibi.

Ad Benedictus, Ant. Super sólium David, et super regnum ejus sedébit in aetérnum.

ORATIO

Deus, qui de beátae Maríae Vírginis útero Verbum tuum, Angelo nuntiánte, carnem suscípere voluísti; praesta supplícibus tuis; ut qui vere eam Genitrícem Dei crédimus, ejus apud te intercessiónibus adjuvémur. Per eúmdem Dóminum etc.

Deinde fit commem. Feriae.

AD TERTIAM.

Ant. Ave María.
Cap. Egrediétur.

℟. *br.* Tu exúrgens, Dómine, * Miseréberis Sion. Tu exúrgens.

℣. Quia tempus miseréndi ejus, quia venit tempus. Miseréberis. Glória Patri. Tu exúrgens.

℣. Roráte coeli désuper, et nubes pluant Justum.

℣. Aperiátur terra, et gérminet Salvatórem.

AD SEXTAM.

Ant. Ne timeas María.

Capitul.

Isaiae 7. c.

Ecce Virgo concípiet, et páriet filium; et vocábitur nomen ejus Emmánuel; butyrum, et mel cómedet, ut sciat reprobáre malum, et elígere bonum.

℟. *br.* Roráte coeli désuper, * Et nubes pluant Justum. Roráte.

℣. Aperiátur terra, et gérminet Salvatórem. Et nubes. Glória Patri. Roráte.

℣. Emítte Agnum, Domine, dominatórem terrae.

℣. De petra desérti ad montem filiae Sion.

AD NONAM.

Ant. Ecce Ancílla Dómini.

Capitul.

Isaiae 45.

Roráte coeli désuper, et nubes pluant Justum; aperiátur terra, et gérminet Salvatórem, et justítia oriátur simul: ego Dóminus creávi eum.

℟. *br.* Emítte Agnum, Dómine, * Dominatórem terrae. Emítte.

℣. De petra desérti ad montem filiae Sion. Dominatórem. Glória Patri. Emítte.

℣. Spíritus Sanctus supervéniet in te.

℟. Et virtus Altíssimi obumbrábit tibi.

In secundis Vesperis omnia dicuntur ut in primis, praeter 5. Antiphonam, cujus loco dicitur sequens.

De fructu ventris tui ponam super sedem tuam.

Psal. Meménto, Dómine. Ps. 131.

Ad Magnif. Ant. O Virgo Vírginum, quómodo fiet istud? Quia nec primam símilem visa es, nec habére sequéntem. Fíliae Jerúsalem quid me admiramini? Divínum est mystérium hoc, quod cérnitis.

ORATIO

Deus, qui de Beátae Maríae

Vírginis útero Verbum tuum, Angelo nuntiánte, carnem suscípere voluísti: praesta supplícibus tuis; ut qui vere eam Genitricém Dei crédimus, ejus apud te intercessiónibus adjuvémur. Per eúmdem Dóminum etc.

Pro commem. Adventus, Ant. O.

FESTA JANUARII.

DOMINICA II. POST EPIPH.
In Festo SS NOMINIS JESU.
Duplex 2. Classis.

Occurrente Dominica Septuagesimae reponitur hoc festum (quoad Officium) in diem 28 Januarii tamquam in sedem propriam; (translato quocumque alio Festo, si alicubi occurrat, nisi sit altioris ritus) et tunc legitur Lectio jx. de S. Agnete secundo et fit de ea commem. in Laudibus tantum. Ita decrevit Sac. Rit. Congr.

Sed advertendum, quod, in fine ℣. ℟. *et Antiphonarum omittitur* Alleluja, *similiter et in* ℟. *brevibus Horarum, quia erit post Septuagesimam.*

AD VESPERAS

Ant. Omnis, qui invocáverit nomen Dómini salvus erit.

Psal. Dixit Dóminus, *cum reliquis de Dominica; et loco ultimi, Psalm.* Crédidi.

Ant. Sanctum et terríbile nomen ejus; inítium sapiéntiae timor Dómini.

Ant. Ego autem in Dómino gaudébo, et exultábo in Deo Jesu meo.

Ant. A solis ortu usque ad occásum laudábile nomen Dómini.

Ant. Sacrificábo hóstiam láudis, et nomen Dómini invocábo.

Capitul.

Philip. 2.

Fratres, Christus humiliávit semetípsum, factus obédiens usque ad mortem, mortem áutem Crucis: propter quod et Deus, exaltávit illum, et donávit illi nomen quod est super omne nemen, ut in nómine Jesu: omne genuflectátur.

Hymnus.

Jesu dulcis memória,
Dans vera cordis gáudia,
Sed super mel, et ómnia,
Ejus dulcis praeséntia,
Nil cánitur suávius,
Nil audítur jucúndius,
Nil cogitátur dúlcius,
Quam Jesus Dei Fílius.
Jesu, spes poeniténtibus,
Quam pius es peténtibus!

Quam bonus te quaeréntibus!
Sed quid inveniéntibus?
Nec lingua valet dícere,
Nec líttera exprímere;
Expértus potest crédere,
Quid sit Jesum dilígere.
Sis, Jesu, nostrum gáudium
Qui es futúrus praemium:
Sit nostra in te glória
Per cuncta semper saecula.
Amen.

℣. Sit nomen Dómini benedictum, allelúja.

℟. Ex hoc nunc, et usque in saecúlum allelúja.

Ad Magn. Ant. Fecit mihi magna qui potens est, et sanctum nomen ejus, allelúja.

ORATIO.

Deus, qui unigénitum Fílium tuum constituísti humáni géneris Salvatórem, et Jesum vocari jussísti: concéde propítius, ut cujus sanctum nomen venerámur in terris, ejus quoque aspéctu perfruámur in coelis. Per eúmdem Dóminum etc.

Fit commemor. Dominicae.

Ad Completor. et per Horas in fine Hymnorum dicitur, Jesu, tibi sit glória, qui natus es de Vírgine.

Ad Matut. Invitat. Admirábile nomen Jesu, quod est super omne nomen, * Veníte adorémus.

Psalm. Veníte.

Hymnus.

Jesu, Rex admirábilis,
Et triumphátor nóbilis,
Dulcédo ineffábilis,
Totus desiderábilis.
Quando cor nostrum vísitas,
Tunc lucet ei véritas,
Mundi viléscit vánitas,
Et intus fervet cháritas.
Jesu, dulcédo córdium,
Fons vivus, lumen méntium,
Excédens omne gáudium,
Et omne desidérium.
Jesum omnes agnóscite,
Amórem ejus póscite;
Jesum ardénter quaerite,
Quaeréndo inardéscite.
Te nostra, Jesu, vox sonet,
Nostri te mores éxprimant,
Te corda nostra díligant,
Et nunc, et in perpétuum.
Amen.

In I. Noct. Ant. Dómine Dóminus noster, quam admirábile est nomen tuum in univérsa terra!

Psalm. Dómine Dóminus noster, *cum reliquis ut in Officio parvo B. M. Psalmus vero iste incipitur a secundo versu.* Quóniam eleváta est.

Ant. In nómine Jesu omne genu flectátur, coeléstium, terréstrium, et infernórum.

Psalm. Coeli enárrant.

Ant. Confitémini Dómino, et invocáte nomen ejus; mementóte, quóniam excélsum est nomen ejus.

Psalm. Dómini est terra.

℣. Propter nomen tuum, Dómine, propitiáberis peccáto meo.

℟. Multum est enim.

De Actibus Apostolórum.

Lectio. I.

Cap. 3.

Petrus áutem, et Joánnes ascendébant in templum ad horam oratiónis nonam. Et quidam vir, qui erat cláudus ex útero matris suae, bajulabátur, quem ponébant quotídie ad portam templi, quae dícitur Speciósa, ut péteret eleemósynam ab introeúntibus in templum. Is cum vidísset Petrum et Joánnem incipiéntes introíre in templum, rogábat, ut eleemósynam accíperet. Intuens áutem in eum Petrus cum Joánne, dixit: Réspice in nos. At ille intendébat in eos, sperans se áliquid acceptúrum ab eis. Petrus áutem dixit: Argéntum, et áurum non est mihi: quod áutem hábeo, hoc tibi do: In nómine Jesu Christi Nazaréni surge, et ámbula. Et apprehénsa manu ejus dextera, allevávit eum. Et prótinus consolidátae sunt bases ejus, et plantae. Et exíliens stetit, et ambulábat: et intrávit cum illis in templum, ámbulans, et exíliens, et láudans Deum.

℟. Ecce concípies, et páries fílium; et vocábis nomen ejus Jesum: Ipse enim salvum fáciet pópulum suum a peccátis eórum.

℣. Vocátum est nomen ejus Jesus, quod vocátum est ab Angelo, priúsquam in útero conciperétur. Ipse enim.

Lectio II.

Et vidit omnis pópulus eum ambulántem, et laudántem Deum. Cognoscébant áutem illum, quod ipse erat, qui ad eleemósynam sedébat ad Speciósam portam Templi: et impléti sunt stupóre, et éxtasi in eo, quod contígerat illi. Cum tenéret áutem Petrum, et Joánnem, cucúrrit omnis pópulus ad eos ad pórticum, quae appellatur Salomónis, stupéntes. Videns autem Petrus, respóndit ad pópulum: Viri Israelítae, quid mirámini in hoc, aut nos quid intuémini, quasi nostra virtúte aut potestáte fecérimus hunc ambuláre? Deus Abraham et Deus Isaac, et Deus Iacob, Deus patrum nostrórum glorificávit Fílium suum Jesum, quem vos quidem tradidístis, et negástis ante fáciem Piláti, judicánte illo dimítti. Vos autem sanctum et justum negástis, et petístis virum homicídam donári vobis: Auctórem vero vitae interfecístis, quem Deus suscitávit a mórtuis, cujus nos

testes sumus. Et in fide nóminis ejus hunc, quem vos vidístis et nostis, confirmávit nomen ejus: et fides, quae per eum est, dedit íntegram sanitátem istam in conspéctu ómnium vestrum.

℟. Benedíctum est nomen tuum, Deus patrum nostrorum, qui, cum irátus fúeris misericórdiae recordáberis: * Et in témpore tribulatiónis peccáta dimíttis.

℣. Et benedíctum nomen majestátis tuae in aeternum, qui facis mirabília solus. Et.

Lectio III.

Cap. 4.

Factum est áutem in crástinum, ut congregaréntur príncipes eórum, et senióres, et scribae in Jerúsalem, et Annas princeps sacerdótum, et Cáiphas, et Joánnes, et Alexánder, et quotquot erant de génere sacerdotáli, et statuéntes eos in médio, interrogábant: In qua virtúte, aut in quo nómine fecístis hoc vos? Tunc replétus Spíritu Sancto Petrus dixit ad eos: Príncipes pópuli, et Senióres, audíte: Si nos hódie dijúdicámur in benefácto hóminis infirmi, in quo iste salvus factus est, notum sit ómnibus vobis, et omni plebi Israel, quia in nómine Dómini nostri Jesu Christi Nazaréni, quem vos crucifixístis, quem Deus suscitávit a mórtuis, in hoc iste astat coram vobis sanus. Hic est lapis, qui reprobátus est a vobis aedificántibus, qui factus est in caput ánguli; et non est in álio áliquo salus. Nec enim áliud nomen est sub coelo datum homínibus, in quo opórteat nos salvos fieri.

℟. Laudábo nomen tuum assídue: * Et collaudábo illud in confessióne.

℣. Laetábor et exultábo in te: psallam nómini tuo, Altíssime. Et collaudábo. Glória. Et collaudábo.

In II. Nocturno. Ant. Mémores erunt nóminis tui, Dómine, in omni generatióne et generatiónem.

Psalm. Eructávit.

Ant. Magnificáte Dóminum mecum, et exaltémus nomen ejus in idípsum.

Psalm. Deus noster refúgium.

Ant. Omnes Gentes quascúmque fecísti, vénient et adorábunt coram te Dómine, et glorificábunt nomen tuum.

Psalm. Fundaménta.

℣. Propter glóriam nóminis tui, Dómine, líbera nos.

℟. Et propítius esto peccátis nostris propter nomen tuum.

Sermo Sancti Bernárdi Abbátis.

Serm. 15. super Cantic. circa medium.

Lectio IV.

Non otióse Spíritus Sanctus nomen sponsi óleo cómparat cum ita dóceat, sponsam ad sponsum clamáre: Oleum effúsum nomen tuum. Oleum enim lucet, pascit, et ungit: fovet ignem, nutrit carnem, lenit dolórem: lux, cibus, medicína. Vide idem nunc, et de sponsi nómine. Lucet praedicátum, pascit recogitátum, invocátum lenit, et ungit. Et percurrámus síngula. Unde putas in toto orbe tanta et tam súbita fidei lux, nisi de praedicáto nómine Jesu? Nonne in hujus nóminis luce Deus nos vocávit in admirábile lumen suum, quibus illuminátis, et in lúmine isto vidéntibus lumen dicat mérito Páulus: Fuístis aliquándo ténebrae, nunc autem lux in Dómino.

℟. Sperent in te qui novérunt nomen tuum: * Quóniam non dereliquísti quaeréntes te, Dómine.

℣. Exúrge, Dómine, ádjuva nos, et líbera nos propter nomen tuum. Quóniam.

Lectio V.

Hoc dénique Nomen coram régibus, et géntibus, et filiis Israel portáre jussus est idem Apóstolus, et portábat nomen tamquam lumen, et illuminábat pátriam, et clamábat ubíque: Nox praecéssit, dies autem appropinquávit; abjiciámus ergo ópera tenebrárum, et induámur arma lucis, sicut in die honéste ambulémus. Et monstrábat ómnibus lucérnam super candelábrum annúntians in omni loco Jesum, et hunc crucifixum. Quómodo lux ista resplénduit, ac perstrínxit cunctórum intuéntium óculos, quando de ore Petri, tamquam fulgur egrédiens, cláudi unius corporáles plantas solidávit et bases, multósque spirituáliter caecos illuminávit? Numquid non ignem sparsit, cum ait: In Nómine Jesu Christi Nazaréni surge, et ámbula?

℟. Confiteámur nómini tuo magno: * Quóniam terríbile, et sanctum est.

℣. Hi in cúrribus, et hi in equis; nos autem in nómine Dómini Dei nostri invocábimus. Quóniam.

Lectio VI.

Nec tantum lux est nomen Jesu, sed est et cibus. An non tóties confortáris, quóties recordáris? Quid aeque mentem cogitántis impínguat? Quid ita exercitátos réparat sensus, virtútes róborat, végetat mores bonos atque honéstos, castas fovet affectió-

nes? Aridus est omnis ánimae cibus si non óleo isto infúnditur, insípidus est, si non hoc sale condítur. Si scribas, non sapit mihi, nisi légero ibi Jesum. Si dísputes, aut cónferas, non sapit mihi, nisi sonúerit ibi Jesus. Jesus mel in ore, in áure melos, in corde júbilus. Sed est et medicína. Tristátur áliquis nostrum? Véniat in cor ejus Jesus, et inde sáliat in os: et ecce ad exórtum nóminis lumen, núbilum omne diffugit, redit serénum. Lábitur quis in crimen? Currit ínsuper ad láqueum mortis desperándo? Nonne, si ínvocet nomen vitae, conféstim respirábit ad vitam?

℟. Laeténtur omnes, qui sperant in te, Dómine, in aetérnum exultábunt et habitábis in eis, et gloriabúntur in te omnes, * Qui díligunt nomen tuum.

℣. Dòmine in lúmine vultus tui ambulábunt, et in nómine tuo exultábunt tota die. Qui. Glória Patri. Qui.

In III. Noct. Ant. Cantáte Dómino, et benedícite nómini ejus; annuntiáte de die in diem salutáre ejus.

Psalm. Cantáte Dómino.

Antiph. Secúndum nomen tuum Deus, sic et laus tua in fines terrae; justítia plena est déxtera tua.

Psalm. Dóminus regnávit, exúltet.

Ant. Cantáte Deo, psalmum dícite nómini ejus, iter fácite ei, qui ascéndit super occásum: Dóminus nomen illi.

Psalm. Cantáte.

℣. Afférte Dómino glóriam, et honòrem.

℟. Afférte Dómino glóriam nómini ejus.

Léctio Sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio VII.

Cap. 2. b.

In illo témpore: Postquam consummáti sunt dies octo, ut circumciderétur Puer, vocátum est nomen ejus Jesus. Et réliqua.

Homilia sancti Bernárdi Abbátis.

Serm. 1. de Circumcis.

Magnum et mirábile Sacraméntum. Circumcíditur Puer, et vocátur Jesus. Quid sibi vult ista connéxio? Circumcísio nempe magis salvándi, quam Salvatóris, esse vidétur: et Salvatórem circumcídere pótius decet, quam circumcídi. Sed agnósce mediatórem Dei et hóminum, qui ab ipso nativitátis suae exórdio, divi-

nis humána sóciat, ima summis. Náscitur ex muliere; sed cui foecunditátis fructus sic accédat, ut non décidat flos virginitátis. Pannis invólvitur: sed panni ipsi Angélicis láudibus honorántur. Abscónditur in praesépio: sed próditur radiánte stella de Coelo. Sic et circumcísio veritátem suscéptae probat humanitátis; et nomen, quod est super omne nomen, glóriam índicat majestátis. Circumcíditur tamquam verus Abrahae filius; Jesus vocátur tamquam verus Fílius Dei.

℟. Tribulatiónem, et dolórem invéni: * Et nomen Dómini invocávi.

℣. Turris fortíssima nomen Dómini, in ipso sperávi, et adjútus sum. Et nomen.

Bened. Divínum auxílium.

Lectio VIII.

Neque enim ad instar priórum meus iste Jesus nomen vácuum aut ináne portat. Non est in eo magni nóminis umbra, sed véritas. Coelitus síquidem índitum nomen Evangelísta testátur, quod vocátum est ab Angelo, priúsquam in útero conciperétur. Et atténde verbi profunditátem; postquam natus est Jesus. Jesus vocátur ab homínibus, qui vocátus est ab Angelo, priúsquam in útero conciperétur. Idem quippe et Angeli Salvátor, et hóminis, sed hóminis ab incarnatióne, Angeli ab inítio creatúrae. Vocátum est, ait, nomen ejus Jesus quod vocátum est ab Angelo. In ore ergo duórum, vel trium téstium stat omne verbum: et ipsum, quod in Prophéta abbreviátum maniféstius in Evangélio légitur, caro factum.

℟. Expectábo nomen tuum Dómine; * Quóniam bonum est in conspéctu sanctórum tuórum.

℣. Ut confiteámur nómini sancto tuo, et gloriémur in láude tua. Quóniam. Glória Patri. Quóniam.

Nona Lectio Homiliae Dom. 2. post Epiph. Si contingat transferri 9. lectio erit quae sequitur, nisi occurrat simplex.

Lectio IX.

Mérito sane, dum circumcíditur puer, qui natus est nobis, Salvátor vocátur: quod vidélicet ex hoc jam coeperit operári salútem nostram, immaculátum illum pro nobis sánguinem fundens. Neque enim jam quaerere est Christiánis, cur volúerit Dóminus Christus circumcídi. Propter hoc síquidem circumcísus est, propter quod natus, propter

quod passus. Nihil horum propter se, sed ómnia propter eléctos. Nec in peccáto génitus, nec a peccáto circumcísus, nec mórtuus est pro peccáto suo; magis áutem propter delícta nostra. Quod vocátum est, inquit, ab Angelo, priúsquam in útero conciperétur. Vocátum plane, non impósitum. Nempe hoc ei nomen est ab aetérno. A natúra própria habet, ut sit Salvátor: innátum est ei nomen hoc, non índitum ab humána, vel angélica creatúra.

Te Deum laudámus.

Ad Laud. et per Hor. Ant.

Oleum effúsum nomen tuum, ídeo adolescéntulae dilexérunt te.

Psalm. Dóminus regnávit, *cum reliquis de Dominica, ut in Psalterio.*

Ant. Scitóte, quia Dóminus ipse est Deus, cujus nomen in aetérnum.

Ant. Sitívit ánima mea ad nomen sanctum tuum, Dómine.

Ant. Benedíctum nomen glóriae tuae sanctum, et laudábile, et superexaltátum in saecula.

Ant. Júvenes et vírgines, senes cum junióribus laudáte nomen Dómini, quia exaltátum est nomen ejus solíus.

Capitul.

Philip. 2.

Fratres, Christus humiliávit semetípsum, factus obédiens usque ad mortem, mortem áutem Crucis: propter quod et Deus, exaltávit illum, et donávit, illi nomen, quod est super omne nomen: ut in nómine Jesu omne genu flectátur.

Hymnus.

Jesu, decus Angélicum,
In áure dulce cánticum,
In ore mel miríficum,
In corde nectar coelicum.
Qui te gustant, esúriunt;
Qui bibunt, adhuc sítiunt;
Desideráre nésciunt,
Nisi Jesum, quem díligunt.
O Jesu mi dulcíssime,
Spes suspirántis ánimae!
Te quaerunt piae lácrymae,
Te clamor mentis íntimae.
Mane nobíscum, Dómine,
Et nos illústra lúmine;
Pulsa mentis calígine,
Mundum reple dulcédine.
Jesu, flos Matris vírginis,
Amor nostrae dulcédinis,
Tibi laus, honor Nóminis,
Regnum beatitúdinis. Amen.

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini.

℟. Qui fecit coelum, et terram.

Ad Benédictus, Ant. Dedit se, ut liberáret pópulum, et acquíreret sibi nomen aetérnum, allelúja.

ORATIO.

Deus, qui Unigénitum Fílium tuum constituísti humáni géneris Salvatórem, et Jesum vocári jussísti: concéde propítius; ut cujus sanctum nomen venerámur in terris, ejus quoque aspéctu perfruámur in coelis. Per eúmdem Dóminum etc.

Deinde fit com. Dom.

AD PRIMAM

℟. *br.* Christe Fili etc.

℣. Qui natus es de María Vírgine.

AD TERTIAM

Ant. Scitóte.

Capitul.

Fratres, Christus *ut supra.*

℟. *brev.* Sit nomen Dómini benedíctum. Allelúja, allelúja. Sit nomen.

℣. Ex hoc nunc, et usque in saeculum, Allelúja, allelúja.

Glória Patri. Sit nomen.

℣. Afférte Dómino glóriam et honórem, allelúja.

℟. Afférte Dómino glóriam nómini ejus, allelúja.

AD SEXTAM

Ant. Sitívit.

Capit.

Philip. 2.

In nómine Jesu omne genu flectátur coeléstium, terréstrium, et infernórum; et omnis lingua confiteátur, quia Dóminus Jesus Christus in glória est Dei Patris.

℟. *br.* Afférte Dómino glóriam et honórem, * Allelúja, allelúja. Afférte.

℣. Afférte Dómino glóriam nómini ejus. Allelúja, allelúja. Glória Patri. Afférte.

℣. Magnificáte Dóminum mecum, allelúja.

℟. Et exaltémus nomen ejus in idípsum, allelúja.

AD NONAM

Ant. Júvenes et vírgines.

Cap.

Col. 3.

Omne quodcúmque fácitis in verbo, aut in ópere, ómnia in nómine Dómini Jesu Christi fácite, grátias agéntes Deo, et Patri per ipsum.

℟. *br.* Magnificáte Dóminum mecum, * Allelúja, allelúja. Magnificáte.

℣. Et exaltémus nomen ejus in idípsum. Allelúja, allelúja. Glória Patri. Magnificáte.

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini, allelúja.

℟. Qui fecit coelum et terram, allelúja.

In secundis Vesperis omnia dicuntur sicut in primis.

Ad Magnif. Ant. Vocábis nomen ejus Jesum: Ipse enim salvum fáciet pópulum suum á peccátis eórum, allelúja.

ORATIO

Deus, qui Unigénitum. *ut supra.*

Fit commemoratio Dominicae.

DIE XIV. JANUARII

In Festo S. HILARII EP. C. et D. DUPLEX.

In utrisque Vesp. Ant. O doctor òptime, Ecclésiae sanctae lumen, beáte Hilari, divínae legis amátor, deprecáre pro nobis Fílium Dei.

Oratio

Deus, qui pópulo tuo aetérnae salútis beátum Hilárium ministrum tribuísti: praesta quaesumus, ut quem Doctórem vitae habúimus in terris, intercessórem habére mereámur in coelis. Per Dóminum.

Et fit com. S. Felicis Presbyt. et Matyr. Ant. Iste sanctus ℣. Glória et honóre.

Oratio.

Concéde quaesumus omnípotens Deus: ut ad meliórem vitam Sanctórum tuórum exémpla nos próvocent; quátenus quorum solémnia ágimus, étiam actus imitémur. Per Dóminum.

Ad Mat. in hymno Iste Conféssor, *dicatur.* Méruit suprémos.

In primo Nocturno Lectiones de Script. occurr.

IN II. NOCTURNO.

Lectio IV.

Hilárius in Aquitánia nobili génere natus, doctrína et eloquéntia excélluit. Qui primum in matrimónio quasi mónachi vitam egit: deínde propter singuláres virtútes Pictavórum Epíscopus creátur: quod munus Episcopále sic gessit, ut a fidélibus summam laudem consequerétur. Quo témpore, cum terróribus, bonórum spoliatióne, exílio,

et omni crudelitáte Constántius Imperátor Cathólicos vexáret, nisi ad Ariánas partes transírent, Hilárius tamquam firmíssimum murum se Ariánis oppónens, illórum furórem in se concitàvit. Itaque multis petítus insídiis, tandem dolo Saturníni Arelaténsis Epíscopi, de Synodo Biterrénsi in Phrygiam relegátus est: ubi et mórtuum suscitávit, et libros duódecim scripsit de Trinitáte contra Ariános.

℟. Invéni David.

Lectio V.

Quadriénnio post coácto Concílio ad Seleucíam Isáuriae urbem, Hilárius adésse compúlsus est: ac deínde Constantinópolim proféctus, ubi extrémum Fídei perículum animadvértit, tribus libéllis públice datis, audiéntiam Imperátoris popóscit, ut de Fide cum adversáriis coram disputáret. Verum cum Ursácius et Valens Ariáni Epíscopi, quos Hilárius scriptis confutárat, praeséntis eruditiónem pertiméscerent; Constántio persuasérunt, ut spécie honóris eum in suum Episcopátum restitúeret. Tunc Hilàrium e praelio haereticórum reverténtem, ut inquit sanctus Hierónymus, Galliárum Ecclésia compléxa est: quem ad Episcopátum secútus est Martínus, qui póstea Turonénsi praefuit Ecclésiae: tantùmque illo doctóre profécit, quantum ejus póstea sánctitas declarávit.

℟. Pósui adjutórium.

Lectio VI.

Magna deínceps tranquillitáte Pictavórum Ecclésiam administrávit: Galliámque univérsam addúxit, ut Arianórum impietátem condemnáret. Multos libros scripsit mira eruditióne: quos omnes sanctus Hierónymus ad Laetam, sine ulla erróris suspicióne legi posse testátur illis verbis: Hilárii libros inofiénso decúrrat pede. Migrávit in coelum Idibus Januárii, Valentiniáno et Valénte Imperatóribus, anno post Christum natum trecentésimo sexagésimo nono. Eum a multis Pátribus et Concíliis insígnem Ecclésiae Doctórem nuncupátum, atque uti talem, in áliquot dioecésibus cultum, tandem instánte Synodo Burdigalénsi Pius nonus Póntifex Máximus ex Sacrórum Rítuum Congregatiónis consúlto, univérsae Ecclésiae Doctórem declarávit et confirmávit, ac ipsíus festo die Missam et Officium de Doctóribus ab ómnibus recitári jussit.

℟. Iste est qui ante Deum.

In tertio Nocturno Hom. S. Hilarii Ep. in Ev. Vos estis sal terrae *et ix lect. cum com. S. Felicis Presb. m. ut in festo ejusd. S. Hilarii die xiv. Januarii in Brev.*

DIE XXIII. JANUARII

In Festo DESPONSATIONIS B. M. V. cum S. JOSEPH. Duplex majus.

Ad Vesperas. Ant. Desponsátio gloriósae, *cum reliq. de Laudib. Ps.* Dixit Dóminus, *cum reliq. de B. Maria, ut in ejus Officio parvo.*

Capitulum

Eccl. 24. b.

Ab inítio, et ante saecula créata sum, et usque ad futúrum saeculum non désinam, et in habitatióne sancta coram ipso ministrávi.

Hymnus.

Ave Maris Stella. etc.

℣. Desponsátio est hódie Sanctae Maríae Vírginis.

℟. Cujus vita ínclyta cunctas illústrat Ecclésias.

Ad Magnif. Ant. Gloriósae Vírginis Maríae Desponsatiónem digníssimam recolámus quae et Genitrícis dignitátem obtínuit, et virginálem pudicítiam non amísit.

ORATIO.

Fámulis tuis, quaesumus Dómine, coeléstis grátiae munus impertíre: ut quibus Beátae Vírginis partus éxtitit salútis exórdium, Desponsatiónis ejus votíva solémnitas, pacis tríbuat increméntum. Per Dóminum.

Deinde fit commemor. S. Joseph, ante alias quascumq. commem. etiam Festi duplicis aut Dominicae.

Ant. Exúrgens Joseph a somno, fecit sicut praecépit ei Angelus Dómini, et accépit cónjugem suam.

℣. Constítuit eum Dóminum domus suae.

℟. Et príncipem omnis possessiónis suae.

ORATIO

Sanctíssimae Genitrícis tuae Sponsi quaesumus, Dómine, méritis adjuvémur: ut, quod possibílitas nostra non óbtinet, ejus nobis intercessióne donétur.

Postea fit comm. SS. MM. Vincentii, et Anastasii, nec non S. Emerentianae V. et M. ut in Brev.

Ad Matut. Invitator. Desponsatiónem Vírginis Maríae celebrémus, * Christum ejus Fílium adorémus Dóminum.

Psalm. Venite.
Hymn. Quem terra.
Antiphonae, Psalmi, et ℣℣. Noct. ut in Officio parvo B. Mariae.

In I. Nocturno.

Incípiunt Cantica canticórum.

Lectio I.

Cap. 1.

Osculétur me ósculo oris sui: quia melióra sunt úbera tua vino, fragrántia unguéntis óptimis. Oleum effúsum nomen tuum: ideo adolescéntulae dilexérunt te: Trahe me: post te currémus in odórem unguentórum tuórum. Introdúxit me Rex in cellária sua: exultábimus et laetábimur in te, mémores úberum tuórum super vinum: recti díligunt te. Nigra sum, sed formósa, filiae Jerúsalem, sicut tabernácula Cedar, sicut pelles Salomónis.

℟. Hodie desponsáta est Beáta Virgo María ex progénie David: * Per quam salus mundi credéntibus appáruit: cujus vita gloriósa lucem dedit saeculo.

℣. Desponsatiónem Beátae Mariae Vírginis cum gáudio celebrémus. Per quam.

Lectio II.

Nolíte me consideráre quod fusca sim, quia decolorávit me sol: filij matris meae pugnavérunt contra me, posuérunt me custódem in víneis, víneam meam non custodívi. Indica mihi, quem díligit ánima mea, ubi pascas, ubi cubes in merídie, ne vagári incípiam post greges sodálium tuórum. Si ignóras te o pulchérrima inter mulíeres, egrédere, et abi post vestígia gregum, et pasce hoedos tuos juxta tabernácula pastórum. Equitátui meo in cúrribus Pharaónis assimilávi te, amíca mea. Pulchrae sunt genae tuae sicut túrturis: collum tuum sicut monília.

℟. Beatíssimae Vírginis Maríae Desponsatiónem devotíssime celebrémus: * Ut ipsa pro nobis intercédat ad Dóminum Jesum Christum.

℣. Cum jucunditáte Desponsatiónem Beátae Maríae Vírginis devotíssime celebrémus. Ut.

Lectio III.

Murénulas áureas faciémus tibi, vermiculátas argénto. Dum esset Rex in accúbitu suo, nardus mea dedit odórem suum. Fascículus myrrhae diléctus meus mihi, inter úbera mea commorábitur. Botrus Cypri diléctus meus mihi, in víneis Engáddi. Ecce tu pulchra es amíca mea, ecce tu pulchra es: óculi tui columbárum. Ecce tu pulcher es diléctε mi, et

decórus. Léctulus noster flóridus: tigna domórum nostrárum cédrina, laqueária nostra cypréssina.

℟. Gloriósae Vírginis Mariae Desponsatiónem dignissimam recolámus: * Cujus Dóminus humilitátem respéxit, quae Angelo nuntiánte, concépit Salvatórem mundi.

℣. Beatíssimae Vírginis Maríae Desponsatiónem devotíssime celebrémus. Cujus. Glória Patri. Cujus.

In II. Nocturno.

Sermo Sancti Bernárdi Abbátis.

Ex Hom. 2. sup. Missus est.

Lectio IV.

Oportébat a príncipe mundi aliquándiu celári divíni consílii Sacraméntum: non quod Deus si palam opus suum fácere vellet, impedíri posse ab illo metúeret, sed quia ipse, qui non solum poténter, sed étiam sapiénter quaecúmque vóluit, fecit, sicut in ómnibus opéribus suis quasdam rerum, vel témporum congruéntias propter órdinis pulchritúdinem serváre consuévit: ita in hoc quoque tam magnífico ópere suo, nostrae vidélicet reparatiónis, non tantum poténtiam suam, sed et prudéntiam osténdere vóluit.

℟. Desponsátio gloriósae Vírginis Mariae ex sémine Abrahae, ortae de tribu Juda, clara ex stirpe David: * Cujus vita ínclyta cunctas illústrat Ecclésias.

℣. Hódie desponsáta est Beáta Virgo María ex progénie David. Cujus.

Lectio V.

Convéniens ergo erat, ut suáviter quoque ómnia, caeléstia scílicet, et térrena dispóneret, quátenus et illinc dejíciens inquiétum, réliquos in pace firmáret: et hic debellatúrus ínvidum, nobis prius suae humilitátis, et mansuetúdinis valde necessárium exémplum relínqueret; sicque mirábili fieret moderámine sapiéntiae, ut et suis suávis, et hóstibus fortis apparéret.

℟. Cum jucunditáte Desponsatiónem Beátae Maríae celebrémus; * Ut ipsa pro nobis intercédat ad Dóminum Jesum Christum.

℣. Corde et ánimo Christo canámus glóriam in hac sacra solemnitáte praecélsae Genitrícis Dei Mariae. Ut ipsa.

Lectio VI.

Quid enim prodésset diábolum a Deo vinci, nobis ma-

néntibus supérbis? Necessário ígitur desponsáta est María Joseph, quando per hoc et cánibus sanctum abscónditur, et a Sponso virgínitas comprobátur, et Vírginis tam verecúndiae párcitur, quam famae providétur. Quid sapiéntius? Quid dígnius divína providéntia? Uno tali consílio secrétis coeléstibus, et admíttitur testis, et exclúditur hostis, et íntegra servátur fama Vírginis Matris.

℟. Desponsátio tua, Dei Génitrix Virgo, gáudium annuntiávit univérso mundo: * Ex te enim ortus est Sol justítiae Christus Deus noster: * Qui solvens maledictiónem, dedit benedictiónem, et confúndens mortem, donávit nobis vitam sempitérnam.

℣. Benedícta tu in muliéribus, et benedíctus fructus ventris tui. Ex te. Glória Patri. Qui.

IN III. NOCTURNO

Léctio S. Evangélii secundum Matthaeum.

Lectio VII.

Cap. 1.

Cum esset desponsáta mater Jesu María Joseph, ántequam convenírent, invénta est in útero habens de Spíritu Sancto. Et réliqua.

Homilía Sancti Hierónymi Presbyteri.

Lib. 1. *Comment. in cap.* 1. *Matth.*

Quare non de símplici Vírgine, sed de desponsáta concípitur? Primum, ut per generatiónem Joseph, orígo Maríae monstrarétur: secúndo, ne lapidarétur a Judaeis ut adúltera: tértio, ut in Ægyptum fúgiens habéret solátium. Martyr Ignátius étiam quartam áddidit causam, cur a desponsáta concéptus sit: Ut partus, ínquiens, ejus celarétur diábolo, dum eum putat non de Vírgine, sed de uxóre generátum.

℟. Beátam me dicent omnes generatiónes: * Quia fecit mihi Dóminus magna, qui potens est, et sanctum nomen ejus.

℣. Et misericórdia ejus a progénie in progénies timéntibus eum. Quia.

Benedictio. Cujus festum cólimus, ipsa Virgo Vírginum etc.

Lectio VIII.

Antequam convenírent, invénta est in útero habens de Spíritu Sancto. Non ab álio invénta est, nisi a Joseph, qui

pene licéntia maritáli futúrae uxóris ómnia nóverat. Quod autem dícitur, ántequam convenírent, non séquitur, ut póstea convénerint, sed Scriptúra, quod factum non sit, osténdit.

℟. Felix namque es sacra Virgo María, et omni laude digníssima: * Quia ex te ortus est sol justítiae: * Christus Deus noster.

℣. Ora pro pópulo, intérveni pro Clero, intercéde pro devóto foemineo sexu; séntiant omnes tuum juvámen, quicúmque célebrant tuam sanctam Desponsatiónem. Quia, Glória. Christus.

Lectio IX.

Emerentiána virgo Romána, collactánea beátae Agnétis, adhuc catechúmena, fide, et charitáte flagrans, furéntes in Christiános, idolórum cultóres cum veheméntius accusáret, a concitáta multitúdine lapídibus óbruta est. Quae in cruciátibus orans ad sepúlchrum sanctae Agnétis, próprio sánguine, quem pro Christo constánter effúdit, baptizáta, ánimam Deo réddidit.

Nona Lectio S. Emerentianae Virg. et Mart. ut supra, nisi fuerit Dominica. Si hoc festum contingat transferri 9. *lectio sequens.*

Lectio IX.

Joseph autem vir ejus cum esset justus, et nollet eam tradúcere, vóluit occúlte dimíttere eam. Si quis fornicáriae conjúngitur, unum corpus efficitur, et in lege praecéptum est, non solum reos, sed et cónscios críminum obnóxios esse peccáti; quómodo Joseph cum crimen celáret uxoris, justus scríbitur? Sed hoc testimónium Mariae est, quod Joseph sciens illíus castitátem, et admírans quod evénerat, celat siléntio, cujus mystérium nesciébat.

Ad Laudes, et per Horas.
Ant.

Desponsátio gloriósae Vírginis Maríae ex sèmine Abrahae, ortae de tribu Juda, clara ex stirpe David.

Psalm. Dóminus regnávit. *cum reliq. de Dominica.*

Ant. Desponsátio est hódie sanctae Maríae Vírginis, cujus vita ínclyta cunctas illústrat Ecclésias.

Ant. Regáli ex progénie María exórta refúlget, cujus précibus nos adjuvári mente, et spíritu devotíssime póscimus.

Ant. Corde et ánimo Christo canámus glóriam, in hac sacra solemnitáte praecélsae Genitrícis Dei Maríae.

Ant. Cum jucunditáte Desponsatiónem Beátae Maríae celebrémus, ut ipsa pro nobis intercédat ad Dóminum Jesum Christum.

Capitulum.

Eccl. 24. *b.*

Ab início, et ante saecula creáta sum, et usque ad futúrum saeculum non désinam, et in habitatióne sancta coram ipso ministrávi.

Hymnus.

O gloriósa Vírginum.

℣. Desponsátio est hódie Sanctae Maríae Vírginis.

℟. Cujus vita ínclyta, cunctas illústrat Ecclésias.

Ad Benedictus, Ant. Desponsatiónem hodiérnam perpétuae Vírginis Genitrícis Dei Maríae solémniter celebrémus, qua celsitúdo throni procéssit, allelúja.

ORATIO.

Fámulis tuis, quaesumus Dómine, coeléstis grátiae munus impertíre; ut quibus Beátae Vírginis partus éxtitit salútis exórdium, Desponsatiónis ejus votíva solémnitas pacis tríbuat increméntum. Per Dóminum.

Deinde fit comm. S. Joseph.

Ant. Ipse Jesus erat incípiens, quasi annórum trigínta, ut putabátur filius Joseph.

℣. Os justi meditábitur sapiéntiam.

℟. Et lingua ejus loquétur judícium.

ORATIO.

Sanctíssimae Genitrícis tuae Sponsi quaesumus, Dómine, méritis adjuvémur: ut quod possibílitas nostra non óbtinet ejus nobis intercessióne donétur.

Postea fit commemor. S. Emerent. Virg. et Mart.

Ant. Símile est.

℟ Diffúsa etc.

Oratio ut in 1. *Vesp.*

Ad Horas, Ant. sumuntur ex Laudib. ut supra. Capit. et ℟. *br. prout in Officio Sanctae Mariae in Sabbato.*

In secundis Vesperis, Ant. Psalmi., Cap., Hymnus, et ℣. *ut in primis Vesp.*

Ad Magn. Ant. Desponsátio tua Dei Génitrix Virgo gáudium annuntiávit universo mundo; ex te enim ortus est Sol justítiae Christus, Deus noster, qui solvens maledictiónem, dedit benedictiónem, et confúndens mortem, donávit nobis vitam sempitérnam.

Oratio. Fámulis tuis, *ut sup.*

Deinde fit comm. S. Joseph.

Ant. Ecce fidélis servus, et prudens, quem constítuit Dóminus super famíliam suam.

℣. Glória, et divítiae in domo ejus.

℟. Et justítia ejus manet in saeculum saeculi.

Oratio. Sanctíssimae Genitrícis tuae, *ut supra.*

Postea fit commem. S. Timothei Episc. et Mart.

Ant. Iste Sanctus.

℣. Glória, et honóre.

Oratio. Infirmitátem, *ut in Breviario.*

DIE XXVI. JANUARII.

In Festo Translationis S. Zenobii *Ep. Flor. et Conf.* Duplex.

Omnia de Comm. C. Pont. praeter ea quae sequuntur.

ORATIO.

Deus, qui in sacra Beáti Zenóbii Confessóris tui atque Pontíficis Translatióne nova mirácula suscitásti; concéde quaesumus, ut ejus intercedéntibus méritis in coeléstem glóriam transférri mereámur. Per Dóminum etc.

Ad Matutinum.

Hymnus.

O Flos colénde Praesulum,
Fidélium cor récrea,
Reple tuam coeléstibus
Odóribus Floréntiam.

Praeclára postquam díxerat
Te Cívitas Antístitem,
Spernis, fugísque pátrias
Desiderátus ínfulas.

Sed sacra Pastor múnera
Obíre jussus, íncolis
Virtúte praestas ómnibus,
Gratus Deo, et mortálibus.

Divína praebes pábula,
Potu, cibóque témperans:
Fidémque conciónibus,
Miraculísque próvehis.

Posséssa dudum crímine
Tu voce corda líberas,
Et vita, quos relíquerat
Vocas in áuras lúminis.

Deo Patri sit glória,
Ejúsque soli Fílio,
Cum spíritu Paráclito,
Nunc, et per omne saeculum.
Amen.

In I. Noct. Lect. de Scr. occurr.

IN II. NOCTURNO

Lectio IV.

Succésserat sancto Zenóbio in Episcopátu Florentíno Andréas ejúsdem pátriae civis, sanctitáte ítidem clarus, qui cum vidéret sepúlchrum sancti Antístitis Zenóbii, in Ambrosiána Beáti Lauréntii Ecclésia situm, novis quotídie miráculis a Deo illustrári, ut

pòpuli concúrsus in Cathedráli Ecclésia augerétur, sanctíque viri corpus honorificéntius colerétur, státuit illud eo transférre, et communicáto consílio cum Clero, et majòribus Civitátis, convocatísque finitimárum úrbium Epíscopis, ad séptimum Kaléndas Februárii hanc celebritátem indíxit.

℟. Invéni etc.

Lectio V.

Ad statútam ígitur diem, praecedénte univérso clero, comitántibus magistrátu Civitátis et pópulo, cum hymnis, et cánticis, capsam cum córpore sancti Viri super quodam léctulo ornatíssime compósitam, suppósitis húmeris Epíscopi deferébant: qui cum ad platéam Baptistérii perveníssent, áccidit ut prae nímia pópuli frequéntia, et devotióne opprimeréntur, sacrúmque pignus ad ulmum áridam, vetustámque perferrétur, quae contáctu illo véluti géstiens, repénte in frondes, ac flores erúpit. Arbore deínde pópuli devotióne discérpta, marmórea colúmna, impósita cruce, eódem loco in miráculi testimónium erécta est.

℟. Pósui.

Lectio VI.

Interim cum ad fores Ecclésiae perveníssent, conarentúrque Epíscopi, qui vehébant sacrum onus, Ecclésiae inférre, divína quadam vi repúlsi, ne ultra prógredi possent, clamaréntque cives ad Ambrosiánam sancti Lauréntii reportándum: Andréas Epíscopus spei plenus, flexis génibus, ne contristarétur pópulus, eníxe Deum rogávit, ut piis votis adésset, spondens se pro tanto benefício duódecim cléricos in ea Ecclésia constitúrum, qui in sancti Zenóbii honórem divínis obséquiis perpétuo vacárent. Voto nuncupáto, surgens, manum, humerósque óneri suppónens, sócios Epíscopos hortátus, subláto impediménto, in Ecclesiam Cathedrálem Sancti Salvatóris sacrum pignus invéxit: ubi qui áderant, benedicéntes Deum, sancti Antístitis corpus honorificentíssime condidérunt. Cum áutem ex novi templi constructióne, et dispositióne, minus nóbili loco jacéret, anno Dómini millésimo quadrigentésimo nono, praesénte Eugénio quarto Pontífice Máximo cum Cardinálibus, et Pátribus, Floréntiae tunc témporis ad Concílium

generále congregátis, iterum translátum est, et in sacéllo ipsíus honóri dicáto honorificéntius depósitum.

℟. Iste est etc.

In III. Noct. Homil S. Hilarii Episc. in Evangel. Vigiláte, quia nescítis etc. *de Commun. Conf. Pontif.* 2. *loco.*

DIE XXVIII. JANUARII.

ASS. EX IV. EJUSD.

In Festo S. Titi *Ep. et Conf.* Duplex. Ex Decreto Urbis et Orbis 18. Maii 1854.

Omnia de Communi Confessorum Pontificum praeter sequentia.

In Hymno dicitur: Méruit suprémos.

ORATIO.

Deus, qui beátum Titum Confessórem tuum atque Pontíficem apostólicis virtútibus decórasti; ejus méritis et intercessióne concéde, ut juste et pie vivéntes in hoc saeculo, ad coeléstem pátriam perveníre mereámur. Per Dóminum.

Deinde fit com. S. Joann. Chrisost. et S. Agnetis V. M. secundo Ant. Stans a dextris ℣. Spécie tua. *or.* Deus, qui nos ánnua *etc. ut in Brev.*

IN I. NOCTURNO

Lectiones de Script. occurr. Si transferatur in Quadragesimam « Fidélis Sermo » *de eodem Communi.*

IN II. NOCTURNO

Lectio IV.

Titum Creténsium Epíscopum, vix Pauli Apóstoli verbo christiánae fídei, sacraméntis, mysteriísque excúltum, ea sanctitátis luce Ecclésiae tunc vagiénti effulsísse compértum est, ut inter ejúsdem Doctóris géntium discípulos merúerit cooptári. Adscítus in partem óneris praedicatiónis, ádeo evangelizandi ardóre, et fidelitáte Paulo éxtitit charus ut ipse cum venísset Tróadem propter Evangélium Christi testátus sit, non habuísse réquiem spirítui suo, eo quod Titum fratrem suum ibi non invénerit. Et paulo post Macedòniam petens rursus suam in eum charitátem ita éxprimit: Sed qui consolátur húmiles, consolátus est nos Deus in advéntu Titi.

℟. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum: * Manus enim mea auxiliábitur ei.

℣. Nihil profíciet inimícus in eo, et filius iniquitátis non nocébit ei. Manus.

Lectio V.

Quamóbrem Coríntbum ab Apóstolo missus, ea sapiéntia et lenitáte legatiónis hujus múnere functus est, quae praesértim de Fidélium pietáte eleemósynas colligéndas ad sublevándam Ecclésiae Hebraeórum inópiam spectábat, ut Coríntbios non solum in Christi fide continúerit, sed étiam desidérium, fletum, aemulatiónem inter eos pro Paulo, qui illos primus instítuit, excitáverit. Ad effundéndum ínterim inter gentes, linguis locísque distínctas, divíni verbi semen plúribus terra maríque itinéribus reléctis, magnáque ánimi firmitáte pro Crucis trophaeo curis laboribúsque exantlátis, una cum duce Paulo Cretae ínsulam áppulit. Cum porro huic Ecclésiae Epíscopus ab ipso Apóstolo deléctus esset, dubitándum non est, quin in eo múnere ita versátus sit, ut juxta ipsíus Pauli praeceptóris mónita, se ipsum praebúerit exémplum bonórum óperum in doctrína, in integritáte, in gravitáte.

℟. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea: * Manus enim mea auxiliábitur ei.

℣. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. Manus.

Lectio VI.

Itaque tamquam lucérna inter eos, qui in idololatríae et mendaciórum ténebris, véluti in umbra mortis, sedébant, religiónis jubar diffúdit. Tráditur eum inter Dálmatas, ut Crucis vexíllum explicáret, strénue consudásse. Tandem meritórum, et diérum plenus, quarto supra nonagésimum anno, prídie nonas Januárii pretiósa justórum morte obdormívit in Dómino, et sepúltus est in Ecclésia, ubi ab Apóstolo miníster fúerat constitútus. Hujus nomen a sancto Joánne Chrysóstomo et a sancto Hyerónimo praecípue commendátum, Martyrológio Románo eádem die inscríptum légitur; verum pro ejus die festo cum Officio et Missa in cathólico orbe recoléndo ab utróque clero, primam insequéntem diem líberam summus Póntifex Pius Nonus assignávit.

℟. Iste est, qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et omnis terra doctrína ejus repléta est: * Ipse intercédat pro peccátis ómnium populórum.

℣. Iste est, qui contémpsit vitam mundi, et pervénit ad coeléstia regna. Ipse Glória Patri. Ipse.

IN III. NOCTURNO

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio VII.

Cap. 10.

In illo témpore: Designávit Dóminus et álios septuagínta duos: et misit illos binos ante fáciem suam in omnem civitátem et locum, quo erat ipse ventúrus. Et réliqua.

Homilía S. Gregórii Papae.

Hom. 17. *in Evang.*

Dóminus et Salvátor noster, fratres charíssimi, aliquándo nos sermónibus, aliquándo vero opéribus ádmonet. Ipsa étenim facta ejus praecépta sunt: quia dum áliquid tácitus facit, quid ágere debeámus innotéscit. Ecce enim binos in praedicatiónem discípulos mittit: quia duo sunt praecépta charitátis, Dei vidélicet amor, et próximi: et minus quam inter duos cháritas habéri non potest. Nemo enim próprie ad semetípsum habére charitátem dícitur: sed diléctio in álterum tendit ut cháritas esse possit.

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum, stolam glóriae índuit eum: * Et ad portas paradísi coronávit eum.

℣. Induit eum Dóminus lorícam fidei, et ornávit eum. Et ad portas.

Lectio VIII.

Ecce enim binos ad praedicándum discípulos Dóminus mittit: quátenus hoc nobis tácitus ínnuat, quia qui charitátem erga álterum non habet, praedicatiónis officium suscípere nullátenus debet. Bene áutem dícitur, quia misit eos ante fáciem suam in omnem civitátem, et locum, quo erat ípse ventúrus. Praedicatóres enim suos Dóminus séquitur: quia praedicátio praevenit, et tunc ad mentis nostrae habitáculum Dóminus venit, quando verba exhortatiónis praecúrrunt: atque per hoc véritas in mente suscípitur.

℟. Sint lumbi vestri praecíncti, et lucérnae ardéntes in mánibus vestris: * Et vos símiles homínibus expectántibus dóminum suum, quando revertátur a núptiis.

℣. Vigiláte ergo, quia nescítis, qua hora Dóminus vester ventúrus sit. Et vos. Glória Patri. Et vos.

Si transferatur in Quadragesimam IX. Lectio dicitur de Hom. fer. currentis.

Lectio IX.

Beáta Agnes, paréntibus ad ejus sepúlchrum assídue vigilántibus, quadam nocte choro vírginum comitáta cum apparuísset, sic ad eos locúta dícitur: ne me, paréntes, mórtuam lugeátis: nam una cum his virgínibus vivo apud illum in coelis, quem in terris tota mente diléxi. Cum áliquot post annos Constántia, Constantíni imperatóris filia, insanábili úlceri medicínam quaerens, nondum christiána ad idem sepúlchrum accessísset obdormíscens sibi audíre visa est vocem hanc Agnétis: Constánter age, Constántia; Crede in Jesum Christum Fílium Dei, qui te sanam fáciet. Quae sanáta, páulo post una cum multis ex família imperatóris baptísmum suscípiens, ibi ecclésiam nómine beátae Agnétis aedificávit.

Te Deum laudámus.

In Laudib. fit com. S. Agnetis V. M. secundo.

Ant. Ecce quod concupívi, jam vídeo; quod sperávi, jam téneo: ipsi sum juncta in coelis, quem, in terris pósita, tota devotióne diléxi.

℣. Diffúsa etc.

ORATIO

Deus, qui nos ánnua beátae Agnétis vírginis et mártyris tuae solemnitáte laetíficas, da quaesumus, ut quam venerámur officio, étiam pie conversatiónis sequámur exémplo. Per Dóminum.

FESTA FEBRUARII.

DIE I. FEBRUARII

In Festo S. Verdianae *Virg. Fl. reclusae, dupl. Omnia de comm. Virg praeter ea, quae sequuntur. Orat.* Exáudi nos etc. *de Comm.*

In I. Noct. Lect. de Script. occurr.

In II. Nocturno.

Lectio IV.

Verdiána in Castro Florentíno ex illústri Attavantórum família nata, a prima aetáte oratiónis, et abstinéntiae stúdiis dédita, dúrius quoddam vitae genus duodénnis aggréssa est, multísque a Deo miráculis honoráta. Haec cum diligénter considerásset quidam illíus consanguíneus vir opuléntus, eam in domum suam accépit custódem, et adjutrícem cónjugis suae: sed cum in annónae caritáte páuperum misérta, legúmina Dómini sui in eósdem erogáret, ita in illa iracúndia exársit

ut ad clamórem vicíni accúrrerent. Verdiána vero cum a Deo opem implorásset, arcam legumínibus plenam dómino osténdit, qui eo mirá-culo motus, eámdem deínceps summa veneratióne prosecútus est. Ad Compostéllam póstea cum quibúsdam piis muliéribus, atque inde Romam ad veneránda sanctórum Apostolórum límina peregrinatiónem aggréssa, cum domum revertísset anno millésimo centésimo nonagésimo secúndo, Régulae Benedictínae sub strictióri Vallisumbrosánae Congregatiónis observántia se addíxit, in qua inclusárum rigórem ampléxa, ipsum juventútis florem Dómino consecrávit, multísque jejúniis, et afflictiónibus carnem suam castigávit. Nam vino perpétuo abstínuit, paviméntum pro lecto hábuit, férreo cíngulo, et cilício corpus cinxit, in crástinum nihil resérvans, in páuperes ómnia, quae frugalíssimae mensae detráhere póterat, erogávit. Passiónem Domínicam quotídie cum lácrymis recolébat, et a collóquiis hóminum ita abhórruit, ut nec quidem vocáta respondéret.

℟. Propter etc.

Lectio V.

Cum váriis aerúmnis exercéri ad magni Antónii imitatiónem expéteret, bini serpéntes, qui summo horróri tenérrimae Vírgini erant, per fenéstram céllulae ingréssi, ab ea deínceps, máxime dum mensae accúmberet, non recessérunt: quin et cáudis gráviter flagellábant, nisi, et illis cibum porrígeret, aut eódem ex vase pasci síneret. Hos dum Epíscopus Florentínus, qui ad eam inviséndam vénerat expéllere vellet, ipsa, ne tali patiéntiae exercítio privarétur exorávit. Quae abscissas cáudas illis restítuit crucis Domínicae signo supra serpéntes formáto, qui tamen illi magis inffésti post accéptum benefícium extitérunt, donec uno ab íncolis interémpto, alter deínceps non compáruit: ex quo Verdiána diem suprémum sibi instáre intelléxit.

℟. Dilexísti etc.

Lectio VI.

Cláruit exímia, miraculórum virtúte, nam aquam prodigióse in vinum vertit; fractum púeri genu, et bráchium curávit, caecam puéllam, palma impósita, vidéntem réddidit, áliaque plura miraculóse patrávit. Demum trigésimo reclusiónis anno dum Psalmos Poenitentiáles recitáret, puríssimum spíritum Deo réddidit Kaléndis Fe-

bruárii anno millésimo ducentésimo vigesimo secúndo, cujus mortem campánae sponte sonántes publicárunt. Concúrsu proínde Cleri, populíque facto ad céllulam, et muro díruto, sacrum ejus corpus repértum est in génua eréctum, sublátis in coelum mánibus, et miram efflans coeléstis odóris fragrántiam, quod pro confluéntium solátio dies séxdecim inhumátum, insígnibus intérea miráculis illustrátum fuit: quibus diligénti inquisitióne perspéctis, Clemens séptimus Póntifex Máximus Officio ecclesiástico coli mandávit.

℟. Afferéntur etc.

In III. Noct. Hom. in Ev. Símile erit etc. *de eod Comm.*

DIE II. FEBRUARII

Festum PURIFICATIONIS B. M. V. in *Metropolit. dup.* 1. *cl.; extra vero dup.* 2. *cl. et ubique celebrat. cum oct. Omn. dicunt. ut in Brev.*

DIE III. FEBRUARII

Secunda die infra oct. Purificationis B. M. V.

In Festo S. Blasii Ep. et M. semidupl.

In I. Noct. Lect. de Script. occur.

In II. Noct. Lect. IV. Blásius Sebáste etc. *ut in Brev. Lect. V. et VI.* De exposition. S. Ambros. Ep. Príncipes persecúti, *ut in Comm.* 1. *Mart.* 2. *loco.*

In III. Noct. Homil. S. Gregorii Pp. in Ev. Si quis vult post me veníre etc. *de eod. Commun.* 2. *loc., et fit comm. octav.*

DIE VI. FEBRUARII

Quinta die infra oct. Purific. B. M. V. semid. Omnia ut in die Fest. praeter ea quae sequuntur.

In I. Noct. Lect. de Script. occurr.

IN II. NOCTURNO

Ex libro S. Epiphánii Epíscopi advérsus haereses.

Lib. 3. *haeresi* 78. *post med.*

Lectio IV.

Beáta Mater Dei María per Hevam significátur quae, per aenígma accépit, ut mater vivéntium vocétur. Illa étenim mater vivéntium vocáta est, étiam postquam audívit, terra es, et in terram revertéris, post transgressiónem. Et

mirum est, quod post transgressiónem hoc magnum cognómen hábuit. Et quod quidem pértinet ad rem sensíbilem, ab illa Heva omnis hóminum generátio dedúcta est in terra: hic áutem vere a María haec vita mundo génita est, ut vivéntem gígneret, et fieret María mater vivéntium: per aenígma ígitur María Mater vivéntium appelláta est.

℟. Símeon justus etc.

Lectio V.

Hevae datum est operíre corpus sensíbile propter nuditátem sensíbilem: Maríae vero datum est a Deo, ut páreret nobis Agnum, et ovem et ex glória ipsíus Agni, et ovis fieret nobis velut a véllere in sapiéntia per virtútem ipsíus induméntum incorruptibilitátis. Heva étiam mortis cáusa facta est homínibus: per ipsam enim mors ingréssa est in mundum: María vero cáusa vitae, per quam génita est nobis vita, et per hanc Fílius Dei advénit in mundum: et ubi abundávit peccátum, ibi superabundávit et gratia: et unde illáta est mors, illinc procéssit et vita, ut vita pro morte fieret: et qui per mulíerem nobis vita factus est, mortem ex mulíere indúctam exclúderet. Et quóniam illic Heva, cum adhuc esset virgo, per inobediéntiam transgréssa est: e contrário per Vírginem obediéntia grátiae facta est, annuntiáto advéntu in carne de coelo, et vita aetérna.

℟. Respónsum accépit etc.

Lectio VI.

De María accípitur (líceat mihi hoc dícere) quod scriptum est de Ecclésia: Relínquet homo patrem suum, et matrem suam, et adhaerébit uxóri suae: et erunt duo in carne una. Sanctus áutem Apóstolus dicit: Mystérium hoc magnum est, ego áutem dico in Christo et Ecclésia. Et vide Scripturárum accurrátam dicéndi proprietátem, quod de Adam quidem dixit, formávit: de Heva vero non formátam esse, sed aedificátam. Accépit enim, inquit, unam de costis ejus, et aedificávit ipsi in uxórem. Quo osténdat, Dóminum quidem de María efformásse sibi ipsi corpus, ab ipsa vero costa aedificátam esse Ecclésiam, in eo quod punctum et apértum est ipsíus latus, et mystéria sánguinis, et aquae prétia redemptiónis facta sunt.

℟. Cum indúcerent etc.

IN III. NOCTURNO

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio VII.

Cap. 2. *c.*

In illo témpore: postquam impléti sunt dies purgatiónis Maríae secúndum legem Móysi, tulérunt Jesum in Jerúsalem, ut sísterent eum Dómino, sicut scriptum est in lege Dómini. Et réliqua.

Homilía Venerábilis Bedae presbyteri.

Tom. 7. *Hyem. post init.*

Praecépit Dóminus in Lege ut qui posset, agnum pro fílio, vel filia simul et túrturem, sive colúmbam offérret: qui vero non sufficeret ad offeréndum agnum, duos jam túrtures, vel duos colúmbae pullos offérret. Ergo Dóminus nostrae per ómnia memor salútis, non solum homo fieri, cum Deus esset, sed étiam cum dives esset, páuper fieri dignátus est pro nobis, ut nos sua paupertáte simul et humanitáte, divitiárum et divinitátis suae donáret esse partícipes.

℟. Suscípiens etc.

Lectio VIII.

Sed libet paulísper intuéri, cur hae máxime vólucres in hóstiam Dómino jubéntur offérri: nam et Abraham Patriárcha, tanto ante legem, has in holocáustum Dómino légitur obtulísse, et in plerísque legis caeremóniis, qui mundándus esset, per has jubebátur mundári. Colúmba ergo simplicitátem, turtur índicat castitátem; quia et colúmba simplicitátis, et castitátis amátor est turtur, ita ut si cónjugem casu perdíderit, non áliam ultra quaerere curet. Mérito ergo turtur, et colúmba Dómino offerúntur in hóstiam, quia nimírum simplex, et pudíca fidélium conversátio gratum est illi sacrifícium justítiae.

℟. Senex etc.

Lectio IX.

De S. Dorothea.

Doróthea virgo, ex Caesaréa Cappadòciae, propter Christi confessiónem ab Aprício Praeside comprehénsa, Chrystae, et Callístae soróribus, quae a fide defécerant, trádita est, ut eam a propósito removérent. Sed contra factum est: nam

cas Doróthea ad cultum Christiánae religiónis redúxit, propter quam étiam martyrium suscepérunt. Quare virgo equúleo diu torta, et palmis caesa, ad extrémum cápitis damnáta, duplicátam virginitátis et martyrii palmam accépit. Te Deum.

In Laudib. fit com. S. Dorotheae V. M. Ant. Símile ℣. Spécie tua. *Or.* Indulgentiam.

DIE VIII. FEBRUARII

Septima die infra oct. Purific. B. M. V.

In Festo S. Petri Ignei *Flor. Card. Ep. Alb. et Conf. dupl.*

Omnia de Comm. Conf. Pont. praeter ea, quae sequuntur.

Oratio. Da quaesumus, omnípotens Deus, ut Beáti Petri Ignei etc.

In I. Noct. Lect. de Script. occur. in Quadrag. vero Fidélis sermo *de Comm.*

IN II. NOCTURNO.

Lectio VI.

Petrus ex nobilíssima Aldobrandescórum gente Floréntiae natus est, cum Desidérius Soanénsium Comes ejus pater pro Imperatóre Henríco sancto illi Urbi praesidéret. Puer septénnis sancto Joánni Gualbérto Vallisumbrósae Abbáti a Patre ejus consobríno commendátus, ac Mónachi hábitu indútus, tanto se dignum magístro insígni sanctitáte probávit. Ea síquidem humilitáte, et obediéntia enítuit, ut licet in delíciis educátus, pécora páscere, et asellórum curam ágere jussus, non erubésceret, sed ómnibus mundi honóribus extrémam illam abjectiónem praeférret. Inde ad altióra provéctus, cum sancto Patri insígne monastérium Passinianénse resignátum fuísset, ad reformándum Petrus eídem praeféctus, mónachos ac presbyteros ibídem degéntes ad perféctam monástici Ordinis disciplínam redúxit. Orta áutem cum esset dissénsio in pópulo Florentíno propter Simoníacos, quos máxime aversabátur sanctíssimus Abbas Joánnes, Petrus cum beáto Rodúlpho Romam missus, ibíque male vexátus, cum sóciis imperfécto ópere Floréntiam rédiit.

℟. Invéni David etc,

Lectio V.

Postulántibus vero Mediolanénsibus, cum eódem Rodúlpho, aliísque mónachis in Insúbriam permeáre coáctus, una cum Ariáldo Diácono Mediolanénsi, (qui Petro instánte cucúllum índuit Val-

lumbrosánum, et qui ab haeréticis trucidátus, Martyr efféctus est) et cum Herembáldo Duce, máxime contra Nicolaítas, et Simoníacos profécit, ut pene tota Gállia Cisalpína ab haeresi liberarétur. Revocàtus in pátriam, et fervénte adhuc ódio inter Clerum, et Mónachos, cum venerábilis Abbas Joánnes incássum sua verba procédere comperíret: quóniam, inquit, verba non prosunt, veniámus ad signa. Mox rogus duòdecim pedum extrúitur, intra quem parva sémita, qua uníus tantum hóminis persóna transíre posset, relínquitur, quae ex accénsis lignis, ne áliquis ibi locus a flamma vacáret, constérnitur. Tum Petro discípulo suo (qui ex hoc facto Igneus appellátus est) praecépit, ut per accénsi rogi flammas indubitánter intráret. Qui jússui Patris obtémperans, postquam Deo sacrifícium óbtulit, cásula se expólians ad ignem venit, et magna voce Deum orávit, ac sanctae Crucis se signáculo múniens, per médias flammas constánter ingréssus est.

℣. Pósui etc.

Lectio VI.

Cum ígitur úndique esset flammis circúmdatus, et cum omnes jam consúmptum putárent, súbito ex ália parte, Christi grátia comitánte, egrédiens prosilívit; cumque jam pene ex igne debéret égredi, vidit se máppulam in mánibus non gestáre et in ignem sibi eam cecidísse consíderans, per médias íterum flammas revértitur, et secum máppulam éxtrahens reportávit, ut non modo vestiménta, sed ne capíllus quidem laesus viderétur ab igne: quo viso miráculo, qui áderant imménsas Deo egérunt grátias, atque in unum, abjécta haeresi, conjúncti sunt. Exínde Petrus Abbas Ficiclénsis eléctus est, et assúmpto ad Pontificátum beáto Gregório séptimo, Cardinális Epíscopus Albanénsis creátus, plúrimum in tolléndis gravíssimi schísmatis semínibus laborávit, eodémque pro negótio legatiòne in Germánia perfúnctus, felicióri póstea succéssu in Gálliam legátus, multa praeclára pro reparánda Ecclesiástica disciplína gessit. Sénio tandem conféctus, et méritis plenus, anno salútis millésimo nonagésimo quarto, sanctíssima vita functus est, et in suo Vallisumbrósae monastério apud sacram turrim sepúltus, ubi et caeteri Sancti, ac Beáti illíus Ordinis quiéscunt.

℟. Iste est etc.

In III. Noct. Homil. In Ev.

Homo péregre, *ut in eod. Comm.* 1. *loco.*

DIE IX. FEBRUARII.

Octava Purificat. B. M. V. dup.

In I. Noct. Il. de Script. occur.

In II. Nocturno.

De Expositióne S. Gregórii Papae in libros Regum.

Lectio IV.

In 1. *Regum.* 1.

Fuit vir unus de Ramáthaim Sophim, de monte Ephraim. Potest hujus montis nómine beatíssima semper virgo María Dei génitrix designári. Mons quippe fuit, quae omnem eléctae creatúrae altitúdinem, electiónis suae dignitáte transcéndit. An non mons sublímis María, quae ut ad concéptiónem aetérni Verbi pertíngeret, meritórum vérticem supra omnes Angelórum choros, usque ad sólium Deitátis eréxit? Hujus enim montis praecellentíssimam dignitátem Isaías vatícinans, ait: Erit in novíssimis diébus praeparátus mons domus Dómini in vértice móntium. Mons quippe in vértice móntium fuit, quia altitúdo Maríae supra omnes Sanctos refúlsit.

℟. Símeon justus etc.

Ex Epístola sancti Leónis Papae ad Pulchériam Augústam.

Lectio V.

Epist. 13. *ante med.*

Sacraméntum reconciliatiónis nostrae ante témpora aetérna dispósitum, nullae implébant figúrae: quia nondum supervénerat Spíritus sanctus in Vírginem, nec virtus Altíssimi obumbráverat ei, ut et intra intemeráta víscera, aedificánte sibi sapiéntia domum, Verbum caro fíeret: et forma Dei, ac forma servi in unam conveniénte persònam, Creátor témporum nascerétur in témpore et per quem facta sunt ómnia, ipse inter ómnia gignerétur. Nisi enim novus homo, factus in similitúdinem carnis peccáti, nostram suscíperet vetustátem, et consubstantiális Patri consubstantiális esse dignarétur et Matri, naturámque sibi nostram solus a peccáto liber uníret; sub jugo diáboli generáliter tenerétur humána captívitas.

℟. Respónsum accépit etc.

De Expositióne S. Basilíi Episc. in Isaíam Prophétam.

Lectio VI.

In cap. 8. *post. init.*

Accéssi, inquit, ad prophetíssam, et in útero accépit,

et péperit Fílium. Quod María Prophetíssa fúerit, ad quam próxime accéssit Isaías per praenotiónem spíritus, nemo contradíxerit, qui sit memor verbórum Maríae, quae prophético affláta spíritu elocúta est. Quid enim ait? Magníficat ánima mea Dóminum, et exultávit spíritus meus in Deo salutari meo: quia respéxit humilitátem ancíllae suae; ecce enim ex hoc beátam me dicent omnes generatiónes. Quod si ánimum accommodáveris univérsis ejus verbis, non útique contentióse negáveris eam fuísse Prophetíssam, quod Dómini spíritus in eam supervénerit, et virtus Altíssimi obumbráverit ei.

℟. Cum indúcerent etc.

IN III. NOCTURNO.

Léctio Sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio VII.

Cap. 2. c.

In illo témpore: Postquam impléti sunt dies purgatiónis Maríae secúndum legem Móysi, tulérunt Jesum in Jerúsalem, ut sisterent eum Dómino, sicut scriptum est in lege Dómini. Et réliqua.

Homilía S. Joánnis Chrysóstomi.

Orat. 7. ut supra.

Lumen ad revelatiónem géntium. Cur lumen? Quia gentes in ténebris versabántur, et quia rursum obscuráta, tetrísque peccatórum ténebris obdúcta, per illud illustránda, et expiánda erant. Et glóriam plebis tuae Israel. Hic glória illic revelátio. Hic Doctrínae inítium, illic disciplínae persecútio. Ast objécerit hic forte quíspiam: dic quaeso, ubi nam sunt Israelítae? Ecce habes Petrum, habes Páulum, habes Joánnem, habes tria míllia, habes quinque míllia, habes Ecclésiam Jerosolymitánam, habes eos praetérea Judaeos, qui inter gentes dispérsi fidem suscepérunt.

℟. Suscípiens Jesum etc.

Lectio VIII.

Itaque asservabátur in pópulo illo fidei semen, neque simul univérsus pessum ivit. Absit neque simul omnes Judaei in intéritum ruérunt, sed plúrimi. Neque id mirum: nam et nunc quoque infelíci hac rerum constitutióne, beatáque vocatióne, multi quidem sunt vocáti páuci vero elécti. Non totus ítaque pópulus ille simul intériit, non totus depravátus est, non totus in infidelitáte permánsit, non totus persecútus est Apóstolos. Cre-

didérunt enim per Apóstolos simul tria míllia extra mulíeres, et párvulos, et facta est Jerosólymis Ecclésia ádmodum numerósa.

℟. Senex etc.

Lectio IX. de S. Apollonia

Apollónia, virgo Alexandrína, sub Décio Imperatóre cum ingravescénte jam aetáte ad idóla sisterétur, ut eis venerationem adhibéret: illis contémptis, Jesum Christum verum Deum coléndum esse praedicábat. Quamóbrem omnes ei contúsi sunt, et evúlsi dentes: ac nisi Christum detestáta deos cóleret, accénso rogo combustúros vivam mináti sunt ímpii carnífices. Quibus illa, se quamvis mortem pro Jesu Christi fide subitúram respóndit. Itaque comprehénsa ut comburerétur cum paulísper, quasi delíberans quid agéndum esset, stetísset, ex illórum mánibus elápsa, álacris in ignem sibi parátum majóri Spíritus sancti flamma intus accénsa, se injécit. Unde brevi consúmpto córpore, puríssimus spíritus in coelum ad sempitérnam martyrii corónam evolávit.

Te Deum.

DIE X. FEBRUARII.

In Festo S. SCHOLASTICAE *Virginis.* Duplex.

Omnia de Communi Virg. praeter ea quae sequuntur.

ORATIO.

Deus, qui ánimam beátae vírginis tuae Scholásticae, ad ostendéndam innocéntiae viam, in colúmbae spécie coelum penetráre fecísti; da nobis ejus méritis, et précibus ita innocénter vívere, ut ad aetérna mereámur gáudia perveníre. Per Dóminum.

Deinde fit commemor. Fer. si celebretur in Quadrag.

In I. Noct. Lectiones de Scriptura occurr.

Si vero celebretur in Quadrages. Lect. de Epist. prima Beati Pauli Apost. De Virgínibus *ut in Comm. Virginum.*

In II. Nocturno.

Ex libro secúndo Dialogórum S. Gregórii Papae.

Lectio IV.

Cap. 33.

Scholástica venerábilis Patris Benedícti soror, omnipo-

ténti Dómino ab ipso infántiae témpore dedicáta, ad eum semel per annum veníre consuéverat, ad quam vir Dei non longe extra jánuam in possessióne Monastérii descendébat. Quadam vero die venit ex more, atque ad eam cum discípulis venerábilis ejus descéndit frater: qui totam diem in Dei láudibus, sacrísque collóquiis ducéntes, incumbéntibus jam noctis ténebris, simul accepérunt cibum. Cumque adhuc mensam sedérent, et inter sacra collóquia tárdior se hora protráheret, éadem sanctimoniális foemina soror ejus eum rogávit, dicens: Quaeso te, ut ista nocte me non déseras, ut usque mane de coeléstis vitae gáudiis loquámur. Cui ille respóndit: Quid est quod lóqueris soror? manére extra cellam nullátenus possum. Tanta vero erat coeli sérénitas, ut ulla in áere nubes apparéret. Sanctimoniális áutem foemina, cum verba fratris negántis audivísset, insértas dígitis manus super mensam pósuit, et caput in mánibus omnipoténtem Dóminum rogatúra declinávit. Cumque leváret de mensa caput, tanta coruscatiónis, et tonítrui virtus, tántaque inundátio plúviae erúpit, ut neque venerábilis Benedíctus, neque fratres, qui cum eo áderant, extra loci limen, quo consé-derant, pedem movére potúerint.

℟. Propter veritátem etc.

Lectio V.

Sanctimonialis quippe foemina, caput in mánibus declínans, lacrymárum flúvium in mensam fúderat, per quas serenitátem áeris ad plúviam traxit. Nec páulo tárdius post oratiónem inundátio illa secúta est; sed tanta fuit conveniéntia orationis, et inundatiónis, ut de mensa caput jam cum tonítruo leváret, quátenus unum idémque esset moméntum, et leváre caput, et plúviam depónere. Tunc vir Dei inter corúscos, et tonítruos, atque ingéntis plúviae inundátiónem videns se ad Monastérium non posse remeáre, coepit cónqueri contristátus, dicens: parcat tibi omnípotens Deus, soror: quid est quod fecísti? Cui illa respóndit: Ecce rogávi te, et audíre me noluísti: rogávi Deum meum, et audívit me; modo ergo, si potes, egrédere, et, me dimíssa, ad Monastérium recéde. Ipse áutem exíre extra tectum non valens qui remanére sponte nóluit in loco, mansit invítus. Sicque factum est, ut totam noctem pervígilem dúcerent, atque per sacra spiritális vitae collóquia,

sese vicária relatióne satiárent.

℟. Dilexísti justítiam etc.

Lectio VI.

Cumque die áltero éadem venerábilis foemina ad cellam própriam recessísset, vir Dei ad Monastérium rédiit. Cum, ecce post tríduum in cella consístens, elevátis in áera óculis, vidit ejúsdem sorória suae ánimam de córpore egréssam, in colúmbae spécie coeli secréta penetráre. Qui tantae ejus glóriae congáudens, omnipoténti Deo in hymnis, et láudibus grátias réddidit, ejúsque óbitum frátribus denuntiàvit. Quos étiam prótinus misit, ut ejus corpus ad Monastérium deférrent, atque in sepúlchro, quod sibi ipsi paráverat, pónerent. Quo facto cóntigit, ut quorum mens una semper in Deo fúerat, eórum quoque córpora nec sepultúra separáret.

℟. Afferéntur Regi etc.

In III. Noct. Homilia in Evang. Símile erit regnum Coelórum decem Virgínibus, *de Comm. Virg.*

DIE XI. FEBRUARII

In Festo BB. SEPTEM FUNDATORUM *Ord. Serv. B. M. V. dup. 2. cl.*

AD VESPERAS

Antiph. Sapiéntia aedificávit, *cum reliquis de Laudibus: Psalm.* Dixit Dóminus *cum reliquis de Dominica, et loco ultimi Psalm.* Laudáte Dóminum omnes gentes.

Capitul.

Ad Heb. 13. 7.

Fratres, mementóte Praepositórum vestrórum, qui vobis locúti sunt verbum Dei, quorum intuéntes éxitum conversatiónis imitámini fidem.

Hymnus.

Festívis résonent cántica plausibus
Et quam Virgo Parens próvida déstinat.
Illústrem sóbolem, lúmine ut ímpleat.
Orbem, láudibus efferant.
Hi sunt qui pátriae sedis honóribus
Calcátis, súperant árdua móntium:
Ut myrrhae lácrymas atque ánimo ferant
Moestam thuris imáginem.
Hos atris décorat véstibus ínclyta.

Virgo, ut, quam súbiit, perníciem fleant.
Cum Nati ingémuit trístia fúnera.
Crucis próxima stípiti.
Servórum título signat ab aethere
Coeléstis Génitrix, et nova gérmina
In partem sóciat luctus, et ímperat.
Coetum hinc súrgere pérpetem
Regis qui súperum vólvere júgiter
Curet supplícium, saevaque praedicet,
Quae in Templo Símeon mente prophética.
Matris vúlnera nóverat.
Acclíni Dóminum Te prece póscimus
Sanctórum résera cómpita gréssibus
Signáta, et páribus nos quoque praebeas
Ad Te pérgere víribus. Amen.

℣. Oráte pro nobis septem Beáti Patres.

℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

In utrisque Vesperis ad Magnific. Antiph. Isti sunt viri misericórdiae, quorum pietátes non defuérunt. Semen eórum, et glória eórum non derelinquétur, allelúja.

ORATIO.

Deus, qui ad recoléndam memóriam dolórum Sanctíssimae tuae Genitrícis per septem Beátos Patres nova Servórum ejus Família Ecclésiam tuam foecundásti, concéde propítius, ita nos eórum consociári flétibus, ut perfruámur et gáudiis. Qui vivis, et regnas etc.

AD MATUTINUM

Invitatorium. Mirábilem Dóminum in Servis Deíparae: * Veníte, adorémus.

Psalmus. Veníte.

Hymnus.

Praeclára septem lúmina
Tusci micántis Aetheris,
Vos Virgo Mater éxcitat,
Ut luce Mundus spléndeat.
Vos labra lacte pérlita
Servos Marìae nóminant:
Tum Virgo vos Senários
Adíre colles ímperat.
Vos ipsa Mater ínclyta
Funébre pállio índuit
Ut defleátis vúlnera,
Quae pértulit saevíssima.
Hoc ipsa caeli e cúlmine
Petro revélat Mártyri,
Jubétque coetum pérpetem
Hinc pósteris constítui,
Qui famuléntur júgiter,
Ipsámque semper díligant,
Colant, propágent, praedicent
Ejus dolóres flébiles.
Quaeso Duces fortíssimi,

Ah vos sequámur strénue;
Ardor, dolórque férvidus
In Vírginem nos óccupent.
Et tu supérna Trínitas
Perfúnde sancto róbore,
Vitámque fac non ímparem
Nostris Beátis dúcere.
Amen.

IN I. NOCTURNO

Antiph. In vértice móntium plantávit Regína Mártyrum víneam justórum qui dolóres ejus meditabántur die, ac nocte.

Psalm. Beátus vir, qui non ábiit, *cum reliquis ut in Communi Confes. non Pontificis.*

Antiph. Dómina dixit ad eos: Fílii mei estis vos: Exultáte, quia ego vos génui, Allelúja.

Antiph. Voce sua ad Dóminam clamavérunt, et exaudívit eos de monte sancto suo.

℣. Laetámini in Dómino, et exultáte justi.

℟. Et gloriámini omnes recti corde.

De Libro Ecclesiástici.

Lectio I.

Cap. 44.

Laudémus viros gloriósos, et paréntes nostros in generatióne sua. Multam glóriam fecit Dóminus magnificéntia sua a saeculo. Dominántes in potestátibus suis, hómines magni virtúte, et prudéntia sua praediti, nuntiántes in Prophétis dignitátem Prophetárum, et imperántes in praesénti pópulo, et virtúte prudéntiae pópulis sanctíssima verba. In perítia sua requiréntes modos músicos, et narrántes cármina scripturárum.

℟. Laetábitur desérta, et ínvia, et exultábit solitúdo: * Et florébit quasi lílium.

℣. Gérminans germinábit, et exultábit laetabúnda, et láudans. Et florébit.

Lectio II.

Hómines dívites in virtúte, pulchritúdinis stúdium habéntes, pacificántes in dómibus suis. Omnes isti in generatiónibus gentis suae glóriam adépti sunt, et in diébus suis habéntur in láudibus. Qui de illis nati sunt reliquérunt nomen narrándi láudes eórum: et sunt, quorum non est memória; periérunt quasi qui non fúerint: et nati sunt, quasi non nati, et filii ipsórum cum ipsis.

℟. Sáliet sicut cervus cláudus, et apérta erit lingua mutórum: * Quia scissae sunt in desérto aquae, et torréntes in solitúdine.

℣. In cubílibus, in quibus prius dracónes habitábant, o-

riétur viror cálami, et junci. Quia.

Lectio III.

Sed illi viri misericórdiae sunt, quorum pietátes non defuérunt: cum sémine eórum pérmanent bona, haeréditas sancta nepótes eórum, et in testaméntis stetit semen eórum: et filii eórum propter illos usque in aetérnum manent: semen eórum, et glória eórum non derelinquétur. Córpora ipsórum in pace sepúlta sunt, et nomen eórum vivit in generatiónem, et generatiónem: sapiéntiam ipsórum narrent pópuli, et láudem eórum núntiet Ecclésia.

℟. Haec est vera fratérnitas, quae regnum mundi, et omnem ornátum saeculi contémpsit,* Propter amórem Dómini Jesu Christi.

℣. Ecce quam bonum, et quam jucúndum habitáre fratres in unum. Propter. Glória Patri. Propter.

IN II. NOCTURNO

Ant. Non diligéntes vanitátem, nec requiréntes mendácium ómnia saeculi bona abdicavérunt, et a Dómino mirificáti sunt.

Ant. In multitúdine misericórdiae Dóminae suae sperántes, introjérunt in domum ejus, et adoravérunt ad templum sanctum ejus.

Ant. Ex ore infántium, et lacténtium servos tuos illos dicéntium perfecísti, Dómina, láudem eórum. Quam admirábile est nomen tuum!

℣. Exúltent justi in conspéctu Dei.

℟. Et delecténtur in laetítia.

Lectio IV.

Décimo tértio Christiáni nóminis saeculo inter álios Florentínos patrícios septem erant avórum sánguine, opibúsque illústres; at virtútibus spectátis suis longe illustrióres, nuncupáti (ut Religióni nomen dedére) Bonfilius Monáldius, Bonajúncta Manétti, Manéttus Antelléensis, Amidéus de Amidéis, Ugúccio Ugucciónius, Sosténeus de Sosténeis, demum Aléxius de Falconériis. Cum hi trigésimo tértio supra millésimum, ac bis centésimum annum auspicatíssimo Assúmptae Vírginis festo, in sodalítio quodam, cui títulus Laudénsium erat, Augustíssimae Dei Genitríci, prout par erat, láudes exsólverent, ab eádem dulcíssime iis apparénte, inopíne monéri se séntiunt ad sublimióris vitae genus, posthábito

mundo, amplecténdum; absolutísque idcírco quibus dabant óperam, láudibus, conféstim pérciti in unum, collatísque mútuo consíliis, supérnis Dei vocantísque Deíparae orâculis parére mox decrevérunt. Quod et sédulo factum est ab iísdem; nam consúlto statim matúre Urbis Epíscopo, post fortúnae abdicátis bonis, erogatísque ample in egénos, cilíciis carni obstríctis, vilióribus detritísque véstibus cinérei colóris indúti, in rurálem parvam aedículam secessérunt natalítio die amantíssimae ipsórum Paréntis; ut vitae sanctióris primórdia óptime inírent, qua die mortálibus orta sacratíssimam vitam ipsa inchoáverat.

℟. Omnes isti congregáti sunt venérunt Dómina, tibi: * Et ómnibus his velut ornaménto vestiéris.

℣. Et circúmdabis tibi eos quasi sponsa. Et ómnibus.

Lectio V.

Sic septem Beáti Viri charitátis foedere devíncti eádem in domo semet uníerant; cum ecce per Urbem visos, statim (Dómino si disponénte, movénteque infantíles voces Deípara) ex infántium ore, ac lacténtium, inter quos tum puer erat sanctus Philíppus Benítius vix quintum mensem ingréssus, se Maríae clamári servos insperáto est audítum. Quanta tunc, et exínde amóris flamma in Dóminam suam, cujus (ignáris ipsis) declaráti servi erant, excitátis stúdiis exárserint, non fácile est explicátu. Illud solum scitur, quod sic ei se dedidérunt, ut véluti Matrem suam venerári, maximóque honóre habére, morem ei gérere in ómnibus, et obtemperáre propter eam cunctis summópere studúerint. Hinc étiam ídeo jucúndi gratíque ei fuére, ut, cum vitatúri pópuli pláusum in Senárium Montem ab ipsa iis praeosténsum habitatúri teténderint, ibíque Crucifíxum Jesum, moestissimámque Matrem doléntes assídue recólerent, appáruit illa eis, habitúque lúgubri assignáto in memóriam Dolórum suórum, ut compateréntur istis, eos consecrávit.

℟. Vocábo servos meos, et índuam illos túnica mea, et cíngulo meo confortábo eos: * Et potestátem meam dabo in mánibus eórum.

℣. Et erunt quasi Patres habitántibus Jerúsalem. Et potestátem.

Lectio VI.

Ita cinerícіis véstibus, indul-

génte étiam Epíscopo, in nigras mutátis, post nonnúllos annos, fortunátis quidem auspíciis, claríssimum illud Praedicatórum Ordinis decus sanctus Petrus martyr Floréntiam accéssit, et audíta inspectáque simul non fucáta sanctimónia ipsórum, ita Dei amíci se coepérunt mútuo dilígere, ut familiaríssime versaréntur ínvicem secum, seséque altérne fovérent. Inter caetera porro illud áccidit, quod speránte ínclyto mártyre honórem Deo non módicum magnum terris cómmodum próditum iri, si propítia Vírgine longe, latéque propagaréntur, una cum ipsis impénse eam exoránte, ut arguménto áliquo voluntátem suam patefáceret, invocáta Virgo amans in visióne ei revelávit, se viros illos septem, et qui ventúri erant post eos, inter mundi hómines omnes ad singuláre servítium suum selegísse, et commiserándis poenis jam latis suis amaríssimis construéndum Ordinem esse ad sui honórem, et glóriam. Hoc prodigióso Virgíneo decréto animáti humíllimi Patres, non quia suae mentis fuísset successóres pósteros gígnere, sed ut jussa reseráta fácerent suprémae eórum Regínae, quae nómine suo duratúram sibi famíliam fundári volúerat, institúere deínceps sacrum Servórum Ordinem decrevérunt, non tam ut primi ejus Fundatóres, quam ut coeléstis suae Fundatrícis minístri obsequéntes; quos proínde Dóminus ut servos bonos, et fidéles suos, ac Matris, in vita multis virtútibus, in morte multis prodígiis, post tránsitum multis miráculis adornávit. Novíssime vero Benedíctus Décimus Tértius, ejus institúti proféssor, cujus sanctus Petrus erat, ejus quoque in eos haeres amóris, Póntifex renunciátus eórum miram institutiónem, ut clarésceret orbi, lectiónibus his recenséri peramánter consúluit, ac mandávit.

℟. Vidi conjúnctos viros habéntes lúgubres vestes, et Angelus Dómini locútus est ad me dicens: * Isti sunt viri sancti facti amíci Dei.

℣. Vidi Angelum Dei fortem volántem per médium coelum, voce magna clamántem et dicéntem. Isti sunt. Glória Patri. Isti sunt.

IN III. NOCTURNO

Ant. Ingrediéntes sine mácula, et operántes justítiam habitavérunt in tabernáculo tuo, et requievérunt in monte sancto tuo.

Ant. Glòriam, et magnum

decòrem imposuísti super eos Regína Mártyrum, cum in memóriam dolórum tuórum lúgubrem vestem eos induísti.

Ant. Haec fuit generátio quaeréntium Dóminam, quaeréntium Stellam ex Jacob. Te laudámus Rex glóriae.

℣. Justi autem in perpétuum vivent.

℟. Et apud Dóminum est merces eórum.

Lectio VII.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Cap. 12.

In illo témpore, dixit Jesus discípulis suis: Nolíte timére pusíllus grex, quia complácuit Patri vestro dare vobis regnum. Et réliqua.

Homilía Venerábilis Bedae Presbyteri.

Lib. 4. *cap.* 54. *in Luc.* 12.

Pusíllum gregem electórum, vel ob comparatiónem majóris número reprobórum, vel pótius ob humilitátis devotiónem nóminat: quia vidélicet Ecclésiam suam quantálibet numerositáte jam dilatátam, tamen usque ad finem mundi humilitáte vult créscere, et ad promíssum regnum humilitáte perveníre. Ideóque ejus labóres blande consolátus, quam regnum Dei [tantum quaerere praecipit, eídem regnum a Patre dandum complácita benignitáte promíttit.

℟. Dábitur lugéntibus Sion coróna pro cínere, óleum gáudii pro luctu, pállium láudis pro spíritu moeróris: * Et vocabúntur fortes justítiae, plantátio Dómini ad glorificándum.

℣. Sacerdótes Dómini vocabúntur, minístri Dei nostri. Et vocabúntur.

Bened. Quorum Festum.

Lectio VIII.

Véndite quae possidétis, et date eleemósynam. Nólite, inquit, timére, ne propter regnum Dei militántibus, hujus vitae necessária desint, quin étiam posséssa, propter eleemósynam véndite. Quod tunc digne fit, quando quis semel pro Dómino suis ómnibus sprelis, nihilóminus post haec labóre mánuum, unde et victum transígere, et eleemósynam dare queat, operátur. Unde gloriátur Apóstolus dicens: Argéntum, et áurum, aut vestem nullíus concupívi; ipsi scitis quóniam ad ea, quae mihi opus erant, et his qui mecum sunt, ministravérunt manus istae. Omnia osténdi vobis, quóniam sic laborántes opórtet suscípere infirmos.

℟. Ego quasi vitis fructifi-

cávi suavitátem odóris: * Et flores mei fructus honóris et honestátis.

℣. Ego Mater pulchrae dilectiónis, et timóris et agnitiónis, et sanctae spei. Et flores mei. Glória Patri. Et flores mei.

Lectio IX.

Fácite vobis sácculos, qui non veteráscunt: eleemósynas vidélicet operándo, quarum merces in aetérnum máneat. Ubi non hoc praecéptum esse putándum est, ut nil pecúniae reservétur a sanctis, vel suis scílicet, vel páuperum úsibus suggeréndae: cum et ipse Dóminus, cui ministrábant Angeli, tamen ad informándam Ecclésiam suam lóculos habuísse legátur, et a fidélibus obláta consérvans, et suórum necessitátibus, aliísque indigéntibus tríbuens: sed ne Deo propter ista serviátur, et ob inópiae timórem justítia deserátur.

Te Deum.

AD LAUDES

ET PER HORAS.

Antiph.

Sapiéntia aedificávit sibi domum, excídit colúmnas septem, allelúja.

Psalm. Dóminus regnávit, *cum reliquis de Laudibus Dominicae.*

Ant. Isti sunt Viri septem boni testimónii, pleni Spíritu Sancto, et sapiéntia.

Ant. Appáruit eis Dómina Angelórum, et diléxit eos in visióne, et in agnitióne magnálium suórum.

Ant. Beáti viri tui, Regína ómnium; beáti servi tui, qui stant coram te semper, allelúja.

Ant. Láudem dícite Deo nostro omnes servi ejus, et qui timétis eum pusílli, et magni.

Capitul.

Ad Hebr. 13. 7.

Fratres, mementóte Praepositórum vestrórum, qui vobis locúti sunt verbum Dei, quorum intuéntes éxitum conversatiónis, imitámini fidem.

Hymnus.

Matris sub Almae Númine
Septéna Proles náscitur.
Ipsa vocánte ad ásperum
Senárii tendit vérticem.
Quos terra fructus próferet,
Dum sacra Proles gérminat,
Uvis repénte túrgidis
Onusta vitis édocet.
Virtúte claros nóbili,

Mors sancta coelo cónsecrat.
Tenéntque olympi límina
Servi fidéles Vírgini.
Gens o beáta réspice
Regno potíta Núminis,
Quos hinc recédens tártari
A fráude cinctos déseris.
Ergo per Almae vúlnera
Matris rogámus súpplices
Mentis tenébras ámove,
Cordísque fluctus cómprime,
Et tu supérna Trínitas
Perfúnde sancto róbore,
Vitámque fac non ímparem
Nostris Beátis dúcere.
Amen.

℣. Exultábunt Sancti in glória.
℟. Laetabúntur in cubílibus suis.

Ad Benedictus Antiph. Fecit misericórdiam Dóminus cum Pátribus nostris; eréxit nobis cornu salútis in domo suae Genitrícis: serviámus illi.

ORATIO.

Deus, qui ad recoléndam memóriam dolórum Sanctíssimae tuae Genitrícis per septem Beátos Patres nova servórum ejus Família Ecclésiam tuam foecundásti, concéde propítius, ita nos eórum consociári flétibus, ut perfruámur et gáudiis. Qui vivis et regnas etc.

AD TERTIAM

Ant. Isti sunt.

Capitulum. Fratres, mementóte, *ut supra.*

℟. *br.* Laetámini in Dómino: * Et exultáte justi. Laetámini.
℣. Et gloriámini omnes recti corde. Et exultáte. Glória Patri. Laetámini.
℣. Exúltent justi conspéctu Dei.
℟. Et delecténtur in laetítia.

AD SEXTAM.

Antiph. Appáruit eis.

Capitulum.

Eccl. 44.

Omnes isti in generatiónibus gentis suae glóriam adépti sunt, et in diébus suis habénter in láudibus.

℟. *br.* Exúltent justi: * in conspéctu Dei. Exúltent.
℣. Et delecténtur in laetítia. In conspéctu. Glória Patri. Exúltent.
℣. Justi áutem in perpétuum vivent.
℟. Et apud Dóminum est merces eórum.

AD NONAM.

Antiph. Láudem dícite.

Capitul.

F ílii eórum propter illos usque in aetérnum manent. Semen eórum, et glória eórum non derelinquétur. *Eccl. 44.*

℟. *br.* Justi áutem: * in perpétuum vivent. Justi áutem.

℣. Et apud Dóminum est merces eórum. In perpétuum. Glória Patri. Justi.

℣. Exultábunt sancti in glória.

℟. Laetabúntur in cubílibus suis.

In secundis Vesperis omnia ut in primis.

DIE XII. FEBRUARII.

In Festo S. JOANNIS DE MATHA C. Duplex.

Dies ass. ex 8. huj. om. ut in Brev.

DIE XIII. FEBRUARII.

In Festo S. CATHARINAE DE RICCIIS *Virg. Ord. Praed. dup. Omn. de Comm. unius Virginis non martyris praeter hic posita.*

ORATIO.

Dómine Jesu Christe, qui Beátam Catharínam Vírginem, tui amóre succénsam, Passiónis contemplatióne claréscere voluísti, ejus intercessióne concéde, ut Passiónis mystéria devóte recoléntes, ejus fructum percípere mereámur. Qui vivis etc.

In I. Noct. Lect. de Script. occurr.

IN II. NOCTURNO.

Lectio IV.

Catharína nóbili Família de Ricciis Floréntiae nata, vel ab ineúnte aetáte piam índolem praematúre osténdit. In suburbáno monastério sancti Petri de Monticéllis, ubi morum disciplína imbuerétur, collocáta, quotídie ad Christi Crucifixi imáginem orans, non sine lácrymis, horis étiam ánimi relaxatióni addíctis, ejus Passiónem meditabátur. Ad monastérium póstea sancti Vincéntii Ordinis sancti Domínici in Civitáte Prati translàta, patérnos lares ad tempus repétere, nisi certa spe réditus hábita, constánter recusávit. Tandem anno décimo tértio, saeculi delíciis contèmptis, ibídem religiósum institútum proféssa est.

℟. Propter veritátem etc.

Lectio V.

Charitáte in Deum fervens,

oratióni fere assídue vacábat, quidquid témporis necessáriis occupatiónibus et módicae quiéti supérerat in ea insúmens; utque corpus in servitútem redígeret, férrea caténa, et flagéllis illud macerábat. Cibi parcíssima, octo supra quadragínta annos cárnibus abstínuit, legumínibus plerúmque, et herbis vescens, intérdum vere solo pane, et aqua conténta. Proximórum aetérnam salútem exóptans, ardentíssimas ad Deum pro peccatórum conversióne preces fundébat. Tanto étiam commiseratiónis sensu erga purgántem ánimam commóta est, ut acerbíssimos dolóres sibi divínitus inflíctos in poenárum illi debitárum expiatiónem pertulísse visa sit. Exímia prudéntia, et reguláris observántiae zelo moniáles diu rexit, eas non minus exémplo, quam adhortatiónibus ad omnem sanctimóniam infórmans; quo in offício humilitátem ádeo cóluit, ut abjectíssima quaeque ópera sponte obíret, ac infírmis praecípua charitáte, et summo stúdio inservíret.

℟. Dilexísti etc.

Lectio VI.

Supernórum Charismatum cópia singuláris in ea enítuit, ánnulo desponsatiónis, sacrísque stigmátibus, quae non semel spectánda se exhibuérunt accéptis. Plúrium annórum spátio, quinta, et sexta féria in altíssimam contemplatiónem rapta, síngulos Redemptóris cruciátus in Passióne tolerátos ex órdine in córpore mirabíliter sentíre consuévit. Prati degens, sanctum Philíppum Nérium Romae commorántem vidére proméruit, ejúsque collóquio frui. Extasum, ráptuum, coeléstium visiónum, ac prophétici lúminis dono illústris, futúra praedixit, ac simul occúlta revelávit. Grávibus dénique morbis decúmbens, Ecclésiae Sacraméntis muníta, anno a Christo nato millésimo quingentésimo nonagésimo, aetátis sexagésimo nono, quarto nonas Februárii in coelum migrávit. Eam subínde Clemens duodécimus beatárum Vírginum número, Benedíctus vero décimus quartus Póntifex Máximus solémni ritu sanctárum Vírginum fastis adscrípsit, anno salútis millésimo septingentésimo quadragésimo sexto.

℟. Afferéntur etc.

In III. Noct. Hom. in Ev. Símile erit regnum coelórum decem Virgínibus.

DIE XIV. FEBRUARII

In Festo S. Raymundi de Pennaf. C. sem. *d. ass. ex* 23.

Januarii om. ut in Brev. com. S. Valentini Presbyt. m.

DIE XV. FEBRUARII

In Festo S. Polycarpi Ep. m. Duplex *d. ass. ex* 26. *Januarii om. ut in Brev. cum* 9. *l.* (*si venerit extr. Quadragesimam*) *et com. SS. Faustini et Jovitae mm.*

DIE XVI. FEBRUARII

In Festo S. Ignatii Ep. m. Duplex *d. ass. ex* 1. *huj. omn. ut in Brev.*

DIE XVII. FEBRUARII

In Festo B. Alexii de Falconeriis *Conf. dup. Omnia de Comm. Conf. non Pont. praeter ea, quae sequunt.*

Ad Vesperas, et ad Matut.

Hymnus.

Decóra lux Etrúriae,
Hospes perénnis glóriae
Aléxi, quo Te súpplices
Laeti precémur cántico?
Sodálium qui coetui
Junctus sacráto foedere,
Novo refúlgens Ordine
Addis Maríae Sérvulos.
Et jam corónae próximus
Tendens in altum lúmina
Adésse, quem speráveras
Christum puéllum cónspicis.
Te nunc supérni Núminis.
Amor, Fides, Spes, ómnium
Simúlque Virtútum chorus
Sistit polórum sédibus,
Ætérne rerum Cónditor,
Ætérne Fili par Patri,
Et par utríque Spíritus
Soli tibi sit glória. Amen.

ORATIO

Deus, qui beátum Aléxium Confessórem tuum, inter caeteras egrégias dotes, singuláris pudicítiae, atque exímia humilitátis láude decoráre dignátus es; concéde nobis fámulis tuis, ut ejus imitatióne a carnálibus illécebris abstinéntes, mundána ómnia despícere, ac coeléstia solum appétere studeámus. Per Dóminum etc.

In I. Noct. Lectiones de Scr. occ. si vero celebr. in Quadr. ex libr. Ecclesiast. Beátus vir, etc. *ut in Comm. Conf. non Pont.* 2. *loc.*

IN II. NOCTURNO

Lectio IV.

Aléxius, ex nóbili Falconé-

ria gente, anno Christiánae aerae, ducentésimo circiter supra millésimum Floréntiae natus, post puerílem aetátem piis honestísque móribus in patérna domo actam liberálibus primum stúdiis, mox Pátriae curis addictus, ac summis magistrátibus functus, insígnem apud omnes prudéntiae, ac pietátis láudem obtínuit. Cum vero afflictis Reipúblicae rebus ob intéstina cívium dissídia, quibus componéndis sédulam óperam navábat, non nisi supérna ope subveníri posse intellígeret, in quodam sodalítio quod Laudénsium vocábant, Dei Genitrícis láudibus impénsius vacans, totum se Dómino mancipáre constítuit. Quippe die quadam Assúmptae Deíparae sacra, coelesti visióne recreátus, atque ad sanctióris vitae propósitum capesséndum divínitus se vocári, eádem praemonénte Deípara, cognóscens, communicáto consílio cum sex áliis praeclaríssimis ejúsdem sodalítii cívibus, abdicátis pátriis honóribus, ac facultátibus in páuperes erogátis divínae vocatióni conféstim obtemperávit. Alia proínde ac prope evangélica vivéndi forma suscépta in rurálem quamdam aedículam, una cum sodálibus secéssit véluti novae milítiae tyrocínium factúrus.

℟. Honéstum etc.

Lectio V.

In hoc secéssu concéptum ánimi fervórem, ómnium mundanárum rerum contémptu, se summa sui ipsius dejectióne confovére studens, ádeo cívium óculos in se convértit, ut plúrimi de suis reformándis móribus cogitárent. Cum áutem novi hi Christi mílites exímium erga coelórum Regínam quam tamquam matrem omni obséquio prosequebántur, devotiónis stúdium, véluti tésseram praeseférrent, eáque propter commúni ómnium voce Maríae servi appellarentur, illud admirábile cóntigit: quod incedéntem per urbem aliquándo Aléxium íntuens beátus Philíppus Benítius puérulus, adhuc nondum quintum mensem egréssus, solúta repénte lingua, atque ad matrem convérsus; Ecce, inquit Maríae servus: da illi eleemósynam, mater. Hoc divíno testimónio confirmáti, in Montem, quem Senárium dicunt, annuénte civitátis Epíscopo, profécti sunt, ibíque íterum eis apparénte, et docénte Beatíssima Vírgine, depósita cinérea, quam ántea súmpserant, veste, pulláque indúti in jugem dolórum memóriam compatiéntis Vírginis patiénti Fílio; tantis sub auspíciis Or-

dinis servórum ejúsdem Deíparae fundaménta jecére. Horum áutem fama permótus beátus Petrus Martyr, Florentiae tunc degens, cum duos ex illis Bonfílium, atque Aléxium super forma suscépti institúti alloqnútus esset, sequénti nocte Deípara per visiónem se illi ostendénte, sub nigro pállio septem viros tégere, ac fovére, Aléxium inter hos, quem prídie víderat, agnóvit.

℟. Amávit etc.

Lectio VI.

Virginitátem, quam perpétuo cóluit jejúniis, vigíliis, labóribus, aliísque córporis afflictatiónibus illibátam custodíre conténdit. Christiánae vero humilitáti tantum stúduit, ut cum tam apud cives, quam apud sócios magnae auctoritátis esset, eóque hortánte, difficíllima quaeque absolvéntur; vilióribus semper ministériis, étiam aetáte gravis incúmbens, Sacerdótio initiári, licet doctrína praestáret, ac praefectúras suscípere modestíssime recusávit. Cultus erga Dei Matrem propagándi ardóre incénsus, Claríssimo Falconério fratri áuctor fuit magníficam aedem in honórem Annuntiátae ab Angelo Vírginis a fundaméntis excitándi Floréntiae in loco, quem Cafágium dicunt, ubi sacéllum eídem dicátum Almae Vírgini diu ante colúerat, ibíque imáginem illíus ab Angelo salutátae pingi curáverat. In hac áutem pictúra Deíparae vultum, quem nullo artis praesídio pictor exprímere poterat, oránte cum áliis sóciis Aléxio, coelitus perféctum fuísse tradunt. His in opéribus ultra sénium provéctus, juniorésque in duris vitae asperitátibus aemulári sátagens, appropinquánte tandem sui tránsitus hora nudis in tábulis récubans, adstántes sibi Angelos columbárum spécie, ac púerum Jesum venustíssimam corónam pulchérrimis intéxtam flóribus cápiti suo imponéntem vidit: quos laetus ádmodum circumstántibus frátribus osténdens, méritis ac labóribus plenus, décimum supra centésimum annum agens, obdormívit in Dómino, multis póstea a Deo signis, ac perpétua populórum veneratióne clarus. Quibus permótus Benedíctus Papa Decimus tertius in ejus anniversária celebritáte officium próprium recitári praecépit.

℟. Iste homo etc.

In III. Noct. Homilia Vener. Bedae Presbyt. in Evang. Nolíte timére, *de Commun. Conf. non Pont.* 2. *loco.*

DIE XVIII. FEBRUARII ASS.

In Festo B. JULIAE A CERTALDO *Virginis* Duplex.

Omnia de Comm. Virg. praeter ea quae sequuntur.

ORATIO.

Deus, qui nos in tantis perículis constitútos pro humána scis fragilitáte non posse subsístere: da nobis per mérita et intercessiónem Beátae Júliae Vírginis tuae, ut a malis, quae pro peccátis nostris pátimur, erépti, facílius dona coeléstia capiámus. Per Dóminum nostrum etc.

In I. Nocturno Lectiones de Script. occurr. In Quadrag. vero de com.

In II. Nocturno.

Júlia, quae et Ulia a Certáldo ex nóbili família della Rena ex óppido Semifónte in Hetrúria quodam célebri proveniénte orta est. Pene ab incunábulis futúrae sanctitátis praebens indícia, coeléstium rerum studiósa, quidquid humánum sáperet, abhorrébat. Ut áutem magis virtútes excóleret, ab humilitáte, quae ómnium radix, et fundaméntum est, incépit; ideóque apud Tinólfos Florentinos Cives per áliquot annos famulátum egit. Charitáte in Deum flagrans, ad oratiónem, si quid témporis doméslicis curis, et módicae quiéti supérerat, incumbébat. At in dies divíno amóre fervens, vérita ne hóminum sérvitus Dei famulátui obsísteret, hábitum sancti Augustíni, more inclusárúm eníxis précibus impetrávit.

℟. Propter veritátem etc.

Lectio V.

Voti compos facta Certáldum repétiit. At ubi venit, puer ab ipsa e médiis flammis eréptus, ut fertur, innóxius, famam ejus virtútum magnópere confirmávit. Ad humánas áutem láudes declinándas, angústa in cella prope Sacrárium Ecclésiae Parochiális sanctórum Michaélis, et Jacóbi in eódem pago, muro úndique septa se cóndidit. In tam arcto secéssu concéptum jamprídem ánimi fervórem áluit, nobilíque mundanárum rerum ómnium contémptu, summáque sui ipsíus dejectióne, perfectiónis ápicem váluit attíngere. Divínae providéntiae fuit ádeo confisa, ut néquidem victu fúerit unquam sollícita. Púeri ipsi sponte frústula panis, quibus reficiebátur, per

fenéstram ei afferébant. At illa grates donis réferens, flores quacúmque anni tempestáte mire viréntes, velut fama testátur, largiebátur. Durum hoc vitae genus tam gratum Deo fuit, ut spirituálibus consolatiónibus ab eo reficerétur.

℟. Dilexìsti justítiam etc.

Lectio VI.

Demum trigínta annis in tanta vivéndi asperitáte peráctis cum ferventióres preces ad Deum fúnderet, nullo mortis metu affécta, in ósculo Dómini die nona Januárii anni millésimi trecentésimi sexagésimi séptimi ad coeléstem sponsum migrávit. Tunc campánas, némine pulsánte, sponte sónitum edidísse indígitat tábula post illíus óbitum antíquitus depícta. Concúrsu cleri populíque ad cellam Vírginis facto, muróque illíus díruto, corpus Júliae in génua provolútum, et odórem late fragrántem diffúndens, cum vase florum mire viréntium, repértum est. Multa in ejus óbitu patráta dicúntur mirácula, ex quibus magnam veneratiónem pópuli, étiam Certáldo finítimi, erga illam usque adhuc exhibuérunt. Nec frustra in ómnibus eórum necessitátibus ejus opem expérti sunt validíssimam, et praesértim quando Certáldi óppidum a peste ubique grassánte, a terraemótibus ejus destructiónem minitántibus, et dénique a tempestátibus grándinum ejus arvis ingruéntibus incólume servátum est. Cultum ítaque ab immemorábili ad hanc usque aetátem beátae Juliae praestitum, Pius Séptimus Póntifex Máximus anno sui Pontificátus Decimonóno Decréto confirmávit, eámque in beatórum Album rétulit.

℟. Afferéntur Regi etc.

In III. Noct. Homil. de Comm. Virg. 1. *loco.*

DIE XXIII. FEBBRUARII.

In Festo S. MARGARITAE DE CORTONA *dupl. Omn. de comm. nec Virg. nec Mart. Ad Magnific. in prim. Vesp.*

Ant. Símile est regnum coelòrum hómini negotiatóri, quaerénti bonas margarítas: invénta una pretiósa, dedit ómnia sua, et comparávit eam.

ORATIO.

Deus, qui fámulam tuam Margarítam de perditiónis via ad salútis trámitem miseri-

córditer deduxísti; eádem nobis miseratióne concéde; ut quam prius errántem sectári non erubúimus, mox poeniténtem ímpigre sequi gloriémur. Per Dóminum etc.

Ad Matutinum, Antiphonae Psalm. et ℣. Noct. de Comm. nec Virg. nec Mart.

In I. Nocturno,

De Cánticis Canticórum.

Lectio I.

Cap. 3.

In léctulo meo per noctes quaesívi quem díligit ánima mea: quaesívi illum, et non invéni. Surgam, et circuíbo civitátem: per vicos, et platéas, quaeram quem díligit ánima mea, quaesívi illum, et non invéni. Invenérunt me vígiles qui custódiunt civitátem: Num quem díligit ánima mea vidístis? Páululum cum pertransíssem eos, invéni quem díligit ánima mea: ténui eum, nec dimíttam, donec introdúcam illum in domum matris meae, et in cubículum genitrícis meae.

℟. Veni elécta mea etc.

Lectio I.

Quis mihi det te fratrem meum sugéntem úbera matris meae ut invéniam te foris, te deósculer te et jam me nemo despíciat? Apprehéndam te et ducam in domum matris meae: ibi me docébis et dabo tibi póculum ex vino condíto, et mustum malórum granatórum meórum. Laeva ejus sub cápite meo, et déxtera illíus amplexábitur me. Adjúro vos filiae Jerúsalem, ne suscitétis neque evigiláre faciátis diléctam donec ipsa velit.

℟. Diffúsa est grátia etc.

Lectio III.

Quae est ista, quae ascéndit de desérto delíciis áffluens inníxa super diléctum suum? Sub árbore malo suscitávi te: ibi corrúpta est mater tua, ibi violáta est génitrix tua. Pone me ut signáculum super cor tuum, ut signáculum super bráchium tuum, quia fortis est ut mors diléctio, dura sicut inférnus aemulátio: lámpades ejus, lámpades ignis atque flammárum. Aquae multae non potuérunt extínguere charitátem, nec flúmina óbruent illam.

℟. Spécie tua etc.

IN II. NOCTURNO.

Lectio IV.

Margaríta a loco dormi-

tiónis Cortonénsis appellata, Laviáni in Túscia ortum hábuit. Primis adolescéntiae suae annis, mundi voluptátibus, capta, in Montis Politiáni civitáte vanam et lúbricam vitam duxit; sed cum amásium ab hóstibus foede transfóssum indício canis in fóvea sub strue lignórum tumulátum fortúito reperísset, illico facta est manus Dómini super eam, quae magno culpárum suárum moeróre tacta, éxiit foras et flevit amáre. Itaque Laviánum revérsa, crine detónso, negléclo cápite, pulláque veste contécta, erróribus suis, mundíque illécebris núntium misit; inque aedibus Deo sacris fune ad collum alligáto, humi procúmbens ab ómnibus, quos ántea móribus suis palam offénderat, véniam exorávit. Mox Cortónam profécta, in cínere et cilício ab se laesam Dei Majestátem placáre stúduit; donec post triennále virtútum experiméntum a Frátribus Minóribus spirituális vitae dúcibus Tértii Ordinis hábitum impetrávit. Uberes exínde lácrymae ei familiáres fuérunt, atque ima suspíria tanta ánimi contritione ducta, ut diu elínguis consísteret. Léctulus nuda humus, cervícal lapis, aut lignum porréxit, atque ita noctes insómnes in coeléstium meditatióne tráhere consuévit, nullum ámplius pravum desidérium perpéssa, dum bonus spíritus prómptior infírmam carnem ad subeúndos labóres erigébat.

℟. Propter veritátem etc.

Lectio V.

A Daemone insídiis funestísque conátibus lacessíta, mulier fortis hostem ex verbis detéctum, semel atque íterum invícta répulit. Ad eludéndum vanae glóriae lenocínium, quo a malo spíritu petebátur, praetéritos mores suos per vicos et platéas alta voce accusáre non déstitit, omni supplício se ream inclámans: nec nisi a Confessário detérrita, in speciósam fáciem, olim impúri amóris cáusam, saevíre abstínuit, aegre ferens, suam formam longa carnis maceratióne non aboléri. Quibus aliísque magnae poeniténtiae arguméntis suórum críminum labe expiáta, atque ita de se triumphátrix, ut sensus plane omnes a mundi illécebris custodíret, digna facta est, quae saepe Dómini consuetúdine fruerétur. Ejúsdem quoque Christi, et Vírginis Matris dolórum, quod ipsa ardénter expetíerat, párticeps facta, cunctis sénsibus destitúta, et vere mórtua intérdum visa est. Ad eam proínde, véluti

ad perfectiónis magístram, ex díssitis étiam regiónibus plúrimi conveniébant; ipsa vero coelésti quo erat perfúsa lúmine, córdium secréta, consciéntias hóminum, imo et peccáta, in remótis licet pártibus Deum offendéntium, cum dolóre et lácrymis détegens, summáque in Deum et próximum charitáte fervens ingéntem animárum fructum operáta est. Aegris ad se veniéntibus salútem, obséssis a daemone liberatiónem impetrávit. Púerum defúnctum, lugénte matre, ad vitam redúxit. Imminéntes bellórum tumúltus assíduis oratiónibus sedávit. Dénique summae pietátis opéribus vivos et mórtuos sibi deméruit.

℟. Dilexísti etc.

Lectio VI.

Tot sanctis opéribus occupáta, de rigóre, quo assídue corpus suum exercébat, nihil remísit. Neque a stúdio coeléstia meditándi se avélli passa est, in utróque vitae género plane admiránda, utrámque sorórem Magdalénam, et Martham réferens. Tandem pro se Dóminum orans, ut ex hac valle lacrymárum sursum in coeléstem pátriam revocarétur, exaudíta est orátio ejus; die atque hora dormitiónis ei patefáctis. Méritis ítaque, et labóribus plena, ac coeléstibus donis cumuláta coepit córporis víribus destítui, perque dies decem et septem nullo cibo, sed divínis tantum collóquiis refécta est: tum sanctíssimis Ecclésiae Sacraméntis rite suscéptis, vultu hílari, atque óculis in coelum convérsis, octávo Kaléndas Mártias, anno aetátis quinquagésimo, suae conversiónis vigésimo tértio, humánae vero salútis millésimo ducentésimo nonagésimo séptimo felix migrávit ad sponsum. Corpus in hanc usque diem végetum, incorrúptum, illaesum, et suáviter olens, summa religióne cólitur in Ecclésia Fratrum Minórum, quae jam ab eádem Margaríta appellátur. Miráculis contínuo flóruit; quibus permóti Románi Pontífices ad augéndum ejus cultum plúrima liberáliter indulsérunt: Benedíctus vero décimus tértius in Festo Pentecóstes, die sextadécima Maii, anni millésimi septingentésimi vigésimi octávi, solémnem ejus Canonizatiónem religiosíssime celebrávit.

℟. Fallax grátia, et vana est etc.

In III. Noct. Homil. S. Gregorii Pap. in Ev. Símile est regnum coelórum thesáuro abscóndito in agro, *de Comm. non. Virg.*

Ant. ad Bened. Ut cognóvit, resípuit Seráphici Ordinis Magdaléna: dimíssa sunt ei peccáta multa, quia diléxit multum.

Ad Magnif. in 2. Vesp. Ego diléeto meo, et ad me convérsio ejus: invéni quem díligit ánima mea, ténui eum, nec dimíttam.

DIE XXV. FEBRUARII D. AS.

In anno bissextili die xxvj.

In Festo S. PETRI DAMIANI *Card. Episc. Ostiensis Conf. et Doct.* Duplex.

ORATIO.

Concéde nos quaesumus, omnípotens Deus, Beáti Petri Confessóris tui atque Pontíficis mónita, et exémpla sectári; ut per terréstrium rerum contémptum aetérna gáudia consequámur. Per Dóminum nostrum.

In I. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente. Si vero celebretur in Quadrages. leguntur Lectiones: Fidélis sermo, *ut in Communi Confessoris Pontificis.*

IN II. NOCTURNO.

Lectio IV.

Petrus Ravénnae honéstis Paréntibus natus, adhuc lactens a Matre numerósae prolis pertaesa objícitur, sed doméstícae mulíeris ópera semivívus excéptus ac recreátus, Genitríci ad humanitátis sensum revocátae rédditur. Utróque orbátus Parénte, tamquam vile mancípium sub áspera fratris tutéla duram servitútem exércuit. Religiónis in Deum ac pietátis erga Patrem egrégium tunc spécimen dedit; invéntum síquidem forte nummum non própriae inédiae sublevándae, sed Sacerdóti, qui divínum Sacrifícium ad illíus expiatiónem offérret, erogávit. A Damiáno fratre, a quo uti fertur cognoméntum accépit, ejus cura lítteris erudítur: in quibus brevi tantum profécit, ut magístris admiratióni esset. Quum áutem liberálibus sciéntiis floréret et nómine, eas cum láude dócuit. Interim ut corpus ratióni súbderet sub móllibus véstibus cilícium adhíbuit, jejúniis, vigíliis, et oratiónibus solérter insístens. Caléute juvénta dum carnis stímulis ácriter urgerétur, insultántium libídinum faces rigéntibus flúvii mersus aquis noctu extinguébat; tum venerabília quaeque loca obíre, totúmque Psaltérium recitáre consuéverat. Ope assídua páuperes levábat, quibus frequénter pastis convívio própriis ipse mánibus ministrábat.

℟. Invéni etc.

Lectio V.

Perficiéndae magis vitae cáussa in Avellanénsi Eugubínae Dioecésis coenóbio Ordini monachórum sanctae Crucis Fontis Avellánae a Beáto Ludúlpho sancti Romuáldi discípulo fundáto nomen dedit. Non ita multo post in monastérium Pomposiánum, mox in coenóbium sancti Vincéntii Petrae Pertúsae ab Abbáte suo missus, utrúmque Ascetérium verbo sacro, praecláris institutiónibus, et móribus excóluit. Ad suos revocátus post Praesidis óbitum Avellanitárum Famíliae praeficitur, quam novis váriis in locis extrúctis domicíliis, et sanctíssimis institútis ita áuxit, ut alter ejus Ordinis Parens, ac praecípuum ornaméntum jure sit hábitus. Salutárem Petri sollicitúdinem ália quoque divérsi institúti coenóbia, Canonicórum convéntus, et pópuli sunt expérti. Urbináti Dioecési non uno nómine prófuit: Theuzóni Epíscopo in cáussa gravíssima assédit, ipsúmque in recte administrándo Episcopátu consílio et ópera juvit. Divinórum contemplatióne, córporis maceratiónibus, caeterísque spectátae sanctimóniae exémplis excélluit. His motus Stéphanus Nonus Póntifex Máximus eum licet invítum et reluctántem sanctae Románae Ecclésiae Cardinálem creávit, et Ostiénsem Epíscopum. Quas Petrus Dignitátes splendidíssimis virtútibus, et consentáneis Episcopáli ministério opéribus gessit.

℟. Pósui etc.

Lectio VI.

Difficíllimo témpore Románae Ecclésiae, Summísque Pontifícibus doctrína, legatiónibus, aliísque suscéptis labóribus miríficе ádfuit. Advérsus Nicolaitárum et Simoníacam Haereses ad mortem usque strénue decertávit. Hujúsmodi depúlsis malis Mediolanénsem Ecclésiae Románae conciliávit. Benedícto, et Cadalóo falsis Pontifícibus fórtiter réstitit. Henrícum quartum Germániae Regem ab iníquo uxóris divórtio detérruit: Ravennátes ad débita Románo Pontífici obséquia revocátos, sacris restítuit. Canónicos Velitérnos ad sanctióris vitae leges compósuit. In Província praesértim Urbináte vix ulla fuit Episcopális Ecclésia, de qua Petrus non sit beneméritus; Eugubínam, quam aliquándo créditam hábuit, multis levávit incómmodis: álias álibi quando opórtuit, períndе

curávit, ac suae essent tutélae commíssae. Cardinalátu, et Episcopáli Dignitáte depósitis, níhil de prístina juvándi próximos sedulitáte remísit. Jejúnium sextae Feriae in honórem sanctae Crucis Jesu Christi, horárias Beátae Dei Genitrícis preces, ejúsque die Sábbato cultum propagávit. Inferéndae quoque sibi verberatiónis morem ad patratórum scélerum expiatiónem provéxit. Demum sanctitáte, doctrína, mirácúlis, et praecláre actis illústris, dum e Ravennáte Legatióne redíret, Faventiae octávo kaléndas Mártii migrávit ad Christum. Ejus Corpus ibídem apud Cistercienses multis mirácùlis clarum frequénti populórum veneratióne cólitur. Ipsum Faventíni non semel in praésenti discrímine propítium expérti, Patrónum apud Deum delegérunt: Leo vero Duodécimus Póntifex Máximus Officium, Missámque in ejus honórem tamquam Confessóris Pontíficis quae alíquibus in Dioecésibus, atque in Ordine Camalduléensium jam celebrabántur, ex Sacrórum Rítuum Congregatiónis consúlto, áddita Doctóris qualitáte, ad univérsam exténdit Ecclésiam.

℣. Iste est etc.

In III. Nocturno Homilia in Evangel. Vos estis sal terrae *de Communi Doctorum.*

Si hoc fest. venerit in Quadrag. dicit. hom. de Fer. curr.

DIE XXVI. FEBRUARII

In anno bissextili die xxvjj.

In Festo S. Andreae *Ep. Fl. et Conf. Duplex maj. omn. de Com. 1. loc.*

DIE XXVIII. FEBRUARII

In anno bissextili die xxjx.

In Festo B. Antoniae *viduae Florentinae II. Ord. S. Francisci.* Duplex.

Omnia de Com. nec Virg. nec Mart. praeter seq.

ORATIO.

Deus, qui beátam Antóniam fámulam tuam per omnes vitae sémitas ad te mirabíliter traduxísti: tríbue quaesumus; ut ejus méritis et exémplis ad ad coeléstem pátriam perducámur. Per Dóminum.

LL. 1. n. in Quadrag. Mulíerem fortem *de Com. extra Quadrag. de Script. occurr.*

IN II. NOCTURNO.

Lectio IV.

Antónia honéstis paréntibus

Floréntiae nata, posthábitis secúndis núptiis, ad quas eam paréntes ipsi adhortabántur, inter soróres Tértii Ordinis sancti Francisci in Florentíno monastério a sancto Honùphrio nuncupáto nomen dedit. Hinc cum sese ob exímias virtútes ómnibus appríme probavísset, Fulgínium míttitur, inde Aquilam, ubi monastérium sanctae Elísabeth dicàtum quatuórdecim ferme annis sanctíssime gubernávit. Deo áutem ad majóra vocánte, de prima sanctae Clarae régula amplecténda consílium íniit, ut arctióri custódia, beáta illa solitúdine in qua Deus ad suos lóquitur fruerétur. In eo propósito a sancto Joánne de Capistráno confirmáta, Nicoláo Quinto Summo Pontífice approbánte, in coenóbium Córporis Christi nómine insígne, secéssit, ibíque quam cogitáverat régulam cum quatuórdecim sanctimoniálibus proféssa, novo sacrárum vírginum collégio urbem Aquilam áuxit. Loci ejus, etsi relúctans moderátrix ab eódem sancto Joánne de Capistráno constitúta nil antíquius hábuit Antónia, quam ut ad absolutíssimam religiósae perfectiónis normam concréditas sibi soróres, exémplo praesértim suo, informáret.

℣. Propter veritátem:

Lectio V.

Cum vero modéstiam, suíque despéctum virtútem ómnium caput esse sentíret, demissíssime, ac subjectíssime sese hábuit, humíllima quaeque offícia sibi índicans: Injuriárum pátiens propinquórum moléstias, malignórum calúmnias, convícia, contumélias, et gravíssimum séxdecim annórum morbum fórtiter pértulit. Quinímo ne caro advérsum spíritum praevaléret, eam asperitáte, inédia, labóre contrívit. Paupertátis cupidíssima, ea, quae ad vitam máxime necessária sunt, sibi deésse gaudébat, novísque véstibus soróres donans, vetústas consumptásque sibi deligébat. Siléntii custos sédula quidquid domésticis curis superésset témporis id omne tribuébat précibus, íntegras saepe noctes, coeléstia méditans diviníque ignis amóre abrépta, os ipsum miro suffúsum rubóre nonnúmquam osténdit: modo sublímis e terra inter orándum conspécta est.

℟. Dilexísti justítiam.

Lectio VI.

Verum charitátem étiam in

próximum Antónia emícuit. Nulla ex soróribus fuit, quae illíus opem consiliúmque, non sit expérta; infírmis praesértim diu noctúque adsístens ac minístrans matérno prorsus afféctu eas complectebátur, et dum aegris corpóribus levámen, ánimae salutária mónita praebébat. Neque morbis ingravescéntibus, deficiéntibus víribus, sollicitúdo ejus defécit, et quod non valébat ópere, sermóne praestábat. Tandem praecógnita suae mortis hora, sanctimoniáles ad régulae observántiam, mutuámque charitátem vehementióri stúdio, et verbis hortáta, atque Ecclésiae Sacraméntis muníta diem óbiit suprémum, et ad coeléstem sponsum migrávit prídie Kaléndas Mártii, anno millésimo quadringentésimo septuagésimo secúndo, aetátis suae septuagésimo primo. At ea, quae refúlsit, virtus, et miraculórum celébritas talem illi famam, admirationémque apud omnes comparárunt, ut tandem et Beátae títulum, et cultum ab immemorábili ei praestitum Pius Nonus Póntifex Máximus anno reparátae salútis millésimo octingentésimo quadragésimo séptimo Apostólica auctoritáte confirmávit.

℟. Fallax grátia.

In III. Nocturno Hom. in Ev. Símile est regnum coelórum thesáuro *de Com. non vv. In Quadrag. 9. l. de Hom. fer. curr.*

FESTA MARTII

Officia Mysteriorum Passionis D. N. J. Chr.

FERIA III. POST DOMINICAM SEPTUAGESIMAE

In Commemoratione Orationis D. N. J. C. *in Monte Oliveti.* Duplex majus.

Ad Vesp. Ant, Venit Jesus. *cum reliquis de Laudibus.*

Psalm. Dixit Dóminus. *cum reliq. de Domin. et loco ultimi Psalm.* Laudáte Dóminum omnes gentes.

Cap. *Matth.* 26.

Venit Jesus ad discípulos suos, et invénit eos dormiéntes, et dicit Petro: Sic non potuístis una hora vigiláre mecum? Vigiláte, et oráte, ut non intrétis in tentatiónem.

Hymnus.

Aspice ut Verbum Patris a
supérnis
Sédibus clemens, et amóre flagrans

Pérditis culpa génitis medéri
Pergit Adámi.
Flébilem mundi míserans ruínam,
Et volens nostros reparáre casus
Orat, et prona véniam precátur
Fronte Magíster.
Flúctuat secum tot acérba volvens:
Hunc, ait supplex, cálicem dolóris
Mi Pater transfer; tua sed volúntas
Non mea fiat.
Cum premat tristis pavor ima cordis,
Déficit languens Dóminus; per artus
Sánguinis sudor fluit, atque guttis,
Terra madéscit.
At celer summo véniens Olympo
Angelus Jesum récreat jacéntem,
Córpori vires rédeunt, novóque
Róbore surgit.
Laus, honor Patri, genitaeque Proli
Cui datum nomen super omne nomen,
Et Paracléto decus, atque virtus
Omne per aevum. Amen.

℣. Tristis est ánima mea.
℟. Usque ad mortem.

Ad Magn. Ant. Pósitis génibus orábat dicens: Pater si vis, transfer cálicem istum a me, verúmtamen non mea vóluntas, sed tua fiat.

ORATIO

Dómine Jesu Christe, qui in horto verbo, et exémplo nos oráre docuísti ad tentatiónum perícula superànda, concéde propítius, ut nos oratióni semper inténti, ejus copiósum fructum cónsequi mereámur. Qui vivis.

Ad Matutinum, Invitator. Christum Jesum in monte Olivárum orántem * Veníte adorémus.

Psalm. Veníte exultémus Dómino.

Hymnus. Aspice etc. *ut supra in Vesp.*

In I. Noct. Ant. Ante oratiónem praepara ánimam tuam, et noli esse quasi homo, qui tentat Deum.

Psalm. 16.

Exáudi Dómine justítiam meam, * inténde deprecatiónem meam.

Auribus pércipe oratiónem meam, * non in lábiis dolósis.

De vultu tuo judícium meum pródeat: óculi tui vídeant aequitátes.

Probásti cor meum, et visi-

tásti nocte: * igne me examinásti, et non est invénta in me iníquitas.

Ut non loquátur os meum ópera hóminum: * propter verba labiórum tuórum ego custodívi vias duras.

Pérfice gressus meos in sémitis tuis, * ut non moveántur vestígia mea.

Ego clamávi, quóniam exaudísti me Deus: * inclína áurem tuam mihi, et exáudi verba mea.

Mirífica misericórdias tuas, * qui salvos facis sperántes in te.

A resisténtibus déxterae tuae custódi me * ut pupíllam óculi.

Sub umbra alárum tuárum prótege me * a fácie impiórum qui me afflixérunt.

Inimíci mei ánimam meam circumdedérunt, ádipem suum conclusérunt: * os eórum locútum est supérbiam.

Projiciéntes me nunc circumdedérunt me: * óculos suos statuérunt declináre in terram.

Suscepérunt me sicut leo parátus ad praedam: * et sicut cátulus leónis hábitans in ábditis.

Exúrge Dómine, praeveni eum, et supplánta eum: * éripe animam meam eb ímpio frámeam tuam ab inimícis manus tuae.

Dómine a páucis de terra dívide eos in vita eórum, * de abscónditis tuis adimplétus est venter eórum.

Saturáti sunt fíliis: * et dimisérunt relíquias suas párvulis suis.

Ego áutem in justítia apparébo conspéctui tuo: * satiábor cum apparúerit glória tua.

Ant. Ante oratiónem praepara ánimam tuam, et noli esse quasi homo, qui tentat Deum.

Ant. Non impediáris oráre semper, et ne vereáris usque ad mortem justificári.

Psalm. 27.

Ad te Dómine clamábo, Deus meus ne síleas a me: * nequándo táceas a me, et assimilábor descendéntibus in lacum.

Exáudi Dómine vocem deprecatiónis meae dum oro ad te: * dum extóllo manus meas ad templum sanctum tuum.

Ne simul trahas me cum peccatóribus: * et cum operántibus iniquitátem ne perdas me.

Qui loquúntur pacem cum próximo suo, * mala áutem in córdibus eórum.

Da illis secúndum ópera eórum, * et secúndum nequítiam adinventiónum ipsórum.

Secúndum ópera mánuum eórum tríbue illis: * redde retributiónem eórum ipsis.

Quóniam non intellexérunt ópera Dómini, et in ópera mánuum ejus, * déstrues illos et non aedificábis eos.

Benedíctus Dóminus: * quóniam exaudívit vocem deprecatiónis meae.

Dóminus adjútor meus, et protéctor meus: * in ipso sperávit cor meum, et adjútus sum.

Et reflóruit caro mea, * et ex voluntáte mea confitébor ei.

Dóminus fortitúdo plebis suae, * et protéctor salvatiónum Christi sui est.

Salvum fac pópulum tuum Dómine, et bénedic haereditáti tuae: * et rege eos, et extólle illos usque in aetérnum.

Ant. Non impediáris oráre semper, et ne vereáris usque ad mortem justificári.

Ant. Omnia quaecúmque petiéritis in oratióne credéntes, accipiétis.

Psalm. 141.

Voce mea ad Dóminum clamávi: * voce mea ad Dómiminum deprecátus sum.

Effúndo in conspéctu ejus oratiónem meam, * et tribulatiónem meam ante ipsum pronúntio.

In deficiéndo ex me spíritum meum, * et tu cognovísti sémitas meas.

In via hac, qua ambulábam, * abscondérunt laqueum mihi.

Considerábam ad déxteram, et vidébam: * et non erat qui cognósceret me.

Périit fuga a me, * et non est qui requírat ánimam meam.

Clamávi ad te Dómine, * dixi: Tu es spes mea, pórtio mea in terra vivéntium.

Inténde ad deprecatiónem meam: * quia humiliátus sum nimis.

Líbera me a presequéntibus me: * quia confortáti sunt super me.

Educ de custódia ánimam meam ad confiténdum nómini tuo: * me expéctant justi donec retríbuas mihi.

Ant. Omnia quaecúmque petiéritis in oratióne credentes, accipiétis.

℣. Tristis est ánima mea.
℟. Usque ad mortem.

De libro Tobíae.

Lectio I.

Cap. 12.

Bona est orátio cum jejúnio et eleemósyna magis quam

thesáuros áuri recóndere: quóniam eleemósyna a morte líberat, et ipsa est, quae purgat peccáta, et facit inveníre misericórdiam, et vitam aetérnam. Qui áutem fáciunt peccátum, et iniquitátem hostes sunt ánimae suae. Manifésto ergo vobis veritátem, et non abscóndam a vobis occúltum sermónem. Quando orábas cum lácrymis, et sepeliébas mórtuos, et derelinquébas prándium tuum, et mórtuos abscondébas per diem in domo tua, et nocte sepeliébas eos, ego óbtuli oratiónem tuam Dómino. Et quia accéptus eras Deo, necésse fuit ut tentátio probáret te.

℟. In ómnibus grátias ágite: * Sine intermissióne oráte.
℣. Haec est enim volúntas Dei in Christo Jesu in ómnibus vobis. Sine.

De Epístola beáti Jacobi Apóstoli.

Lectio II.

Cap. 5.

Oráte pro ínvicem, ut salvémini: multum enim valet deprecátio justi assídua. Elías homo erat símilis nobis passíbilis, et oratióne orávit, ut non plúeret super terram, et non pluit annos tres, et menses sex. Et rursum orávit, et coelum dedit plúviam, et terra dedit fructum suum. Fratres mei, si quis ex vobis erráverit a veritáte, et convérterit quis eum, scire debet, quòniam qui convérti fécerit peccatórem ab erróre viaé suae, salvábit ánimam ejus a morte, et opériet multitúdinem peccatórum.

℟. Cum stábitis od orándum: * Dimíttite, si quid habétis advérsus áliquem.
℣. Ut et Pater vester, qui in coelis est, dimíttat vobis peccáta vestra. Dimíttite.

De Epístola beati Páuli Apostoli ad Hebraeos.

Lectio III.

Cap. 5.

Christus non semetípsum clarificávit, ut Póntifex fieret, sed qui loquútus est ad eum, Fílius meus es tu, ego hódie génui te. Quemádmodum et in álio loco dicit: Tu es Sacérdos in aetérnum secúndum órdinem Melchísedech. Qui in diébus carnis suae preces supplicationésque ad eum, qui possit illum salvum fácere a morte, cum clamóre válido et lácrymis ófferens, exaudítus est pro sua reveréntia. Et quidem cum esset Fílius Dei dídicit ex iis, quae passus est, obediéntiam, et consummátus factus est òmnibus obtemperántibus sibi

cáusa salútis aetérnae, appellátus a Deo Póntifex juxta órdinem Melchísedech.

℟. Exaudívit Dóminus deprecatiónem meam * Dóminus oratiónem meam suscépit.

℣. Clamávi in toto corde meo, exáudi me Dómine. Dóminus.

Glória Patri. Dóminus.

In II. Noct. Ant. Cum orátis non éritis sicut hypócritae, qui amant in synagógis, et in ángulis plateárum stantes oráre, ut videántur ab homínibus.

Psalm. 42.

Júdica me Deus, et discérne cáusam meam de gente non sancta, * ab hómine iníquo et dolóso érue me.

Quia tu es Deus fortitúdo mea: * quare me repulísti, et quare tristis incédo, dum affligit me inimícus?

Emítte lucem tuam et veritátem tuam: * ipsa me deduxérunt, et adduxérunt in montem sanctum tuum, et in tabernácula tua.

Et introíbo ad altáre Dei: * ad Deum, qui laetíficat juventútem meam.

Confitébor tibi in cíthara Deus Deus meus: * quare tristis es ánima mea, et quare contúrbas me?

Spera in Deo, quóniam adhuc confitébor illi: * salutáre vultus mei, et Deus meus.

Ant. Cum orátis non éritis sicut hypócritae, qui amant in synagógis, et in ángulis plateárum stantes oráre, ut videántur ab homínibus.

Ant. Tu áutem cum oráveris, intra in cubículum tuum, et cláuso óstio, ora Patrem tuum in abscóndito.

Psalmus 63.

Exáudi Deus oratiónem meam cum déprecor: * a timóre inimíci éripe ánimam meam.

Protexísti me a convéntu malignántium, * a multitúdine operántium iniquitátem.

Quia exacuérunt ut gládium linguas suas: * intendérunt arcum rem amáram, ut sagíttent in occúltis immaculátum.

Súbito sagittábunt eum, et non timébunt: * firmavérunt sibi sermónem nequam.

Narravérunt ut abscónderent láqueos: * dixérunt: Quis vidébit eos?

Scrutáti sunt iniquitátes: * defecérunt scrutántes scrutínio.

Accédet homo ad cor altum: * et exaltábitur Deus.

Sagíttae parvulórum factae sunt plagae eórum: * et in-

firmátae sunt contra eos linguae eórum.

Conturbáti sunt omnes qui vidébant eos: * et tímuit omnis homo.

Et annuntiavérunt ópera Dei: * et facta ejus intellexérunt.

Laetábitur justus in Dómino, et sperábit in eo, * et laudabúntur omnes recti corde.

Ant. Tu áutem cum oráveris, intra in cubículum tuum, et cláuso óstio, ora Patrem tuum in abscóndito.

Ant. Factum est áutem in in illis diébus: éxiit Jesus in montem oráre, et erat pernóctans in oratióne Dei.

Psalmus 120.

Levávi óculos meos in montes, * unde véniet auxílium mihi.

Auxílium meum a Dòmino, * qui fecit coelum et terram.

Non det in commotiónem pedem tuum: * neque dormítet qui custódit te.

Ecce non dormitábit, neque dórmiet, * qui custódit Israel.

Dóminus custódit te, Dóminus protéctio tua * super manum déxteram tuam.

Per diem sol non uret te, * neque luna per noctem.

Dóminus custódit te ab omni malo: * custódiat ánimam tuam Dóminus.

Dóminus custódiat intróitum tuum, et éxitum tuum; * ex hoc nunc, et usque in saeculum.

Ant. Factum est áutem in illis diébus: éxiit Jesus in montem oráre, et erat pernóctans in oratióne Dei.

℣. Pater mi, si possíbile est.

℟. Tránseat a me calix iste.

Ex Tractátu sancti Cypriáni Epíscopi, et Mártyris.

De Oratione Dominica.

Lectio IV.

Nec verbis tantum, sed et factis Dóminus oráre nos dócuit, ipse orans frequénter, et déprecans, et quid fácere nos oportéret exémpli sui contestatióne demónstrans, sicut scriptum est: Ipse áutem fuit secédens in solitúdinem, et adórans. Et íterum: Exívit in montem oráre, et fuit pernóctans in oratióne Dei. Quod si ille orábat, qui sine peccáto erat, quanto magis peccatóres opórtet oráre? Et si ille per totam noctem júgiter vígilans contínuis précibus orábat, quanto nos ma-

gis in frequentánda oratióne debémus nocte vigiláre? Orábat áutem Dóminus, et rogábat non pro se: quid enim pro se ínnocens precarétur? Sed pro delíctis nostris, sicut et ipse declárat, cum dicit ad Petrum: Ecce Sátanas expetívit, ut vos vexáret quómodo tríticum: ego áutem rogávi pro te, ne deficiat fides tua. Et póstmodum pro ómnibus Patrem deprecátur dicens: non pro his áutem rogo solis, sed et pro illis, qui creditúri sunt per verbum ipsórum in me, ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me, et ego in te, ut et ipsi in nobis unum sint.

℟. Simon, Simon ecce Sátanas expetívit vos, ut cribráret sicut tríticum: * Ego áutem rogávi pro te, ut non deficiat fides tua.

℣. Et tu aliquándo convérsus, confirma fratres tuos. Ego áutem.

Ex Commentáriis Sancti Ansélmi Epíscopi.

In Epist. ad Hebr. cap. 5.

Lectio V.

Sicut verus Póntifex óbtulit preces: nam in Evangélio saepe légitur orásse, et máxime apud Lucam, qui Sacerdótis in eo descrípsit persónam. Sed et quidquid ipse egit in carne, preces et supplicatiónes fuérunt pro homínibus. Tota vita sua Patrem orávit de resurrectióne carnis suae, ac de nostra salúte, et instánte jam passióne óbtulit supplicatiónes, idest humíllimas et instantíssimas oratiónes cum summa devotióne cordis, et affectióne, quando factus in agonía prolíxius orábat, et factus est sudor ejus sicut guttae sánguinis decurréntis in terram. Et has preces, supplicationésque óbtulit, idest óbviam tulit Patri per exauditiónem sibi obviánti. Obtulit eas ad eum, qui posset illum a morte salvum fácere, idest resuscitáre, ad eum quem scivit esse sufficiéntem ut salváret eum, idest immortálem, et impassíbilem fáceret eripiéndo a morte, ut nec ánima remanéret in inférno, nec caro putrésceret in sepúlchro.

℟. Orátio humiliántis se nubes penetrábit: * Et donec propínquet non consolábitur.

℣. Et non discédet donec Altíssimus aspíciat. Et donec.

Lectio VI.

Et óbtulit has cum clamóre válido, idest cum intentióne piae devotiónis vehementíssima, et efficacíssima, ut

quando prolíxius orábat, et étiam cum lácrymis; quia in illa prolíxa oratióne credéndus est lácrymas effudísse, cum et guttae sánguinis pro sudóre decúrrerent ab ejus córpore: et exaudítus est, quia quod quaesíerat, accépit in resurrectióne. Exaudítus est, id est, extra númerum aliórum ómnium audítus est, quóniam super omnem creatúram post labóris sui milítiam a Patre sublimátus est, et hoc pro sui reveréntia, idest, secúndum hoc, quod ipse sicut Dei Fílius dignus est reveréntia, et veneratióne, vel pro sua reveréntia in Deum idest propter quod ipse super ómnia Patrem reverítus est, et honorávit. Sive pro sua reveréntia, idest, sicut sua relígio méruit. Sánguinis quoque ejus effúsio potest intélligi clamor válidus, in quo exaudítus est pro sua reveréntia ejúsdem passiónis. Reveréntia est, quod sine peccáto passus est sola charitáte.

℟. Fiant áures tuae auscultántes, et óculi tui apérti, * Ut áudias oratiónem servi tui.

℣. Quam ego oro coram te hódie nocte, ac die. Ut.

Glória Patri. Ut.

In III. Noct. Ant. Tribulàtio, et angústia invenérunt me, mandáta tua meditátio mea est.

Psalmus 3.

Dómine, quid multiplicáti sunt qui tríbulant me? * multi insúrgunt advérsum me.

Multi dicunt ánimae meae: * non est salus ipsi in Deo ejus.

Tu áutem Dómine suscéptor meus es, * glória mea, et exáltans caput meum.

Voce mea ad Dóminum clamávi: * et exaudívit me de monte sancto suo.

Ego dormívi, et soporátus sum: * et exurréxi, quia Dóminus suscépit me.

Non timébo míllia pópuli circumdántis me: * exúrge Dómine, salvum me fac Deus meus.

Quóniam tu percussísti omnes adversántes mihi sine cáusa: * dentes peccatórum contrivísti.

Dómini est salus: * et super pópulum tuum benedíctio tua.

Ant. Tribulátio, et angústia invenérunt me, mandáta tua meditátio mea est.

Ant. Sustínui qui simul contristarétur, et non fuit, et qui consolarétur, et non invéni.

Psalmus 12.

Usquequo Dómine oblivi-

scéris me in finem? * Usquequo avértis fáciem tuam a me?

Quámdiu ponam consília in ánima mea, * dolórem in corde meo per diem?

Usquequo exaltábitur inimícus meus super me? * réspice, et exáudi me Dómine Deus meus.

Illúmina óculos meos ne unquam obdórmiam in morte: * Nequándo dicat inimícus meus: Praeválui advérsus eum.

Qui tríbulant me, exultábunt si motus fúero: * ego áutem in misericórdia tua sperávi.

Exultábit cor meum in salutári tuo, cantábo Dómino qui bona tríbuit mihi: * et psallam nómini Dómini altíssimi.

Ant. Sustínui qui simul contristarétur, et non fuit, et qui consolarétur, et non invéni.

Ant. Adhaesit paviménto ánima mea, vivífica me secúndum verbum tuum.

Psalmus 87.

Dómine Deus salútis meae, * in die clamávi, et nocte coram te.

Intret in conspéctu tuo orátio mea: * inclína áurem tuam ad precem meam.

Quia repléta est malis ánima mea; * et vita mea inférno appropinquávit.

Aestimátus sum cum descendéntibus in lacum: * factus sum sicut homo sine adjutório, inter mórtuos liber.

Sicut vulneráti dormiéntes in sepúlchris, quorum non es memor ámplius: * et ipsi de manu tua repúlsi sunt.

Posuérunt me in lacu inferióri, * in tenebrósis, et in umbra mortis.

Super me confirmátus est furor tuus: * et omnes fluctus tuos induxísti super me.

Longe fecísti notos meos a me: * posuérunt me abominatiónem sibi.

Tráditus sum, et non egrediébar: óculi mei languérunt prae inópia.

Clamávi ad te Dómine tota die: * expándi ad te manus meas.

Numquid mòrtuis fácies mirabília: * aut médici suscitábunt, et confitebúntur tibi?

Numquid narrábit áliquis in sepúlchro misericórdiam tuam, * et veritátem tuam in perditióne?

Numquid cognoscéntur in ténebris mirabília tua, * et justítia tua in terra obliviónis?

Et ego ad te Dómine clamávi: * et mane orátio mea praevéniet te-

Ut quid Dómine repéllis o-

ratiónem meam: * avértis fáciem tuam a me?

Páuper sum ego, et in labóribus a juventúte mea: * exaltátus áutem, humiliátus sum et conturbátus.

In me transiérunt irae tuae: * et terróres tui conturbavérunt me.

Circumdedérunt me sicut aqua tota die: * circumdedérunt me simul.

Elongásti a me amícum et próximum, * et notos meos a miséria.

Ant. Adhaesit paviménto ánima mea vivífica me secúndum verbum tuum.

℣. Vigiláte, et oráte.

℟. Ut non intrétis in tentatiónem.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio VII.

Cap. 22.

In illo témpore: egréssus Jesus, ibat secúndum consuetúdinem in montem Olivárum. Sequúti sunt áutem illum et discípuli. Et réliqua.

Homilía sancti Ambrósii Episcopi.

Lib. 10. *Comment. in Luc.*

Cap. 22.

Transfer a me cálicem istum; quasi homo mortem recúsans, quasi Deus senténtiam suam servans. Opórtet enim mori nos saeculo, ut resurgámus Deo, ut juxta divínam senténtiam lex maledictiónis resolúta in terrae limum natúrae fine solvátur. Quod áutem ait; non mea volúntas, sed tua fiat, suam ad hóminem rétulit, Patris ad divinitátem. Volúntas enim hóminis temporális, volúntas divinitátis aetérna. Non ália volúntas Patris, ália Fílii. Una enim volúntas, ubi una divínitas. Disce tamen Deo esse subjéctus, ut non quod ipse vis éligas, sed quod Deo scias esse placitúrum.

℟. Veni in altitúdinem maris, * Et tempéstas demérsit me.

℣. Salvum me fac Deus, quóniam intravérunt aquae, usque ad ánimam meam. Et.

Lectio VIII.

Deínde verbórum ipsórum proprietátem considerémus. Tristis est, inquit, ánima mea. Et álibi: Nunc ánima mea turbáta est valde. Non ergo suscípiens, sed suscépta turbatur. Anima enim obnóxia passiónibus, divínitas libera. Dénique spíritus promptus, caro áutem infírma. Tristis áutem est non ipse, sed ànima. Non est tristis sapiéntia,

non divína substántia, sed ánima. Suscépit enim ánimam suam, suscépit corpus meum. Non me feféllit ut áliud esset, et áliud viderétur. Tristis videbátur, et tristis erat, non pro sua passióne, sed pro nostra dispersióne.

℟. Intret in conspéctu tuo orátio mea. * Inclína áurem tuam ad precem meam.

℣. Quia repléta est malis ánima mea, et vita mea inférno appropinquávit. Inclína.

Glória Patri. Inclína.

Lectio IX.

Dénique ait; percútiam pastórem, et dispergéntur oves gregis. Tristis erat, quia nos párvulos relinquébat. Caeterum quam constánter se morti obtúlerit consequéntia declárant; quandóquidem quaeréntibus occúrrit, turbátos confirmávit, trépidos provocávit, proditórem ósculi dignatióne suscépit. Nec illud distat a vero si tristis erat pro persecutóribus suis, quod sciébat immánis sacrilégii poenas datúros. Et ídeo dixit: transfer hunc cálicem a me. Non quia Deus Dei Fílius mortem timébat, sed quia nec malos pro se períre volébat.

Te Deum laudámus.

Ad Laudes et per Horas.

Ant.

Venit Jesus cum discípulis suis in villam, quae dícitur Gethsémani, et dixit illis, sedéte hic, donec vadam illuc, et orem.

Psalm. Dóminus regnávit, *cum reliquis de Dominica.*

Ant. Et assúmpto Petro, et duóbus fíliis Zebedaei, coepit contristári, et moestus esse.

Ant. Tunc ait illis: tristis est ánima mea usque ad mortem, sustinéte hic, et vigiláte mecum.

Ant. Et progréssus pusíllum prócidit in fáciem suam orans, et dicens: Pater mi, si possíbile est, tránseat a me calix iste.

Ant. Pater mi, si non potest hic calix transíre nisi bibam illum, fiat volúntas tua.

Cap. Venit Jesus, *ut sup. in Vesp.*

Hymnus.

Venit e coelo Mediátor alto,
Quem sacri dudum cecinére vates:
Parce moerióri lacrymísque amáris
Fília Sion
Attulit mortem vetus hortus, unde
Culpa prodívit, novus iste vitam

Hortus en affért, ubi nocte Jesus
Pérmanet orans.
Víndicem placat Genitóris iram:
Réprimit forti jaciénda dextra
Fúlmina: occúrrit scéleri expiándo
Sponte Redémptor.
Sic teret duros láqueos Avérni,
Et diu cláusam reserábit aulam:
Nos ad aetérni révocans beáta
Gáudia regni.
Laus, honor Patri, genitaeque Proli
Cui datum nomen super omne nomen,
Et Paracléto decus, atque virtus
Omne per aevum. Amen.

℣. Doce nos oráre.
℟. Sic ergo vos orábitis.

AD BENEDICTUS.

Ant. Factus in agonía prolíxius orábat; et factus est sudor ejus sicut guttae sánguinis decurréntis in terram.

ORATIO.

Dómine Jesu Christe, qui in horto verbo et exémplo nos oráre docuísti ad tentatiónum perícula superánda, concéde propítius, ut nos oratióni semper inténti ejus copiósum fructum cónsequi mereámur. Qui vivis.

AD TERTIAM

Ant. Et assúmpto Petro.
Cap. Venit Jesus. *ut sup.*
℟. *br.* Tristis est * Anima mea. Tristis.
℣. Usque ad mortem. Anima. Glória Patri. Tristis.
℟. Pater mi, si possíbile est.
℟. Tránseat a me calix iste.

AD SEXTAM

Ant. Tunc ait illis.

Cap. *Luc.* 21.

Vigiláte ítaque omni témpore orántes, ut digni habeámini fúgere ista ómnia, quae futúra sunt, et stare ante filium hóminis.

℟. *br.* Pater mi * Si possíbile est. Pater.
℣. Tránseat a me calix iste. Si possíbile est.
Glória Patri. Pater mi.
℣. Vigiláte, et oráte.
℟. Ut non intrétis in tentatiónem.

AD NONAM

Ant. Pater mi.

Capitulum. *Matth.* 5.

Oráte pro persequéntibus, et calumniántibus vos: ut sitis filii Patris vestri, qui in coelis est.

℟ *br.* Vigiláte * Et oráte. Vigiláte.

℣. Ut non intrétis in tentatiónem. Et oráte.

Glória Patri. Vigiláte.

℣. Factus est sudor ejus.

℟. Sicut guttae sánguinis.

In secundis Vesperis omnia ut in primis: et loco ultimi Psalm. Crédidi.

℣ Factus est sudor ejus.

℟. Sicut guttae sánguinis.

Ad Magnificat.

Ant Ecce appropinquávit hora, et filius hóminis tradétur in manus peccatórum.

Oratio ut supra in Laud.

FERIA III. POST DOMINICAM SEXAGESIMAE

In Commemoratione Passionis D. N. J. C. Duplex majus.

Ad Vesp. Ant. Cálicem salutáris accípiam, et nomen Dómini invocábo.

Psalmus 115.

Crédidi, propter quod locútus sum: * ego áutem humiliátus sum nimis.

Ego dixi in excéssu meo: * Omnis homo mendax.

Quid retríbuam Dómino: * pro ómnibus quae retríbuit mihi.

Cálicem salutáris accípiam: * et nomen Dómini invocábo.

Vota mea Dómino reddam, coram omni pópulo ejus: * pretiósa in conspéctu Dómini mors sanctórum ejus.

O Dómine, quia ego servus tuus: * ego servus tuus, et filius ancíllae tuae.

Dirupísti víncula mea: tibi sacrificábo hóstiam láudis, * et nomen Dómini invocábo.

Vota mea Dómino reddam in conspéctu omnis pópuli ejus: * in átriis domus Dómini in médio tui Jerúsalem.

Ant. Cálicem salutáris accípiam, et nomen Dómini invocábo.

Ant. Cum his, qui odérunt pacem, eram pacíficus: dum loquébar illis, impugnábant me gratis.

Psalmus. 119.

Ad Dóminum cum tribulárer clamávi: * et exaudívit me.

Dómine líbera ánimam meam a lábiis iníquis: et a lingua dolósa.

Quid detur tibi, aut quid apponátur tibi: * ad linguam dolósam?

Sagíttae poténtis acútae: * cum carbónibus desolatóriis.

Heu mihi, quia incolátus meus prolongátus est, habitávi cum habitántibus Cedar:

multum íncola fuit ánima mea.

Cum his qui odérunt pacem, eram pacíficus: * cum loquébar illis impugnábant me gratis.

Ant. Cum his qui odérunt pacem, eram pacíficus: dum loquébar illis, impugnábant me gratis.

Ant. Ab homínibus iníquis líbera me Dómine.

Psalmus 139.

Eripe me Dómine ab hómine malo: * a viro iníquo éripe me.

Qui cogitavérunt iniquitátes in corde: * tota die constituébant praelia.

Acuérunt linguas suas sicut serpéntis * venénum áspidum sub lábiis eórum.

Custódi me Dómine de manu peccatóris: et ab homínibus iníquis éripe me.

Qui cogitavérunt supplantáre gressus meos: * abscondérunt supérbi láqueum mihi.

Et funes extendérunt in láqueum: * juxta iter scándalum posuérunt mihi.

Dixi Dómino: Deus meus es tu: * exáudi Dómine vocem deprecatiónis meae.

Dómine, Dómine virtus salútis meae: * obumbrásti super caput meum in die belli.

Ne tradas me Dómine a desidério meo peccatóri: * cogitavérunt contra me, ne derelínquas me, ne forte exalténtur.

Caput circúitus eórum: * labor labiórum ipsórum opériet eos.

Cadent super eos carbónes, in ignem dejícies eos: * in misériis non subsístent.

Vir linguósus non dirigétur in terra: * virum injústum mala cápient in intéritu.

Cognóvi, quia fáciet Dóminus judícium ínopis. * et vindíctam páuperum.

Verúmtamen justi confitebúntur nómini tuo: * et habitábunt recti cum vultu tuo.

Ant. Ab homínibus iníquis líbera me Dómine.

Ant. Custódi me a láqueo quem statuérunt mihi, et a scándalis operántium iniquitátem.

Psalmus 140.

Dómine clamávi ad te, exáudi me: * inténde voci meae, cum clamávero ad te.

Dirigátur orátio mea sicut incénsum in conspéctu tuo: * elevátio mánuum meárum sacrifícium vespertínum.

Pone Dómine custódiam ori meo: * et óstium circumstántiae lábiis meis.

Non declínes cor meum in verba malítiae: * ad excusándas excusatiónes in peccátis.

Cum homínibus operántibus iniquitátem. * et non communicábo cum eléctis eórum.

Corrípiet me justus in misericórdia, et increpábit me: * óleum áutem peccatóris non impínguet caput meum.

Quóniam adhuc et orátio mea in beneplácitis eórum: * absórpti sunt juncti petrae júdices eórum.

Audient verba mea, quóniam potuérunt: * sicut crassitúdo terrae erúpta est super terram.

Dissipáta sunt ossa nostra secus inférnum: * quia ad te Dómine, Dómine óculi mei: in te sperávi, non áuferas ánimam meam.

Custódi me a láqueo, quem statuérunt mihi: * et a scándalis operántium iniquitátem.

Cadent in retiáculo ejus peccatóres, * singuláriter sum ego, donec tránseam.

Ant. Custódi me a láqueo, quem statuérunt mihi, et a scándalis operántium iniquitátem.

Ant. Considerábam ad déxteram, et vidébam, et non erat, qui cognósceret me.

Psalmus 141.

Voce mea ad Dóminum clamávi: * voce mea ad Dóminum deprecátus sum.

Effúndo in conspéctu ejus oratiónem meam; * et tribulatiónem meam ante ipsum pronúntio.

In deficiéndo ex me spíritum meum: * et tu cognovísti sémitas meas.

In via hac, qua ambulábam: * abscondérunt láqueum mihi.

Considerábam ad déxteram, et vidébam: * et non erat, qui cognósceret me.

Périit fuga a me: * et non est qui requírat ánimam meam.

Clamávi ad te Dómine: * dixi: Tu es spes mea, pòrtio mea in terra vivéntium.

Inténde ad deprecátionem meam: * quia humiliátus sum nimis.

Líbera me a persequéntibus me: * quia confortáti sunt super me.

Educ de custódia ánimam meam ad confiténdum nómini tuo: * me expéctant justi, donec retríbuas mihi.

Ant. Considerábam ad déxteram, et vidébam, et non erat, qui cognósceret me.

Capitul.

Philip. 2.

Fratres, hoc enim sentíte in vobis, quod et in Christo Jesu, qui cum in forma Dei esset, non rapínam arbitrátus est, esse se aequálem Deo: sed semetipsum exinanívit, formam servi accípiens, in similitúdinem hóminum factus, et há-

bitu invéntus ut homo. Humiliávit semetípsum factus obédiens usque ad mortem, mortem áutem Crucis.

Hymnus

Moeréntes óculi spárgite lácrymas
Et luctu résonent íntima córdium,
Illátas réfero Númini ab ímpiis
Poenas et fera vúlnera.
Accíncta heu! gládiis turba satéllitum
Arréptum Dóminum fústibus ímpetit,
Nunc caedit cólaphis, nunc quatit hórridis
Divínum Caput íctibus.
Haud finis scéleri; tráditur ímprobo
Christus carnífici; nec mora, bárbarus
In Regem súperum non timet ímpio
Ausu, vértere déxteram.
Audíte o Pópuli, Numen amábile,
Manánte ex húmeris úndique sánguine,
Lictóris rábidi sústinet ímpetum,
Et vocem premit innocens.
Quis non illácrymet! Jam nova cóndidit
Torménta indómitae Gentis iníquitas.
Infigit cérebro; proh dolor! ēfferis
Sertum vépribus ásperum.
Heu crimen! tráhitur fúnibus ímprobis
Funésti Dóminus supplícii ad locum;
Illic oppétiit, fúnere spíritum
Patri restítuens suo.
Passo pro míseris tam fera vúlnera
In terris résonet débita glória;
Sacrùmque assídue Nomen in aethera.
Humánum genus éfferat.
Amen.

℣. Oblátus est, quia ipse vóluit.

℟. Et livóre ejus sanáti sumus.

Ad Magnificat.

Ant. O vos omnes, qui transítis per viam, atténdite et vidéte, si est dolor sicut dolor meus.

ORATIO.

Omnípotens sempitérne Deus, qui humáno géneri, ad imitándum humilitátis exémplum: Salvatórem nostrum carnem súmere, et crucem subíre fecísti: concéde propítius, ut, sicut solémnem commemoratiónem Passiónis ejus celebrámus, ita et patiéntiae ipsíus habere documénta, et resurrectiónis consórtia me-

reámur. Per eúmdem Dóminum nostrum etc.

Ad Complet., et per Horas in fine Hymnorum dicitur.

Sit laus Patri, ac Paráclyto,
Natóque Patris único,
Nostrae dedit qui pródigus
Prétium salútis sánguinem.
Amen.

Ad Matutinum.

Invitatorium. Christum Regem Crucifixum * Veníte adorémus.

Psalmus. Veníte exultémus etc.

Hymnus.

Aspice, infámi Deus ipse ligno.
Pendet, effúso mádidus cruóre
Aspice, immíti manus alma clavo
Fínditur alte.

Hunc, velut pravi scéleris minístrum,
Inter indígnos médium latrónes,
Cerne: crudélis fuit ista gentis
Dira volúntas.

Pallet heu! vultus, caput ecce lassum
Fléctitur, cláusis óculis Redémptor
Spíritum, sacro méritis onústum,
Fundit ab ore.

O cor, aes durum súperas, geméndo
Ni scelus tergas; tua culpa Christum
Stípiti affixit; tua culpa morti
Súbdidit atrae,

Sit Deo aetérnum decus omne in aevum,
Qui pius nostri géneris Redémptor
Críminis labem míseris nocentem
Sánguine tersit. Amen.

In I. Nocturno.

Ant. Astitérunt Reges terrae, et Príncipes convenérunt in unum advérsus Dóminum, et advérsus Christum ejus.

Psalmus 2.

Quare fremuérunt gentes, * et pópuli meditáti sunt inánia?

Astitérunt reges terrae, et príncipes convenérunt in unum * advérsus Dóminum, et advérsus Christum ejus.

Dirumpámus víncula eórum * et projiciámus a nobis jugum ipsórum.

Qui hábitat in coelis, irridébit eos, * et Dóminus subsannábit eos.

Tunc loquétur ad eos in ira sua, * et in furóre suo conturbábit eos.

Ego áutem constitútus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum ejus: * praedicans praecéptum ejus.

Dóminus dixit ad me: * Fí-

lius meus es tu, ego hódie génuí te.

Póstula a me, et dabo tibi Gentes haereditátem tuam, * et possessiónem tuam términos terrae.

Reges eos in virga férrea, * et tamquam vas figuli confrínges eos.

Et nunc reges intellígite: * erudímini, qui judicátis terram.

Servíte Dómino in timóre, * et exultáte ei cum tremóre.

Apprehéndite disciplínam, nequándo irascátur Dòminus, * et pereátis de via justa.

Cum exárserit in brevi ira ejus, * beáti omnes, qui confidunt in eo.

Ant. Astitérunt Reges terrae, et Príncipes convenérunt in unum, advérsus Dóminum, et advérsus Christum ejus.

Ant. Multiplicáti sunt, qui tríbulant me, multi insúrgunt advérsum me.

Psalmus 3.

Dómine, quid multiplicáti sunt qui tríbulant me? * multi insúrgunt advérsum me.

Multi dicunt ánimae meae, * non est salus ipsi in Deo ejus.

Tu áutem Dómine suscéptor meus es, * glória mea, et exáltans caput meum.

Voce mea ad Dóminum clamávi, * et exaudívit me de monte sancto suo.

Ego dormívi, et soporátus sum, * et exurréxi, quia Dóminus suscépit me.

Non timébo míllia pópuli circumdántis me, * exúrge Dómine, salvum me fac Deus meus.

Quóniam tu percussísti omnes adversántes mihi sine cáusa, * dentes peccatórum contrivísti.

Dómini est salus, * et super pópulum tuum benedíctio tua.

Ant. Multiplicáti sunt, qui tríbulant me, multi insúrgunt advérsum me.

Ant. Divisérunt sibi vestiménta mea, et super vestem meam misérunt sortem.

Psalmus 21.

Deus Deus meus, réspice in me: quare me dereliquísti? * longe a salúte mea verba delictórum meòrum.

Deus meus clamábo per diem, et non exáudies: * et nocte, et non ad insipiéntiam mihi.

Tu áutem in sancto hábitas, * Laus Israel.

In te speravérunt patres nostri: * speravérunt, et liberásti eos.

Ad te clamavérunt, et salvi facti sunt: * in te speravérunt, et non sunt confúsi.

Ego áutem sum vermis, et non homo: * oppróbrium hóminum, et abjéctio plebis.

Omnes vidéntes me, derisérunt me: * locúti sunt lábiis, et movérunt caput.

Sperávit in Dómino, erípiat eum: * salvum fáciat eum, quóniam vult eum.

Quóniam tu es, qui extraxísti me de ventre: * spes mea ab ubéribus matris meae: In te projéctus sum ex útero.

De ventre matris meae Deus meus es tu: * ne discésseris a me.

Quóniam tribulátio próxima est: * quóniam non est, qui ádjuvet.

Circumdedérunt me vítuli multi: * táuri pingues obsedérunt me.

Aperuérunt super me os suum, * sicut leo rápiens et rúgiens.

Sicut aqua effúsus sum: * et dispérsa sunt ómnia ossa mea.

Factum est cor meum tamquam cera liquéscens * in médio ventris mei.

Aruit tamquam testa virtus mea, et lingua mea adhaesit fáucibus meis: * et in púlverem mortis deduxísti me.

Quóniam circumdedérunt me canes multi: * concílium malignántium obsédit me.

Fodérunt manus meas, et pedes meos: * dinumeravérunt ómnia ossa mea.

Ipsi vero consideravérunt et inspexérunt me: * divisérunt sibi vestiménta mea, et super vestem meam misérunt sortem.

Tu áutem Dómine, ne elongáveris auxílium tuum a me: * ad defensiónem meam cónspice.

Erue a frámea Deus, ánimam meam: * et de manu canis únicam meam.

Salva me ex ore leónis: * et a córnibus unicórnium humilitátem meam.

Narrábo nomen tuum frátribus meis: * in médio Ecclésiae laudábo te.

Qui timétis Dóminum, laudáte eum: * univérsum semen Jacob glorificáte eum.

Tímeat eum omne semen Israel: * quóniam non sprevit, neque despéxit deprecatiónem páuperis.

Nec avértit fáciem suam a me: * et cum clamárem ad eum, exaudívit me.

Apud te laus mea in Ecclésia magna: * vota mea reddam in conspéctu timéntium eum.

Edent páuperes, et saturabúntur, et laudábunt Dóminum, qui requírunt eum: * vivent corda eórum in saeculum saeculi.

Reminiscéntur, et conver-

téntur ad Dominum: * univérsi fines terrae.

Et adorábunt in conspéctu ejus: * univérsae famíliae Gentium.

Quóniam Dómini est regnum: * et ipse dominábitur géntium.

Manducavérunt, et adoravérunt omnes pingues terrae: * in conspéctu ejus cadent omnes, qui descéndunt in terram.

Et ánima mea illi vivet: * et semen meum sérviet ipsi.

Annuntiábitur Dómino generátio ventúra: * et annuntiábunt coeli justítiam ejus, pópulo qui nascétur, quem fecit Dóminus.

Ant. Divisérunt sibi vestiménta mea, et super vestem meam misérunt sortem.

℣. Oblátus est, quia ipse vóluit.

℟. Et livóre ejus sanáti sumus.

De Epístola Beáti Páuli Apóstoli ad Romános.

Lectio I.

Cap. 5. *et* 6.

Comméndat charitátem suam Deus in nobis: quóniam cum adhuc peccatóres essémus, secúndum tempus Christus pro nobis mórtuus est: multo ígitur magis nunc justificáti in Sánguine ipsíus, salvi érimus ab ira per ipsum. Si enim, cum inimíci essémus, reconciliáti sumus Deo per mortem Fílii ejus, multo magis reconciliáti, salvi érimus in vita ipsíus. Non solum áutem, sed et gloriámur in Deo, per Dóminum nostrum Jesum Christum, per quem nunc reconciliatiónem accépimus. Si enim, uníus delícto, mors regnávit per unum: multo magis abundántiam grátiae, et donatiónis, et justítiae accipiéntes, in vita regnábunt per Jesum Christum.

℟. Vínea mea elécta, ego te plantávi, dicit Dóminus, et tu facta es mihi nimis amára; * quia parásti Crucem Salvatóri tuo.

℣. Pópule meus, quid feci tibi, aut in quo contristávi te? respónde mihi. Quia parásti etc.

Lectio II.

Igitur, sicut per uníus delíctum, in omnes hómines, in condemnatiónem; sic et per uníus justítiam, in omnes hómines in justificatiónem vitae: Sicut enim, per inobediéntiam uníus hóminis, peccatóres constitúti sunt multi: ita et per uníus obeditiónem justi constituéntur multi. Lex áutem subintrávit, ut abundáret delíctum: ubi áutem

abundávit delíctum, superabundávit grátia; ut sicut regnávit peccátum in mortem, ita et grátia regnet, per justítiam, in vitam aetérnam, per Jesum Christum Dóminum nostrum.

℟. Ego edúxi te de Ægypto, deme̍rso Pharaóne in mare rubrum, et ante te praeìvi in colúmna nubis; * Et tu me tradidísti Princípibus sacerdótum, et me duxísti ad praetórium Piláti.

℣. Pópule meus, quid feci tibi, aut in quo contristávi te? respónde mihi. Et tu me tradidísti etc,

Lectio III.

Quid ergo dicémus? Permanébimus in peccáto, ut grátia abúndet? Absit: qui enim mórtui sumus peccáto, quómodo adhuc vivémus in illo? An ignorátis, quia quicúmque baptizáti sumus in Christo Jesu, in morte ipsíus baptizáti sumus? Consepúlti enim sumus cum illo, per Baptísmum in mortem: ut quómodo Christus surréxit a mórtuis, per glóriam Pátris; ita, et nos in novitáte vitae ambulémus. Si enim complantáti facti sumus similitúdini mortis ejus; simul et resurrectiónis érimus. Hoc sciéntes, quia vetus homo noster simul crucifixus est, ut destruátur corpus peccáti, et ultra non serviámus peccáto. Qui enim mórtuus est, justificátus est a peccáto. Si áutem mórtui sumus cum Christo, crédimus quia simul étiam vivémus cum Christo.

℟. Ego propter te flagellávi Ægyptum, cum primogénitis suis: * Et tu me flagellátum tradidìsti, * Qui, tamquam Agnus coram tondénte se obmútui; et non apérui os meum.

℣. Pópule meus, quid feci tibi, aut in quo contristávi te? respónde mihi. Et tu me. Glória Patri etc. Qui tamquam Agnus etc.

In II. Nocturno.

Ant. Inimíci mei dixérunt mala mihi: quando moriétur, et períbit nomen ejus?

Psalmus 40.

Beátus qui intélligit super egénum, et páuperem, * in die mala liberábit eum Dóminus.

Dóminus consérvet eum, et vivíficet eum, et beátum fáciat eum in terra, * et non tradat eum in ánimam inimicórum ejus.

Dóminus opem ferat illi super lectum dolóris ejus, * u-

nivérsum stratum ejus versásti in infirmitáte ejus.

Ego dixi; Dòmine miserére mei, * sana ánimam meam quia peccávi tibi.

Inimíci mei dixérunt mala mihi: * quando moriétur, et períbit nomen ejus?

Et si ingrediebátur, ut vidéret, vana loquebátur, * cor ejus congregávit iniquitátem sibi.

Egrediebátur foras, * et loquebátur in idípsum.

Advérsum me susurrábant omnes inimíci mei, * advérsum me cogitábant mala mihi.

Verbum iníquum constituérunt adversum me: * numquid qui dormit non adjíciet, ut resúrgat?

Etenim homo pacis meae, in quo sperávi, * qui edébat panes meos, magnificávit super me supplantatiónem.

Tu áutem Dómine miserére mei, et resúscita me, * et retríbuam eis.

In hoc cognóvi quóniam voluísti me: * quóniam non gaudébit inimícus meus super me.

Me áutem propter innocéntiam suscepísti, * et confirmásti me in conspéctu tuo in aetérnum.

Benedíctus Dóminus Deus Israel a saeculo, et usque in saeculum; * fiat, fiat.

Ant. Inimíci mei dixérunt mala mihi, quando moriétur, et períbit nomen ejus?

Ant. Aliéni insurrexérunt in me, et fortes quaesiérunt ánimam meam.

Psalm. 53.

Deus in nómine tuo salvum me fac; * et in virtúte tua júdica me.

Deus exáudi oratiónem meam: * áuribus pércipe verba oris mei.

Quóniam aliéni insurrexérunt advérsum me, et fòrtes quaesiérunt ánimam meam: * et non proposuérunt Deum ante conspéctum suum.

Ecce enim Deus ádjuvat me: * et Dóminus suscéptor est ánimae meae.

Avérte mala inimícis meis, * et in veritáte tua dispérde illos.

Voluntárie sacrificábo tibi: * et confitébor nómini tuo Domine, quóniam bonum est.

Quoniam ex omni tribulatióne eripuísti me; * et super inimícos meos despéxit óculus meus.

Ant. Aliéni insurrexérunt in me, et fortes quaesiérunt ánimam meam.

Ant. Conculcavérunt me inimíci mei tota die, advérsum me omnes cogitatiónes eórum in malum.

Psalm. 55.

Miserére mei Deus, quóniam conculcávit me homo: * tota die impúgnans tribulávit me.

Conculcavérunt me inimíci mei tota die: * quóniam multi bellántes advérsum me.

Ab altitúdine diei timébo: * ego vero in te sperábo.

In Deo laudábo sermónes meos, in Deo sperávi, * non timébo quid fáciat mihi caro.

Tota die verba mea execrabántur: * advérsum me omnes cogitatiónes eórum in malum.

Inhabitábunt, et abscóndent, * ipsi calcáneum meum observábunt.

Sicut sustinuérunt ánimam meam, pro níhilo salvos fácies illos: * in ira pópulos confrínges.

Deus vitam meam annuntiávi tibi: * posuísti lácrymas meas in conspéctu tuo.

Sicut et in promissióne tua: * tunc converténtur inimíci mei retrórsum.

In quacúmque die invocávero te: * ecce cognóvi, quóniam Deus meus es.

In Deo laudábo verbum, in Dómino laudábo sermónem: * in Deo sperávi, non timébo quid fáciat mihi homo.

In me sunt Deus vota tua: * quae reddam, laudatiónes tibi.

Quóniam eripuísti ánimam meam de morte, et pedes meos de lapsu: * ut pláceam coram Deo in lúmine vivéntium.

Ant. Conculcavérunt me inimíci mei tota die, advérsum me omnes cogitatiónes eórum in malum.

℣. Próprio Fílio suo non pepércit Deus.

℟. Sed pro nobis ómnibus trádidit illum.

Sermo Sancti Augustíni Epíscopi.

Serm. 41. Domin. in palmis de Passione Domini.

Lectio IV.

Admonet nos, fratres charíssimi, ad solemnitátem Domínicae Passiónis dies ipse, in quo eam, nec muta eleménta tacuérunt. Célebret eam lux fidei linguis hóminum, quam conclamavérunt étiam siléntia tenebrárum. Dóminus noster in statéra Crucis prétium nostrae salútis appéndit, et una morte univérsum mundum, sicut ómnium Cónditor, ita ómnium Reparátor absólvit. Indubitánter enim credámus, quod totum mundum redémit, qui plus dedit,

quam totus mundus valéret. Méritum enim redémptae mercédis dígnitas insígnis prétii supergréssa est. Inter redémptum et rediméntem dispensátio fuit, compensátio non fuit. Qui ergo non habébat peccáta própria, digne delévit aliéna. Solus hic pia víctima pro ómnibus cécidit, ut omnes leváret; et quia débitum solus non hábuit, recte foenus misericórdiae pro debitóribus erogávit.

℟. Ego propter te Chananaeórum Reges percússi, et dedi tibi sceptrum regále: * et tu dedísti cápiti meo spíneam corónam, et percussísti arúndine caput meum.

℣. Pópule meus, quid feci tibi, aut in quo contristávi te? respónde mihi. Et tu dedísti cápiti meo.

Lectio V.

Perpénde inter haec, qui talem pro nobis dedit pecúniam, qualem a nobis sit exactúrus usúram. In hac ítaque die fides prophéticae annuntiatiónis impléta est, ita dicéntis: Corpus meum dedi percutiéntibus, et genas meas velléntibus, fáciem meam non avérti a foeditáte sputórum. Suscépit mala nostra, ut tribúeret bona sua. Hinc intelligámus, quantum hóminem diligere dignátus sit ante culpam, quem sic díligit, post ruínam. Agnósce homo quantum váleas, et quantum débeas; et dum tantam redemptiónis tuae pérspicis dignitátem, ipse tibi indícito peccándi pudórem: Ecce, pro ímpio píetas flagellátur, pro stulto sapiéntia illúditur, pro mendáce véritas necátur, damnátur justítia pro iníquo, misericórdia afficitur pro crudéli, pro mísero replétur sincéritas acéto, inebriátur felle dulcédo, addícitur innocéntia pro reo, móritur vita pro mórtuo.

℟. Ego duxi te per desértum, quadragínta annis, et manna cibávi te: * Et tu me caecidísti álapis et flagéllis.

℣. Pópule meus, quid feci tibi, aut in quo contristávi te? respónde mihi. Et tu me.

Lectio VI.

Expávit scelus hóminum natúra rerum, et quem creatúra rebéllis non agnóscit, eum mundi Dóminum tremens terra testátur, et coeli Regem Sol fúgiens confitétur. Clámyde coccínea indúitur, quia sànguine Mártyrum suórum Ecclésiae corpus ornátur. Coróna spínea cápiti ejus impónitur, quia punítio peccatórum nostrórum, quorum, remissióne Redemptó-

ris glória strúitur, áridis tríbulis comparátur. Studeámus nunc e divérso, ut membrórum vita cápitis sit coróna. Quod vero sitíre se in Cruce pósitus dicit, fidem incrédulae gentis concupíscit; sed e contra acétum malítiae pórrigunt, quia vinum sapiéntiae, quod a Deo accéperant, peccándo corrúperant. Velum templi scínditur, quia Synagóga honóre nudátur, observátio antíqua dissólvitur, Ecclésiae únitas praemonstrátur. Monuménta aperiúntur, quia mortis jura, jure superántur.

℟. Ego exaltávi te, magna virtúte: * Et tu me suspendísti in patíbulo Crucis, * In qua expándi manus meas ad pópulum non credéntem, et contradicéntem.

℣. Pópule meus quid feci tibi, aut in quo contristávi te? respónde mihi. Et tu me. Glória Patri etc. In qua.

In III. Nocturno.

Ant. Fílii hóminum dentes eórum arma, et sagíttae, et lingua eórum gládius acútus.

Psalmus 56.

Miserére mei Deus, miserére mei: * quóniam in te confídit ánima mea.

Et in umbra alárum tuárum sperábo: * donec tránseat iníquitas.

Clamábo ad Deum altíssimum: * Deum qui benefécit mihi.

Misít de coelo, et liberávit me: * dedit in oppróbrium conculcántes me.

Misit Deus misericórdiam suam, et veritátem suam: * et erípuit ánimam meam de médio catulórum leónum: dormívi conturbátus.

Fílii hóminum dentes eórum arma, et sagíttae; * et lingua eórum gládius acútus.

Exaltáre super coelos Deus: * et in omnem terram glória tua.

Láqueum paravérunt pédibus meis: * et incurvavérunt ánimam meam.

Fodérunt ante fáciem meam fóveam: * et incidérunt in eam.

Parátum cor meum Deus, parátum cor meum: * cantábo, et psalmum dicam.

Exúrge glória mea, exúrge psaltérium et cíthara; * exúrgam dilúculo.

Confitébor tibi in pópulis Dómine: * et psalmum dicam tibi in Géntibus.

Quóniam magnificáta est usque ad coelos misericórdia tua: * et usque ad nubes véritas tua.

Exaltáre super coelos Deus: * et super omnem terram glória tua.

Ant. Fílii hóminum dentes eórum arma, et sagíttae, et

lingua eórum gládius acútus.

Ant. Intendérunt arcum rem amáram, ut sagíttent in occúltis immaculátum.

Psalmus 63.

Exáudi Deus oratiónem meam cum déprecor: * a timóre inimíci éripe ánimam meam.

Protexísti me a convéntu malignántium, * a multitúdine operántium iniquitátem.

Quia exacuérunt ut gládium linguas suas: * intendérunt arcum rem amáram, ut sagíttent in occúltis immaculátum.

Súbito sagittábunt eum, et non timébunt: * firmavérunt sibi sermónem nequam.

Narravérunt ut abscónderent láqueos: * dixérunt: Quis vidébit eos?

Scrutáti sunt iniquitátes: * defecérunt scrutántes scrutínio.

Accédet homo ad cor altum: * et exaltábitur Deus.

Sagíttae parvulórum factae sunt plagae eórum: * et infirmátae sunt contra eos linguae eórum.

Conturbáti sunt omnes qui vidébant eos: * et tímuit omnis homo.

Et annuntiavérunt ópera Dei: * et facta ejus intellexérunt.

Laetábitnr justus in Dómino, et sperábit in eo, * et laudabúntur omnes recti corde.

Ant. Intendérunt arcum rem amáram, ut sagíttent in occúltis immaculátum.

Ant. Factus sum sicut homo sine adjutório, inter mórtuos liber.

Psalmus 87.

Dómine Deus salútis meae, * in die clamávi, et nocte coram te.

Intret in conspéctu tuo orátio mea: * inclína áurem tuam ad precem meam.

Quia repléta est malis ánima mea; * et vita mea inférno appropinquávit.

Aestimátus sum cum descendéntibus in lacum: * factus sum sicut homo sine adjutório, inter mórtuos liber.

Sicut vulneráti dormiéntes in sepúlchris, quorum non es memor ámplius: * et ipsi de manu tua repúlsi sunt.

Posuérunt me in lacu inferióri, * in tenebrósis, et in umbra mortis.

Super me confirmátus est furor tuus: * et omnes fluctus tuos induxísti super me.

Longe fecísti notos meos

a me: * posuérunt me abominatiónem sibi.

Tráditus sum, et non egrediébar: óculi mei languérunt prae inópia.

Clamávi ad te Dómine tota die: * expándi ad te manus meas.

Numquid mòrtuis fácies mirabília: * aut médici suscitábunt, et confitebúntur tibi?

Numquid narrábit áliquis in sepúlchro misericórdiam tuam, * et veritátem tuam in perditióne?

Numquid cognoscéntur in ténebris mirabília tua, * et justítia tua in terra obliviónis?

Et ego ad te Dómine clamávi: * et mane orátio mea praevéniet te.

Ut quid Dómine repéllis oratiónem meam: * avértis fáciem tuam a me?

Páuper sum ego, et in labóribus a juventúte mea: * exaltátus áutem, humiliátus sum et conturbátus.

In me transiérunt irae tuae: * et terróres tui conturbavérunt me.

Circumdedérunt me sicut aqua tota die: * circumdedérunt me simul.

Elongásti a me amícum et próximum, * et notos meos a miséria.

Ant. Factus sum sicut homo sine adjutório, inter mórtuos liber.

℣. Factus est obédiens usque ad mortem.

℟. Mortem áutem Crucis.

Léctio Sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Lectio VII.

Cap. 19.

In illo témpore sciens Jesus quia ómnia consummàta sunt, ut consummarétur scriptúra dixit: Sítio. Et réliqua.

Homilía Sancti Joánnis Chrysóstomi.

Hom. 84. in cap. 19. Joannis ante medium.

Sciens Jesus ómnia consummáta, ait, sítio: étiam hoc verbo prophetíam implens. Tu áutem adstántium pravitátem intéllige: nam lícet innúmeros habeámus inimícos, qui nos gravíssime persecúti sint, cum tamen intérimi eos vidémus, fléctimur misericórdia. Hi vero nil moti, magis efferántur, et irrídent, acetúmque in spóngia pórrigunt, ut bibat tamquam reus: nam propter hoc hyssópum ádditur, quo gustáto, mórtuus est. Vides quam non perturbáte, et quam poténter ómnia transigéntem? Quod et prósequens osténdit; cum enim

ómnia consummáta essent, inclináto cápite, quod affixum non erat, trádidit spíritum, hoc est expirávit.

℟. Ego te potávi aqua salútis de petra; * Et tu me potásti felle, et acéto.

℣. Pópule meus quid feci tibi aut in quo contristávi te? Respónde mihi. Et tu etc.

Lectio VIII.

Atqui non post inclinátum caput expirátur; sed post exspiratiónem caput inclinátur. Hic áutem contra áccidit, per quod osténdit, eum, Evangelísta, esse ómnium Dóminum. Judaei áutem camélum devorántes, et cúlicem excolántes, tantum nefas áusi de die consúltant: quóniam Parascéve erat, ut non remanérent in cruce córpora Sábbato, rogavérunt Pilátum, ut frangeréntur eórum crura. Vides quanti sit véritas? Per ea quae illi fáciunt Prophetía implétur, ália enim ex hoc manifestáta est: Venérunt ergo mílites, et aliórum fregérunt crura, non Christi: sed ad Judaeórum grátiam conciliándam latus ejus láncea aperuérunt, et mórtuo adhuc insúltant. O péssimam voluntátem, ac scelestíssimam!

℟. Ego ante te apérui mare: * et tu aperuísti láncea latus Salvatóri tuo, * Qui redémit mundum in Sánguine suo.

℣. Pópule meus, quid feci tibi, aut in quo contristávi te? respónde mihi. Et tu aperuísti. Glória Patri etc. Qui redémit mundum.

Lectio IX.

Noli tamen perturbári, dilectíssime, quae enim, malo illi ánimo patrárunt, veritáti consentiébant. Prophetía hinc impléta est, ínquiens: vidébunt in quem transfixérunt. Neque hoc tantum, sed non creditúris fuit fidei argúmentum, ut Thomae, et qui cum eo erant. Ad haec, et arcánum mystérium consummátum est, exívit enim Sanguis et Aqua. Non casu, et simplíciter hi fontes scaturiérunt: sed quóniam ex ambóbus Ecclésia constitúta est. Sciunt hoc initiáti, per aquam enim regeneráti, Sánguine, et Carne nutríti sunt. Hinc mystéria ortum habent, ut quóties ad admirándum Cálicem accédis, tamquam ab ipso látere háuriens accédas.

Te Deum laudámus.

Ad Laudes, et per Horas.

Ant.

Fui flagellátus tota die, et castigátio mea in matutínis.

Psalm. Dóminus regnávit *cum reliquis de Dominica.*

ORATIO.

Omnípotens sempiterne Deus, qui humáno géneri, ad imitándum humilitátis exémplum: Salvatórem nostrum carnem súmere, et crucem subíre fecisti: concéde propítius, ut, sicut solémnem commemoratiónem Passiónis ejus celebrámus, ita et patiéntiae ipsíus habére documénta, et resurrectiónis consórtia mereámur. Per eúmdem.

Ad Prim. in ℟. brev. dic.

℣. Qui pro nobis pati dignátus es.

AD TERTIAM.

Ant. Veni ad montem etc. *ut in Laudib.*

Cap. Fratres, hoc enim sentíte in vobis. *ut supra.*

℟. *brev.* Oblátus est * quia ipse vóluit. Oblátus.

℣. Et livóre ejus sanáti sumus. Quia ipse vóluit. Glória Patri. Oblátus est,

℣. Próprio filio suo non pepércit Deus.

℣. Sed pro nobis ómnibus trádidit illum.

AD SEXTAM.

Ant. Fodérunt manus meas.

Capitul.

Zach. 13. 6.

Quid sunt plagae istae in médio mánuum tuárum? Et dicet, his plagátus sum in domo eórum, qui diligébant me.

℟. *br.* Próprio Fílio suo * non pepércit Deus. Próprio Fílio.

℣. Sed pro nobis ómnibus trádidit illum. Non pepércit Deus.

Glória Patri. Próprio Fílio.

℣. Factus est obédiens usque ad mortem.

℟. Mortem áutem Crucis.

AD NONAM

Ant. Cum accepísset Jesus.

Capitulum.

Isaj. 53. 1.

Generatiónem ejus quis enarrábit? Quia abscíssus est de terra vivéntium, propter scelus pópuli mei percússi eum.

℟. *br.* Factus est obédiens * usque ad mortem. Factus est.

℣. Mortem áutem Crucis. Usque ad mortem.

Glória Patri. Factus est.

℣. Ipse vulnerátus est propter iniquitátes nostras.

℣. Et attrítus est propter scélera nostra.

In II. Vesperis omnia ut in primis praeter sequentia.

℣. Ipse vulnerátus est propter iniquitátes nostras;

℟. Et attrítus est propter scélera nostra.

AD MAGNIFICAT.

Ant. Depónens Joseph Corpus Jesu invólvit Síndone,

et pósuit eum in monuménto excíso; fuit planctus magnus in illa die; Mulíeres áutem sedéntes contra sepúlchrum dolébant, sicut doléri solet in morte primogéniti.

Oratio. Omnípotens sempitérne Deus; *ut supra.*

FERIA VI. POST CINERES

In Commemoratione SACRATISSIMAE SPINEAE CORONAE D. N. J. C. Duplex majus.

Ad Vesperas Ant. Diléctus meus cándidus, *cum reliq. de Laudib. ut infra.*

Psalm. Dixit Dóminus, *cum reliq. de Dominica, et loco ult. Ps.* Laudáte Dóminum omnes Gentes.

Capitulum.

Cant. 3. d.

Egredímini, et vidéte filiae Sion regem Salomónem in diadémate, quo coronávit illum mater sua.

Hymnus.

Exíte Sion filiae!
Regis pudícae vírgines,
Christi Corónam cérnite
Quam mater ipsa téxuit.
Horret revúlsis crínibus
Spinis cruentátum caput:
Et vultus ille décolor
Mortem propínquam réspicit.
Quae terra sulcis ínvia,
Dumis rigens et séntibus,
Lugúbre munus prótulit,
Quae saeva méssuit manus?
Christi rubéscens sánguine
Acúleos mutat rosis
Palmámque vincens frúctibus
Spina est triúmphis áptior,
Culpis satae mortálium
Te, Christe, spinae vúlnerant
Evélle nostras córdibus,
Tuásque nostris ínsere.
Virtus, honor, laus, glória
Deo Patri cum Fílio,
Sancto simul Paráclito,
In saeculórum saecula.
Amen.

℣. Plecténtes Corónam de Spinis.
℟. Posuérunt super caput ejus.

Ad Magnificat.

Ant. Egredímini, et vidéte filiae Sion regem Salomónem in diadémate, quo coronávit eum mater sua, parans crucem Salvatóri suo.

ORATIO.

Praesta quaesumus, omnípotens Deus, ut, qui, in memóriam passiónis Dómini nostri Jesu Christi, Corónam

ejus spineam venerámur in terris; ab ipso glória et honóre coronári mereámur in coelis. Qui tecum vivit et regnat in unitáte.

Et fit comm. Feriae.

AD MATUTINUM

Invitatorium. Christum regem Spinis coronátum * Veníte adorémus.

Ps. 94. Veníte exultémus.

Hymn. Exíte, *ut supra.*

IN I. NOCTURNO

Ant. Erit tamquam lignum quod plantátum est secus decúrsus aquárum; et fructum suum dabit in témpore suo.

Psalmus 1.

Beátus vir qui non ábiit in consílio impiórum, et in via peccatórum non stetit, * et in cáthedra pestiléntiae non sedit.

Sed in lege Dómini volúntas ejus, * et in lege ejus meditábitur die ac nocte.

Et erit tamquam lignum, quod plantátum est secus decúrsus aquárum, * quod fructum suum dabit in témpore suo.

Et fólium ejus non défluet, * et ómnia, quaecúmque fáciet, prosperabúntur.

Non sic ímpii, non sic, * sed tamquam pulvis, quem prójicit ventus a fácie terrae.

Ideo non resúrgent ìmpii in judìcio, * neque peccatóres in concílio justórum.

Quóniam novit Dóminus viam justórum, * et iter impiórum períbit.

Ant. Erit tamquam lignum; quod plantátum est secus decúrsus aquárum, et fructum suum dabit in témpore suo.

Ant. Convenérunt in unum advérsus Dóminum, et advèrsus Christum ejus.

Psalmus 2.

Quare fremuérunt gentes, * et pópuli meditáti sunt inánia?

Astitérunt reges terrae, et príncipes convenérunt in unum * advérsus Dóminum, et advérsus Christum ejus.

Dirumpámus víncula eórum * et projiciámus a nobis jugum ipsórum.

Qui hábitat in coelis, irridébit eos, * et Dóminus subsannábit eos.

Tunc loquétur ad eos in ira sua, * et in furóre suo conturbábit eos.

Ego áutem constitútus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum ejus: * praedicans praecéptum ejus.

Dóminus dixit ad me: * Fí-

lius meus es tu, ego hódie génui te.

Póstula a me, et dabo tibi Gentes haereditátem tuam, * et possessiónem tuam términos terrae.

Reges eos in virga férrea, * et tamquam vas figuli confrínges eos.

Et nunc reges intellígite: * erudímini, qui judicátis terram.

Servíte Dómino in timóre, * et exultáte ei cum tremóre.

Apprehéndite disciplínam, nequándo irascátur Dòminus, * et pereátis de via justa.

Cum exárserit in brevi ira ejus, * beáti omnes, qui confídunt in eo.

Ant. Convenérunt in unum advérsus Dóminum, et advérsus Christum ejus.

Ant. In tribulatióne dilatásti mihi.

Psalmus 4.

Cum invocárem, exaudívit me Deus justítiae meae, * in tribulatióne dilatásti mihi.

Miserére mei, * et exáudi oratiónem meam.

Fílii hóminum úsquequo gravi corde? * ut quid dilígitis vanitátem, et quaeritis mendácium?

Et scitóte quóniam mirificávit Dóminus sanctum suum, * Dóminus exáudiet me, cum clamávero ad eum.

Irascímini, et nolíte peccáre, * quae dícitis in córdibus vestris, in cubílibus vestris compungímini.

Sacrificáte sacrifícium justítiae, et speráte in Dómino, * multi dicunt: Quis osténdit nobis bona?

Signátum est super nos lumen vultus tui, Dómine, * dedísti laetítiam in corde meo.

A fructu fruménti, vini, et òlei sui, * multiplicáti sunt.

In pace in idípsum * dórmiam et requiéscam.

Quóniam tu Dómine singuláriter in spe, * constituísti me.

Ant. In tribulatióne dilatásti mihi.

℣. Glória et honóre coronàsti eum Dómine.

℟. Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

De Isaía Prophéta.

Lectio I.

Cap. 53.

Quis crédidit audítui nostro et bráchium Dómini cui revelátum est? Et ascéndet sicut virgúltum coràm eo, et sicut radix de terra sitiénti. Non est spécies ei, neque decor, et vídimus eum, et non erat aspéctus, et desiderávimus eum; despéctum, et novíssimum virórum, virum dolórum, et sciéntem infirmi-

tátem, et quasi abscónditus vultus ejus, et despéctus; unde nec reputávimus eum. Vere languóres nostros ipse tulit et dolóres nostros ipse portávit; et nos putávimus eum quasi leprósum et percússum a Deo et humiliátum. Ipse áutem vulnerátus est propter iniquitátes nostras, attrítus est propter scélera nostra; disciplína pacis nostrae super eum, et livóre ejus sanáti sumus.

℟. Maledícta terra in ópere hóminis, * Spinas et tríbulos germinávit Christo.

℣. Quia comédit Adam de ligno, ex quo praecéperat Deus ne coméderet. Spinas.

Lectio II.

Omnes nos quasi oves errávimus, unusquísque in viam suam declinávit: et pósuit Dóminus in eo iniquitátem ómnium nostrum. Oblátus est quia ipse vóluit, et non apéruit os suum; sicut ovis ad occisiónem ducétur, et quasi agnus coram tondénte se obmutéscet, et non apériet os suum. De angústia et de judício sublátus est; generatiónem ejus quis enarrábit? quia abscíssus est de terra vivéntium; propter scelus pópuli mei percússi eum.

℟. Appáruit Móysi Dóminus in flamma ignis de médio rubi; * Et vidébat quod rubus ardéret, et non comburerétur.

℣. Dixit ergo Móyses: Vadam, et vidébo visiónem hanc magnam. Et vidébat.

Lectio III.

Et dabit ímpios pro sepultúra, et dívitem pro morte sua: eo quod iniquitátem non fécerit, neque dolus fúerit in ore ejus. Et Dóminus vóluit contérere eum in infirmitáte: si posúerit pro peccáto ánimam suam, vidébit semen longaevum, et volúntas Dómini in manu ejus dirigétur. Pro eo quod laborávit ánima ejus, vidébit et saturábitur; in sciéntia sua justificábit ipse justus servus meus multos, et iniquitátes eórum ipse portábit.

℟. Ecce ignis et ligna; Deus providébit sibi * Víctimam holocáusti.

℣. Levávit Abraham óculos suos, vidítque post tergum aríetem inter vepres haeréntem. Víctimam. Glória Patri. Víctimam.

IN II. NOCTURNO

Ant. Dómine, ut scuto bonae voluntátis tuae, coronásti me.

Psalm. 5.

Verba mea áuribus pércipe Dómine, * intéllige clamórem meum.

Inténde voci oratiónis meae, * Rex meus et Deus meus.

Quóniam ad te orábo: * Dómine mane exáudies vocem meam.

Mane astábo tibi et vidébo; * quóniam non Deus volens iniquitátem tu es.

Neque habitábit juxta te malígnus, * neque permanébunt injústi ante óculos tuos.

Odísti omnes, qui operántur iniquitátem, * perdes omnes, qui loquúntur mendácium.

Virum sánguinum et dolósum abominábitur Dóminus, * ego áutem in multitúdine misericórdiae tuae.

Introíbo in domum tuam, * adorábo ad templum sanctum tuum in timóre tuo.

Dómine deduc me in justítia tua, * propter inimícos meos dírige in conspéctu tuo viam meam.

Quóniam non est in ore eórum véritas, * cor eórum vanum est.

Sepúlchrum patens est guttur eórum, linguis suis dolóse agébant, * júdica illos Deus.

Décidant a cogitatiónibus suis, secúndum multitúdinem impietátum eórum expélle eos, * quóniam irritavérunt te Dómine.

Et laeténtur omnes, qui sperant in te, * in aetérnum exultábunt, et habitábis in eis.

Et gloriabúntur in te omnes, qui díligunt nomen tuum, * quóniam tu benedíces justo.

Dómine, ut scuto bonae voluntátis tuae, * coronásti nos.

Ant. Dómine, ut scuto bonae voluntátis tuae, coronásti me.

Ant. Minuísti eum páulo minus ab Angelis, glória et honóre coronásti eum.

Psalm. 8.

Dómine Dóminus noster, * quam admirábile est nomen tuum in univérsa terra!

Quóniam eleváta est magnificéntia tua, * super coelos.

Ex ore infántium et lacténtium perfecísti láudem propter inimícos tuos, * ut déstruas inimícum et ultórem.

Quóniam vidébo coelos tuos, ópera digitórum tuórum * lunam et stellas, quae tu fundásti.

Quid est homo, quod memor es ejus? * aut filius hóminis, quóniam vísitas eum?

Minuísti eum páulo minus ab Angelis, glória et honóre coronásti eum, * et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Omnia subjecísti sub pédibus ejus, * oves et boves univérsas, ínsuper et pécora campi.

Vólucres coeli, et pisces maris, * qui perámbulant sémitas maris.

Dómine Dóminus noster, * quam admirábile est nomen tuum in univérsa terra!

Ant. Minuísti eum páulo minus ab Angelis: glória et honóre coronásti eum.

Ant. Peccatóres intendérunt arcum, paravérunt sagíttas suas in pháretra, ut sagíttent justum.

Psalmus 10.

In Dómino confido: quómodo dícitis ánimae meae: * tránsmigra in montem sicut passer?

Quóniam ecce peccatóres intendérunt arcum, paravérunt sagíttas suas in pháretra * ut sagíttent in obscúro rectos corde.

Quóniam quae perfecísti, destruxérunt: * justus áutem quid fecit?

Dóminus in templo sancto suo: * Dóminus in coelo sedes ejus.

Oculi ejus in páuperem respíciunt: * pálpebrae ejus intérrogant fílios hóminum.

Dóminus intérrogat justum et ímpium: * qui áutem díligit iniquitátem, odit ánimam suam.

Pluet super peccatóres láqueos: * ignis, et sulphur, et spíritus procellárum pars cálicis eórum.

Quóniam justus Dóminus, et justítias diléxit: * aequitátem vidit vultus ejus.

Ant. Peccatóres intendérunt arcum, paravérunt sagíttas suas in pháretra, ut sagíttent justum.

℣. Posuísti Dómine super caput ejus.

℟. Corónam de lápide pretióso.

Lectio IV.

Sermo Sancti Bernárdi Abbátis.

Serm. 2. *in Ep. Domini*

Egredímini fíliae Sion: vobis dícimus fíliae Sion, ánimae saeculáres, débiles, delicátae fíliae, et non fílii, in quibus nihil est fortitúdinis, nihil est virílis ánimi. Egredímini de sensu carnis ad intelléctum mentis, de servitúte carnális concupiscéntiae ad libertátem spirituális intelli-

géntiae. Egredímini de terra vestra, et de cognatióne vestra, et de domo patris vestri et vidéte regem Salomónem in diadémate, quo coronávit eum mater sua, in coróna paupertátis, in coróna misériae: síquidem coronátus est, et a novérca sua coróna spínea, coróna misériae, coronándus a famí'ia sua coróna justítiae, quando exíbunt Angeli, et tollent de regno ejus ómnia scándala; quando véniet ad judícium cum senióribus pópuli sui, cum pugnábit pro eo orbis terrárum advérsus insensátos. Corónat eum et Pater coróna glóriae, sicut ait Psalmísta: Glória et honóre coronásti eum Dómine. Vidéte eum filiae Sion in diadémate, quo coronávit eum mater sua.

℟. Cum apparúerit Princeps pastórum, quo percússo, dispérsae sunt oves gregis, * Percipiémus immarcescíbilem glóriae corónam.

℣. Cum fécerit grande convívium, ut osténdat divítias glóriae regni sui. Percipiémus.

Lectio V.

Serm. **42.** *in Cantica.*

Ego, fratres, ab ineúnte mea conversióne pro acérvo meritórum, quae mihi deésse sciébam, mihi fascículum collèctum ex ómnibus anxietátibus, et amaritudínibus Dómini mei collígere, et inter úbera mea collocáre curávi. Memóriam abundántiae suavitátis horum eructàbo quoad víxero: in aetérnum non oblivíscar miseratiónes istas, quia in ipsis vivificátus sum. Mihi hic salutáris fascículus servátus est: nemo tollet eum a me, inter úbera mea commorábitur. Haec meditári dixi sapiéntiam; in his justítiae mihi perfectiónem constítui, in his plenitúdinem sciéntiae, in his divítias salútis, in his cópias meritórum. Ex his mihi intérdum potus salutáris amaritúdinis: ex his rursum suávis únctio consolatiónis. Haec me érigunt in advérsis, in prósperis réprimunt, et inter laeta trístiaque vitae praeséntis, via régia incedénti tutum praebent utrobíque ducátum, hinc inde mala imminéntia propulsándo. Haec mihi concíliant mundi Júdicem, dum treméndum potestátibus, mitem humilémque figúrant; dum non solum placábilem, sed et imitábilem repraeséntant eum, qui inaccessíbilis est principátibus, terríbilis apud reges terrae.

℟. Accrévit regnum decóris, * Et diadéma speciéi.

℣. Deus exaltávit illum, et

dedit illi nomen, quod est super omne nomen. Et diadéma.

Lectio VI.

Haec proptérea mihi in ore frequénter, sicut vos scitis: haec in corde semper, sicut Deus scit: haec stilo meo ádmodum familiária, sicut appáret: haec mea sublímior ínterim philosophía, scire Jesum, et hunc crucifixum. Non requíro, sicut sponsa, ubi cubet in merídie, quem laetus ampléctor mea inter úbera commorántem. Non requíro, ubi pascat in merídie, quem intúeor Salvatórem in cruce. Illud sublímius, istud suávius: panis illud, hoc lac: hoc víscera réficit parvulórum, hoc replet úbera matrum: et ídeo inter úbera mea commorábitur. Hunc et vos dilectíssimi, tam diléctum fascículum collígite vobis, hunc medúllis insérite cordis, hoc muníte áditum péctoris, ut et vobis inter úbera commorétur. Si enim ante óculos habuéritis quem portátis, pro certo vidéntes angústias Dómini, lévius vestras portábitis, ipso auxiliánte Ecclésiae Sponso, qui est super ómnia Deus benedíctus in saecula. Amen.

℟. Arcam de lignis setim deaurábis áuro mundíssimo intus et foris: * Faciésque supra corónam áuream per círculum.

℣. Ponésque in arca testificatiónem, quam dabo tibi. Faciésque. Glória Patri. Faciésque.

IN III. NOCTURNO

Ant. Ingréssus sine mácula, et operátus justítiam, coronátus est in monte sancto tuo.

Psalmus 14.

Dómine quis habitábit in tabernáculo tuo? * aut quis requiéscet in monte sancto tuo?

Qui ingréditur sine mácula, * et operátur justítiam.

Qui lóquitur veritátem in corde suo, * qui non egit dolum in lingua sua.

Nec fecit próximo suo malum, * et oppróbrium non accépit advérsus próximos suos.

Ad níhilum dedúctus est in conspéctu ejus malígnus: * timéntes áutem Dóminum glórificat.

Qui jurat próximo suo, et non décipit: * qui pecúniam suam non dedit ad usúram, et múnera super innocéntem non accépit.

Qui facit haec, * non movébitur in aetérnum.

Ant. Ingréssus sine mácu-

la, et operátus justítiam, coronátus est in monte sancto tuo.

Ant. Super caput ejus corónam de lápide pretióso posuísti, Dómine.

Psalm. 20.

Dómine, in virtúte tua laetábitur rex: * et super salutáre tuum exultábit veheménter.

Desidérium cordis ejus tribuísti ei: * et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum.

Quóniam praevenísti eum in benedictiónibus dulcédinis: * posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso.

Vitam pétiit a te, * et tribuísti ei longitúdinem diérum in saeculum, et in saeculum saeculi.

Magna est glória ejus in salutári tuo; * glóriam, et magnum decórem impónes super eum.

Quóniam dabis eum in benedictiónem in saeculum saeculi, * laetificábis eum in gáudio cum vultu tuo.

Quòniam rex sperat in Dómino, * et in misericórdia Altíssimi non commovébitur.

Inveniátur manus tua ómnibus inimícis tuis: * déxtera tna invéniat omnes, qui te odérunt.

Pones eos ut clibanum ignis in témpore vultus tui, * Dóminus in ira sua conturbábit eos, et devorábit eos ignis.

Fructum eórum de terra perdes, * et semen eórum a fíliis hóminum.

Quóniam declinavérunt in te mala, * cogitavérunt consília, quae non potuérunt stabilíre.

Quóniam pones eos dorsum, * in relíquiis tuis praeparábis vultum eórum.

Exaltáre Dómine in virtúte tua: * cantábimus, et psallémus virtútes tuas.

Ant. Super caput ejus corónam de lápide pretióso posuísti, Dómine.

Ant. Advérsus eos, qui tríbulant me, impinguásti in óleo caput meum.

Psalm. 22.

Dóminus regit me, et nihil mihi déerit, * in loco páscuae ibi me collocávit.

Super aquam refectiónis educávit me, * ánimam meam convértit.

Dedúxit me super sémitas justítiae, * propter nomen suum.

Nam, et si ambulávero in médio umbrae mortis, non timébo mala: * quóniam tu mecum es.

Virga tua, et báculus tuus, * ipsa me consoláta sunt.

Parásti in conspéctu meo mensam, * advérsus eos qui tríbulant me.

Impinguásti in óleo caput meum, * et calix meus inébrians quam praeclárus est.

Et misericórdia tua subsequétur me, * ómnibus diébus vitae meae.

Et ut inhábitem in domo Dómini, * in longitúdinem diérum.

Ant. Advérsus eos, qui tríbulant me, impinguásti in óleo caput meum.

℣. Coróna áurea super caput ejus.

℟. Expréssa signo sanctitátis.

Lectio VII.

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Cap. 19.

In illo témpore: Apprehéndit Pilátus Jesum, et flagellávit. Et mílites plecténtes Corónam de Spinis, imposuérunt cápiti ejus. Et réliqua.

Homilía sancti Bernárdi Abbátis.

Ex serm. 50. *de diversis.*

Vidéte fíliae Sion regem Salomónem. Non dicit Ecclesiásten, aut Ididam. Nam et his nomínibus appellátus est Rex ille: et significat Jesum Christum nostrum verum Salomónem: qui est Sálomon, idest, pacíficus in exílio: Ecclesiástes, idest, concionátor in judício: Idida idest, diléctus Dómini in regno, ubíque Rex: in exílio mansuétus, in judício justus, in regno gloriósus. In exìlio amábilis, in judício terríbilis, in regno adorábilis. In diadémate, quo coronávit eum mater sua. Est áutem haec coróna misericórdiae: et in hac imitàbilis. Coronávit eum et novérca sua coróna misériae: et in hac contemptíbilis. Synagógam loquor, quae se ei non matrem exhíbuit, sed novércam.

℟. Fácies altáre ad adoléndum thymiáma de lignis Sethim, * Faciésque ei corónam auréolam per gyrum.

℣. Ponésque altáre contra velum coram propitiatório. Faciésque ei.

Lectio VIII.

Coronábit eum família sua coróna justítiae; et in hac terríbilis: corónat eum Pater suus coróna glóriae; et in hac desiderábilis. Vídeant ergo eum peccatóres in Coróna misériae, idest, Spínea et com-

pungántur. Vídeant eum fíliae Sion, ánimae affectuósae, in Coróna misericórdiae, et imiténtur. Vidébunt eum ímpii in coróna justítiae et perîbunt. Vidébunt eum sancti in Coróna glóriae, et perpetuáliter gaudébunt. Coronántur quidem et álii imitatóres ipsíus, sed hoc ex indústria adjúti per grátiam. Solus iste a matre coronátus est, quia solus cum ordinátis affectiónibus tamquam sponsus e thálamo procéssit ex útero matris.

℟. Christus, sciens dolórem et infirmitátem, spinis coronátus, * Ipse est, qui coronat vos in misericórdia et miseratiónibus.

℣. Vulnerátus propter iniquitátes nostras, attrítus propter scélera nostra, cujus livóre sanáti sumus. Ipse est.

Glória Patri Ipse est.

Lectio IX. dicitur de Hom. fer.

AD LAUDES.

Et per Horas.

Ant. Diléctus meus cándidus et rubicúndus: comae cápitis ejus sicut púrpura regis vincta canálibus.

Psal. Dóminus regnávit, *cum reliquis de Dominica.*

Ant. Requiévit super eum spíritus timóris Dómini, coróna sapiéntiae et exultatiónis decorávit illum.

Ant. Induit eum Dóminus vestiméntis salútis, et induménto justítiae, quasi sponsum decorátum coróna.

Ant. Fascículus myrrhae diléctus meus mihi, inter úbera mea commorábitur.

Ant. Rex aetérnae glóriae pro nobis coronátus, benedícet corónae anni benignitátis suae.

Capitul.

Cant. 3.

Egredímini, et vidéte fíliae Sion regem Salomónem in diadémate, quo coronávit illum mater sua.

Hymnus.

Legis figúris píngitur
Christi Coróna nóbilis:
Impléxa Spinis víctima,
Ardénsque testátur rubus.
Arcam coróna cínxerat,
Mensaeque sacrum círculum
Arámque thure fúmidam,
Corónam nectit ámbiens.
Christi dolórum cónscia
Salve Coróna glóriae.
Gemmis et áuro púlchrior
Vinces corónas síderum.
Virtus, honor, laus glória
Deo Patri cum Fílio,
Sancto simul Paráclito,
In saeculórum saecula.
Amen.

℣. Eris corόna glόriae in manu Dόmini.

℟. Et diadéma regni in manu Dei tui.

Ad Benedictus

Ant. Exívit Jesus portans Spíneam Corόnam, et purpúreum vestiméntum.

ORATIO

Praesta quaesumus, omnípotens Deus; ut, qui, in memόriam passiόnis Dόmini nostri Jesu Christi, Corόnam ejus spíneam venerámur in terris, ab ipso glόria et honόre coronári mereámur in coelis. Qui tecum vivit etc.

Et fit commemor. Feriae.

AD TERTIAM

Ant. Requiévit super eum.

Cap. Egredímini, et vidéte *ut supra ad Laud.*

℟. *br.* Eris corόna glόriae, * In manu Dόmini. Eris.

℣. Et diadéma regni in manu Dei tui. In manu. Glόria Patri. Eris.

℣. Glόria et honόre coronásti eum Dόmine.

℟. Et constituísti eum super όpera mánuum tuárum.

AD SEXTAM

Ant. Induit eum Dόminus.

Capitulum.

Apoc. 6.

Vidi: et ecce equus albus, et, qui sedébat super illum, habébat arcum, et data est ei corόna, et exívit vincens ut vínceret.

℟. *br.* Glόria et honόre * Coronásti eum Dόmine. Glόria.

℣. Et constituísti eum super όpera mánuum tuárum. Coronásti. Glόria Patri. Glόria, et honόre.

℣. Tuam Corόnam adorámus Dόmine.

℟. Tuam gloriόsam recόlimus passiόnem.

AD NONAM.

Ant. Rex aetérnae glόriae.

Cap.

Isaiae 28.

In die illa erit Dόminus exercítuum corόna glόriae, et sertum exultatiόnis resíduo pόpuli sui.

℟. *br.* Tuam Corόnam * Adorámus Dόmine. Tuam Corόnam.

℣. Tuam gloriόsam recόli-

mus passiónem. Adorámus. Glória Patri. Tuam Corónam.
℣. Plecténtes Corónam de Spinis.
℟. Posuérunt super caput ejus.
In II. Vesp. Omnia ut in prim. excepta Ant. ad Magnif.
Ant. Et genufléxo ante eum, illudébant ei dicéntes: Ave Rex Judaeórum: et expuéntes in eum, accepérunt arúndinem, et percutiébant caput ejus.
Oratio Praesta, *ut supra.*
Et fit comm. Feriae.

FERIA VI. POST DOMINICAM PRIMAM QUADRAG.

Officium Sacræ Lanceæ et Clavorum D. N. J. C. Duplex majus.

Ad Vesperas Ant. Unus mílitum, *cum reliquis de Laud.*
Psal. Dixit Dóminus *cum reliquis de Dominica: sed loco ultimi dicitur.* Laudáte Dóminum omnes Gentes.

Cap.

1. *Jo.* 5.

Charíssimi: Quis est qui vincit mundum, nisi qui credit quóniam Jesus est Fílius Dei? hic est, qui venit per aquam et sánguinem, Jesus Christus: non in aqua solum, sed in aqua et sánguine.

Hymnus.

Quaenam lingua tibi, o Láncea, débitas
Grates pro mérito est apta repéndere?
Christi vivíficum namque áperis latus,
Unde Ecclésia náscitur,
Haec est Heva viri de látere éxiens
Olli membra gravis dum sopor óccupat,
Hanc quippe alter Adam corde scaténtibus
Unda et sánguine prócreat.
O Clavi! aequa manet vos quoque glória,
Christi quando sacris ártubus ínsiti,
Delétum Dómini sánguine figitis
Mortis chirógraphum Cruci.
Te, Jesu, súperi láudibus éfferant,
Qui Clavórum áditus sígnaque Lánceae
In coelo rétines, vivus ubi ímperas
Cum Patre, atque Paráclito. Amen.

℣. Fodérunt manus meas et pedes meos.
℟. Dinumeravérunt ómnia ossa mea.
Ad Magnificat.
Ant. Delens quod advérsus nos erat chirógraphum decréti, quod erat contrárium no-

bis, et ipsum tulit de médio, affigens illud Cruci.

ORATIO

Deus, qui in assúmpta carnis infirmitáte Clavis affigi, et Láncea vulnerári pro mundi salúte voluísti; concéde propítius, ut qui eorúmdem Clavórum et Lánceae solémnia venerámur in terris, de glorióso victóriae tuae triúmpho gratulémur in coelis Qui vivis, et regnas cum Deo Patre etc.

Et fit comm. Feriae.

Ad Completor. in fine Hymni et per omnes Horas dicit.

Clavis foráto et Láncea.
Jesu, tibi sit glória,
Cum Patre et almo Spíritu
Nunc et per omne saeculum. Amen.

AD MATUTINUM.

Invitatorium. Christum Lánceа, et Clavis vulnerátum, * Veníte adorémus.

Psal. 94. Veníte exultémus.

Hymnus.

Salvéte Clavi, et Láncea
Squalóre nuper óbsita,
Quae mersa Christi córpori,
Almo rubétis sánguine.
Vos ad scelus Judáica
Elégerat perfídia;
Sed in minístra grátiae
Vos vertit e coelo Deus.
Nam quot sacrátis ártubus
Sculpsístis olim vúlnera,
E tot reclúsis fóntibus
Dona éffluunt coeléstia.
Clavis foráto et Láncea,
Jesu, tibi sit glória,
Cum Patre, et almo Spíritu
Nunc et per omne saeculum. Amen.

§. *Si omissus sit Hymnus ad Vesperas, dicatur ad Matut. et Hymn. Matut. conjungatur cum Hymno ad Laud.*

IN I. NOCTURNO

Ant. Ad Jesum áutem cum venissent, non fregérunt ejus crura; sed unus mílitum Láncea latus ejus apéruit.

Psalmus 1.

Beátus vir qui non ábiit in consílio impiórum, et in via peccatórum non stetit, * et in cáthedra pestiléntiae non sedit.

Sed in lege Dómini volúntas ejus, * et in lege ejus meditábitur die ac nocte.

Et erit tamquam lignum, quod plantátum est secus decùrsus aquárum, * quod fructum suum dabit in témpore suo.

Et fólium ejus non défluet,

* et ómnia, quaecúmque fáciet, prosperabúntur.

Non sic ímpii, non sic, * sed tamquam pulvis, quem prójicit ventus a fácie terrae.

Ideo non resúrgent ímpii in judício, * neque peccatóres in concílio justórum.

Quóniam novit Dóminus viam justórum, * et iter impiórum perîbit.

Ant. Ad Jesum áutem cum venîssent, non fregérunt ejus crura: sed unus mílitum Láncea latus ejus apéruit.

Ant. Exívit sanguis et aqua: et qui vidit, testimónium perhíbuit, et verum est testimónium ejus.

Psalmus 2.

Quare fremuérunt gentes, * et pópuli meditáti sunt inánia?

Astitérunt reges terrae, et príncipes convenérunt in unum * advérsus Dóminum, et advérsus Christum ejus.

Dirumpámus víncula eórum * et projiciámus a nobis jugum ipsórum.

Qui hábitat in coelis, irridébit eos, * et Dóminus subsannábit eos.

Tunc loquétur ad eos in ira sua, * et in furóre suo conturbábit eos.

Ego áutem constitútus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum ejus: * praedicans praecéptum ejus.

Dóminus dixit ad me: * Fílius meus es tu, ego hódie génui te.

Póstula a me, et dabo tibi Gentes haereditátem tuam, * et possessiónem tuam términos terrae.

Reges eos in virga férrea, * et tamquam vas fíguli confrínges eos.

Et nunc reges intellígite: * erudímini, qui judicátis terram.

Servíte Dómino in timóre, * et exultáte ei cum tremóre.

Apprehéndite disciplínam, nequándo irascátur Dòminus, * et pereátis de via justa.

Cum exárserit in brevi ira ejus, * beáti omnes, qui confídunt in eo.

Ant. Exívit sanguis et aqua: et qui vidit, testimónium perhíbuit, et verum est testimonium ejus.

Ant. Alia Scriptúra dicit: Vidébunt in quem transfixérunt.

Psalmus 3.

Dómine, quid multiplicáti sunt qui tríbulant me? * multi insúrgunt advérsum me.

Multi dicunt ánimae meae, * non est salus ipsi in Deo ejus.

Tu áutem Dómine suscéptor meus es, * glória mea, et exáltans caput meum.

Voce mea ad Dóminum clamávi, * et exaudívit me de monte sancto suo.

Ego dormívi, et soporátus sum, * et exurréxi, quia Dóminus suscépit me.

Non timébo míllia pópuli circumdántis me, * exúrge Dómine, salvum me fac Deus meus.

Quóniam tu percussísti omnes adversántes mihi sine cáusa, * dentes peccatórum contrivísti.

Dómini est salus, * et super pópulum tuum benedíctio tua.

Ant. Alia Scriptúra dicit: Vidébunt in quem transfixérunt.

℣. Quem tu percussísti persecúti sunt.

℟. Et super dolórem vúlnerum meórum addidérunt.

Lectio I.

De Zachária Prophéta.

Cap. 12.

Haec dicit Dóminus: Effúndam super domum David et super habitatóres Jerúsalem spíritum grátiae et precum: et aspícient ad me, quem confixérunt. Et plangent eum planctu quasi super unigénitum, et dolébunt super eum, ut doléri solet in morte primogéniti. In die illa magnus erit planctus in Jerùsalem, sicut planctus Adádremon in campo Magéddon. Et planget terra: famíliae et famíliae seórsum: famíliae domus David seórsum, et mulíeres eórum seórsum: famíliae domus Nathan seórsum, et mulíeres eórum seórsum: famíliae domus Levi seórsum, et mulíeres eórum seórsum: famíliae Sémei seórsum, et mulieres eórum seórsum. Omnes famíliae réliquae, famíliae et famíliae seórsum, et mulíeres eórum seórsum.

℟. Ad Jesum autem cum venìssent, ut vidérunt eum jam mórtuum, non fregérunt ejus crura, * Sed unus mílitum Láncea latus ejus apéruit.

℣. Et qui vidit, testimónium perhíbuit: et verum est testimónium ejus. Sed unus mílitum.

Lectio II.

Cap. 13.

In die illa erit fons patens dómui David, et habitántibus Jerúsalem in ablutiónem peccatóris et menstruátae. Et erit in die illa dicit Dóminus exercítuum: dispérdam nómina idolórum de terra, et non memorabúntur ultra, et pseudoprophétas et spíritum immúndum áuferam de terra. Et erit, cum prophetáverit quíspiam ultra, dicent ei pater ejus, et mater ejus, qui

genuérunt eum; Non vives, quia mendàcium locútus es in nómine Dómini et configent eum pater ejus, et mater ejus: genitóres ejus, cum prophetáverit. Et erit in die illa; confundéntur prophétae, unusquísque ex visióne sua cum prophetáverit: nec operiéntur pállio sáccino, ut mentiántur, sed dicet: Non sum prophéta, homo agrícola ego sum: quóniam Adam exémplum meum ab adolescéntia mea.

℟. Unus mílitum Láncea latus ejus apéruit: * Et contínuo exívit sanguis et aqua.

℣. In die illa erit fons patens dómui David, et habitántibus Jerúsalem. Et contínuo.

Lectio III.

Et dicétur ei: Quid sunt plagae istae in médio mánuum tuárum? Et dicet; His plagátus sum in domo eórum qui diligébant me. Frámea suscitáre super pastórem meum, et super virum cohaeréntem mihi, dicit Dóminus exercítuum: pércute pastorem, et disperhéntur oves, et convértam manum meam ad párvulos. Et erunt in omni terra, dicit Dóminus: partes duae in ea disperhéntur, et defícient; et tértia pars relinquétur in ea. Et ducam tértiam partem per ignem, et uram eos sicut úritur argéntum, et probábo eos, sicut probátur áurum. Ipse vocábit nomen meum, et ego exáudiam eum. Dicam; Pópulus meus es, et ipse dicet: Dóminus Deus meus.

℟. In die illa erit fons patens dómui David, et habitántibus Jerúsalem. * In ablutiónem peccatóris, et menstruátae.

℣. Hic est, qui venit per aquam et sánguinem, Jesus Christus. In ablutiónem. Glória Patri. In ablutiónem.

IN II. NOCTURNO.

Ant. Aspícient ad me, quem confixérunt, et plangent eum planctu quasi super unigénitum.

Psalmus 4.

Cum invocárem, exaudívit me Deus justítiae meae, * in tribulatióne dilatásti mihi.

Miserére mei, * et exáudi oratiónem meam.

Fílii hóminum úsquequo gravi corde? * ut quid dilígitis vanitátem, et quaeritis mendácium?

Et scitóte quóniam mirificávit Dóminus sanctum suum,

* Dóminus exáudiet me, cum clamávero ad eum.

Irascímini, et nolíte peccáre, * quae dícitis in córdibus vestris, in cubílibus vestris compungímini.

Sacrificáte sacrifícium justítiae, et speráte in Dómino, * multi dicunt: Quis osténdit nobis bona?

Signátum est super nos lumen vultus tui, Dómine, * dedísti laetítiam in corde meo.

A fructu fruménti, vini, et ólei sui, * multiplicáti sunt.

In pace in idípsum * dórmiam et requiéscam.

Quóniam tu Dómine singuláriter in spe, * constituísti me.

Ant. Aspícient ad me, quem confixérunt, et plangent eum planctu quasi super unigénitum.

Ant. Quid sunt plagae istae in médio mánuum tuárum?

Psalm. 5.

Verba mea áuribus pércipe Dómine, * intéllige clamórem meum.

Inténde voci oratiónis meae, * Rex meus et Deus meus.

Quóniam ad te orábo: * Dómine mane exáudies vocem meam.

Mane astábo tibi et vidébo; * quóniam non Deus volens iniquitátem tu es.

Neque habitábit juxta te malígnus, * neque permanébunt injústi ante óculos tuos.

Odísti omnes, qui operántur iniquitátem, * perdes omnes, qui loquúntur mendácium.

Virum sánguinum et dolósum abominábitur Dóminus, * ego áutem in multitúdine misericórdiae tuae.

Introíbo in domum tuam, * adorábo ad templum sanctum tuum in timóre tuo.

Dómine deduc me in justítia tua, * propter inimícos meos dírige in conspéctu tuo viam meam.

Quóniam non est in ore eórum véritas, * cor eórum vanum est.

Sepúlchrum patens est guttur eórum, linguis suis dolóse agébant, * júdica illos Deus.

Décidant a cogitatiónibus suis, secúndum multitúdinem impietátum eórum expélle eos, * quóniam irritavérunt te Dómine.

Et laeténtur omnes, qui sperant in te, * in aetérnum exultábunt, et habitábis in eis.

Et gloriabúntur in te omnes, qui díligunt nomen tuum, * quóniam tu benedíces justo.

Dómine, ut scuto bonae voluntátis tuae, * coronásti nos.

Ant. Quid sunt plagae istae in médio mánuum tuárum?

Ant. His plagátus sum in domo eórum, qui diligébant me.

Psalm. 8.

Dómine Dóminus noster, * quam admirábile est nomen tuum in univérsa terra!

Quóniam eleváta est magnificéntia tua, * super coelos.

Ex ore infántium et lacténtium perfecísti láudem propter inimícos tuos, * ut déstruas inimícum et ultórem.

Quóniam vidébo coelos tuos, ópera digitórum tuórum * lunam et stellas, quae tu fundásti.

Quid est homo, quod memor es ejus? * aut fílius hòminis, quóniam vísitas eum?

Minuísti eum páulo minus ab Angelis, glória et honóre coronásti eum, * et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Omnia subjecísti sub pédibus ejus, * oves et boves univérsas, ínsuper et pécora campi.

Vólucres coeli, et pisces maris, * qui perámbulant sémitas maris.

Dómine Dóminus noster, * quam admirábile est nomen tuum in univérsa terra!

Ant. His plagátus sum in domo eórum, qui diligébant me.

℣. Ipse vulnerátus est propter iniquitátes nostras.

℟. Attrítus est propter scélera nostra.

Lectio IV.

Sermo Innocéntii Papae Sexti.

In decreto de Festo Lanceae et Clavorum Domini.

In Redemptóris nostri Dòmini Jesu Christi sacratíssima Passióne sic nos gloriári opòrtet, ut ipsìus Passiónis cuncta mystéria dinumerántes et mérita, sìngulis étiam ejus salutáribus instruméntis gloriémur. Inter quae illud celébriter memorándum est, quod ipse Salvátor, emísso in cruce jam spíritu, sustínuit, perforári Láncea latus suum, ut inde sánguinis et aquae profluéntibus undis, formarétur única et immaculáta, ac virgo sancta mater Ecclésia sponsa sua. O beatíssima ipsíus sacri Làteris apertúra, unde nobis tot, et tanta divínae piétatis dona fluxérunt! O felix Láncea, quae tot bona nobis efficere, et ad tanti triúmphi glóriam méruit superàddi!

℟. Hic est, qui venit per aquam et sánguinem, Jesus Christus, * Non in aqua so-

lum, sed in aqua et sánguine.

℣. Tres sunt, qui testimónium dant in terra: spíritus, aqua, et sanguis, et hi tres unum sunt. Non in aqua.

Lectio V.

Haec latus ipsum aperiéndo, sacratíssimas jánuas nobis regni coeléstis apéruit. Haec vulnerándo jam mórtuum, vúlnera nostra sanávit, vitámque nobis réddidit, et salútem. Haec innóxium transfigéndo, illíus sánguine culpas nostras abstérsit: et demum ejúsdem sacratíssimis undis irrigáta, caecitátis nostrae ténebras sústulit, et nos ipsíus divínae pietátis flúviis mundávit. Illi étiam dulces Clavi (quibus ipse Salvátor eidem cruci fuit affixus, quique non solum immaculáto respérgi sánguine, et molem ferre tanti pónderis meruérunt; sed et nos étiam per ipsórum salutíferas plagas dulcédinem tantam ipsíus divínae charitátis accépimus, ut manus nostrae a peccáti solútae néxibus, pedésque nostri a mortis láqueis fúerint liberáti) sunt devotíssime recoléndi.

℟. Quóniam circumdedérunt me canes multi, concílium malignántium obsédit me, * Fodérunt manus meas et pedes meos.

℣. Dicétur ei: Quid sunt plagae istae in médio mánuum tuarum? Fodérunt manus meas.

Lectio VI.

Quid enim vúlnere et plagis hujúsmodi sánctius? Quid eis salúbrius, ex quibus salus nostra procéssit, et in quibus assídue se possunt curáre ánimae devotórum? Licet ígitur Láncea et Clavi praedícti, áliaque ipsíus Passiónis salutária instruménta sint a cunctis fidélibus Christi ubílibet veneránda, et de ipsa étiam Passióne in eádem Ecclésia solémnia annis síngulis Officia celebréntur et fiant; dignum tamen, et convéniens reputámus, si de ipsíus Passiónis speciálibus instruméntis, et praesértim in pártibus, in quibus instruménta ipsa dicúntur habéri, solémne, ac speciále festum celebrétur, et fiat. Nosque illos fidéles Christi, qui áliqua ex instruméntis ipsíus habére se gáudent, in eórum devotióne divínis Officiis atque munéribus speciáliter foveámus.

℟. Dicétur ei: Quid sunt plagae istae in médio mánuum tuárum? Et dicet: * His plagátus sum in domo eórum qui diligébant me.

℣. Nisi vídero in mánibus ejus fixúram Clavórum, non credam. His plagátus sum. Glória Patri. His plagátus.

IN III. NOCTURNO

Ant. Fodérunt manus meas et pedes meos: dinumeravérunt ómnia ossa mea.

Psalmus. 95.

Cantáte Dómino cánticum novum, * cantáte Dòmino omnis terra.

Cantáte Dómino, et benedícite nómini ejus, * annuntiáte de die in diem salutáre ejus.

Annuntiáte inter Gentes glóriam ejus, * in ómnibus pópulis mirabília ejus.

Quóniam magnus Dóminus et laudábilis nimis, * terríbilis est super omnes deos.

Quóniam omnes dii Géntium daemónia, * Dóminus áutem coelos fecit.

Conféssio et pulchritúdo in conspéctu ejus, * sanctimònia et magnificéntia in sanctificatióne ejus

Afférte Dómino pátriae Géntium, afférte Dómino glóriam et honórem, * afférte Dómino glóriam nómini ejus.

Tollíte hòstias, et introíte in átria ejus, * adoráte Dóminum in átrio sancto ejus.

Commoveátur a fácie ejus univérsa terra: * dícite in Gèntibus quia. Dóminus regnávit.

Etenim corréxit orbem terrae, qui non commovébitur, * judicábit pópulos in aequitáte.

Laeténtur coeli, et exúltet terra, commoveátur mare, et plenitúdo ejus: * gaudébunt campi, et ómnia quae in eis sunt.

Tunc exultábunt ómnia ligna silvárum a fácie Dómini, quia venit, * quóniam venit judicáre terram.

Judicábit orbem terrae in aequitáte, * et pópulos in veritàte sua.

Ant. Fodérunt manus meas et pedes meos, dinumeravérunt ómnia ossa mea,

Ant. Nisi vídero in mánibus ejus fixúram Clavórum. et mittam dígitum meum in locum Clavórum, et mittam manum meam in latus ejus, non credam.

Psalmus 96.

Dóminus regnávit, exúltet terra, * laeténtur ínsulae multae.

Nubes et calígo in circúitu ejus, * justítia, et judícium corréctio sedis ejus.

Ignis ante ipsum praecé-

det, * et inflammábit in circúitu inimícos ejus.

Illuxérunt fúlgura ejus orbi terrae, * vidit, et commóta est terra.

Montes sicut cera fluxérunt a fácie Dómini, * a fácie Dómini omnis terra.

Annuntiavérunt coeli justítiam ejus, * et vidérunt omnes pópuli glóriam ejus.

Confundántur omnes, qui adórant sculptília, * et qui gloriántur in simulácris suis.

Adoráte eum omnes Angeli ejus, * audívit, et laetáta est Sion.

Et exultavérunt fíliae Judae, * propter judícia tua Dómine.

Quóniam tu Dóminus altíssimus super omnem terram, * nimis exaltátus es super omnes deos.

Qui dilígitis Dóminum, odíte malum, * custódit Dóminus ánimas sanctórum suórum, de manu peccatóris liberábit eos.

Lux orta est justo, * et rectis corde laetítia.

Laetámini justi in Dómino, * et confitémini memóriae sanctificatiónis ejus.

Ant. Nisi vídero in mánibus ejus fixúram Clavórum, et mittam dígitum meum in locum Clavórum, et mittam manum meam in latus ejus, non credam.

Ant. Infer dígitum tuum huc, et vide manus meas, et affer manum tuam, et mitte in latus meum.

Psalmus 97.

Cantáte Dómino cánticum novum, * quia mirábilia fecit.

Salvávit sibi déxtera ejus, * et bráchium sanctum ejus.

Notum fecit Dóminus salutáre suum, * in conspéctu Géntium revelávit justítiam suam.

Recordátus est misericórdiae suae, * et veritátis suae dómui Israel.

Vidérunt omnes términi terrae, * salutáre Dei nostri.

Jubiláte Deo omnis terra, * cantáte, et exultáte, et psállite.

Psállite Dómino in cíthara, in cíthara et voce psalmi: * in tubis ductílibus et voce tubae córneae.

Jubiláte in conspéctu Regis Dómini, * moveátur mare et plenitúdo ejus, orbis terrárum, et qui hábitant in eo.

Flúmina pláudent manu, simul montes exultábunt a conspéctu Dómini, * quóniam venit judicáre terram.

Judicábit orbem terrárum in justítia, * et pópulos in aequitáte.

Ant. Infer dígitum tuum

huc, et vide manus meas; et affer manum tuam, et mitte in latus meum.

℣. Disciplína pacis nostrae super eum.

℟. Et livóre ejus sánati sumus.

Lectio VII.

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Cap. 19.

In illo témpore; Sciens Jesus quia ómnia consummáta sunt, ut consummarétur Scriptúra, dixit: Sítio. Et réliqua.

Homilía sancti Augustíni Episcopi.

Tract. 120. *in Joan.*

Unus mílitum Láncea latus ejus apéruit, et contínuo exívit sanguis et aqua. Vigilánti verbo Evangelísta usus est, ut non díceret: Latus ejus percússit, aut vulnerávit, aut quid áliud; sed apéruit: ut illud quodámmodo vitae óstium panderétur, unde Sacraménta manavérunt, sine quibus ad vitam, quae vera vita est, non intrátur. Ille sanguis, qui fusus est, in remissiónem fusus est peccatórum. Aqua illa salutáris témperat póculum; haec et lavácrum praestat et potum. Hoc praenuntiábat, quod Noe in látere Arcae óstium fácere jussus est, quo intrárent animália, quae non erant dilúvio peritúra, quibus figurabátur Ecclésia.

℟. Facta sunt haec, ut Scriptúra implerétur; Os non comminuétis ex eo. Et iterum ália Scriptúra dicit; * Vidébunt in quem transfixérunt.

℣. Effúndam super domum David, et super habitatóres Jerúsalem spíritum grátiae et precum. Vidébunt.

Lectio VIII.

Propter hoc múlier facta est de látere viri dormiéntis; et appelláta est vita, matérque vivórum, magnúmque significávit bonum, ante magnum praevaricatiónis malum et secúndus Adam, inclináto cápite, in cruce dormívit, ut inde formarétur ei conjux, quae de látere dormiéntis efflúxit. O mors, unde mórtui revivíscunt! Quid isto sánguine múndius? quid vúlnere isto salúbrius? Facta sunt enim haec, inquit, ut Scriptúra implerétur; Os non comminuétis ex eo. Et íterum ália Scriptúra dicit; vidébunt, in quem transfixérunt.

℟. Effúndam super domum David, et super habitátores Jerúsalem spíritum grátiae et precum; * Et aspícient ad me, quem confixerunt.
℣. Et plangent eum planctu quasi super unigénitum. Et aspícient. Glória Patri. Et aspícient.

Pro IX. Lectione legitur Homilia feriae currentis, post quam dicitur. Te Deum.

AD LAUDES.

et per Horas.

Ant. Unus mílitum Láncea latus ejus apéruit, et contínuo exívit sanguis et aqua.
Psalm. 92. Dóminus regnávit, *cum reliquis de Dominica.*

Ant. Fodérunt manus meas et pedes meos; dinumeravérunt ómnia ossa mea.

Ant. Tres sunt, qui testimónium dant in terra: Spíritus, aqua, et sanguis; et hi tres unum sunt.

Ant. Quid turbáti estis, et cogitatiónes ascéndunt in corda vestra? Vidéte manus meas et pedes meos, quia ego ipse sum.

Ant. Infer dígitum tuum huc, et vide manus meas, et affer manum tuam, et mitte in latus meum.

Capitul.

C. 2. *Joan.* 5. *b.*
Charíssimi: Quis est, qui vincit mundum, nisi qui credit quóniam Jesus est Fílius Dei? hic est, qui venit per aquam et sánguinem, Jesus Christus; non in aqua solum, sed in aqua et sánguine.

Hymnus.

Tinctam ergo Christi sánguine
Convértite in me cúspidem,
Feríte cor, pedes, manus
Poenam a nocénte súmite.
At quaeso culpis débitas
Quas jure plagas figitis,
Cruóre divíno íllitae
Fiant medéla spíritus.
Sit gressus ad malum ímpotens
Manus nocére désinant,
Omnísque corde e sáucio
Profánus ardor éxeat.
Clavis foráto et Láncea,
Jesu, tibi sit glória,
Cum Patre et almo Spíritu
Nunc et per omne saeculum.
Amen.

℣. Fodérunt manus meas et pedes meos.
℟. Dinumeravérunt ómnia ossa mea.
Ad Benedictus.
Ant. Inglórius erit inter

viros aspéctus ejus et forma ejus inter filios hóminum. Iste aspérget Gentes multas.

ORATIO.

Deus, qui in assúmptae carnis infirmitáte Clavis affigi, et Láncea vulnerári pro mundi salúte voluísti: concéde própitius, ut, qui eorúmdem Clavórum et Lánceae solémnia venerámur in terris, de glorióso victóriae tuae triúmpho gratulémur in coelis. Qui vivis et regnas.

Et fit com. fer.

AD PRIMAM

Ant. Unus mílitum.
In ℟. *br.* ℣. Qui vulnerátus es pro nobis.

AD TERTIAM

Ant. Fodérunt mánus meas.
Cap. Charíssimi, *ut supra ad Laudes.*
℟. *br.* Fodérunt manus meas, * Et pedes meos. Fodérunt.
℣. Dinumeravérunt ómnia ossa mea. Et pedes meos.
Glória Patri. Fodérunt.
℣. Quem tu percussísti, persecúti sunt.
℟. Et super dolórem vúlnerum meórum addidérunt.

AD SEXTAM

Ant. Tres sunt.

Cap.

1. *Petri* 2.

Fratres: Christus passus est pro nobis, vobis relínquens exémplum ut sequámini vestígia ejus. Qui peccátum non fecit, nec invéntus est dolus in ore ejus.
℟. *br.* Quem tu percussísti * Persecúti sunt. Quem tu.
℣. Et super dolórem vúlnerum meórum addidérunt. Persecúti sunt.
Glória Patri. Quem tu.
℣. Ipse vulnerátus est própter iniquitátes nostras.
℟. Attrítus est propter scélera nostra.

AD NONAM.

Ant. Infer dígitum tuum huc.

Capitul.

1. *Petri* 2.

Qui peccáta nostra ipse pértulit in córpore suo super lignum: ut peccátis mórtui, justítiae vivámus: cujus livóre sanáti estis.
℟. *br.* Ipse vulnerátus est * Propter iniquitátes nostras. Ipse vulnerátus.
℣. Attrítus est propter scé-

lera nostra. Propter iniquitátes. Glória Patri. Ipse vulnerátus.

℣. Disciplína pacis nostrae super eum.

℟. Et livóre ejus sanáti sumus.

In II. Vesperis.

Omn. ut in primis: sed loco ult. Psalm. dicit Crédidi *ut in Off. Pass.* pag. 114.

Ad Magnif. Ant. Vere languóres nostros ipse tulit, et dolóres nostros ipse portávit: et nos putávimus eum quasi leprósum, et percússum a Deo, et humiliátum.

FERIA VI. POST DOMINICAM SECUNDAM QUADRAG.

In Commemoratione SACRATISSIMAE SINDONIS D. N. J. C. Duplex majus.

Ad Vesp. Ant. Joseph nóbilis decúrio, *cum reliquis de Laudibus.*

Psalm. Dixit Dóminus, *cum reliq. de Domin. et loco ultimi Psalm.* Laudáte Dóminum omnes gentes.

Capitulum.

Isaiae 63.

Quis est iste, qui venit de Edom, tinctis véstibus de Bosra? Iste formósus in stola sua grádiens in multitúdine fortitúdinis suae. Ego qui loquor justítiam, et propugnátor sum ad salvándum.

Hymnus.

Glóriam sacrae celebrémus omnes
Síndonis: laetis recolámus hymnis,
Et piis votis monuménta nostrae
Certa salútis.

Quae refert semper venéranda sindon
Sánguine impréssis decoráta signis,
Dum cruce ex alta tulit involútum
Corpus Jesu.

Reddit haec saevos ánimo dolóres.
Quos tulit, casum miserátus Adae,
Christus humáni géneris Redémptor,
Morte perémpta.

Sáucium ferro latus, atque palmas
Et pedes clavis, laceráta flagris
Membra, et infixam cápiti corónam
Monstrat imágo.

Quis pius siccis óculis, et absque
Intimi cordis gémitu notáta

Vívaque indígnae simulácra mortis
Cérnere possit?
Nostra cum solum tibi, Christe, culpa
Cáusa tantórum fúerit malórum,
Nostra debétur tibi vita: vitam
Dédimus ipsam.
Sit tibi, Fili, decus atque virtus,
Qui tuo mundum rédimis cruóre,
Quique cum summo Genitóre, et almo
Flámine regnas. Amen.

℣. Tuam síndonem venerámur Dómine.
℟. Tuam recólimus passiónem.

AD MAGNIFICAT.

Ant. Joseph vir bonus, et justus accéssit ad Pilátum, et pétiit corpus Jesu, quo accépto, invólvit illud in síndone munda.

ORATIO

Deus, qui nobis in sancta Síndone, qua corpus tuum sacratíssimum e cruce depósitum a Joseph involútum fuit, passiónis tuae vestígia reliquísti, concéde propítius, ut per mortem, et sepultúram tuam ad resurrectiónis glòriam perducámur. Qui vivis, et regnas etc.

AD MATUTINUM

Invitat. Christum Dóminum qui passiónis suae memóriam in sacra síndone rénovat, * Veníte adorémus.
Psal. Veníte, exultémus.

Hymnus.

Mystérium mirábile
Hac luce nobis pánditur,
Verus Dei cum Fílius
Mortem cruéntam sústinet.
Cáusam tuéndo sérvuli,
Reíque formam véstiens,
Pro servo herus suspénditur,
Pro sonte justus pléctitur.
Necis manent insígnia
Impréssa sacra in síndone,
Quae post triúmphum nóbilem
Corpus cruéntum invólverat.
Sunt mortis haec, et tártari
Mundíque victi insígnia;
Trophaea sunt haec ínclyta
Ductóris invictíssimi.
Debémus ergo hanc grátiam
Nostrae salútis víndici,
Ut daemonis contra dolos
Hac militémus téssera.
Vitae vetústae mórtui,
Surgámus in vitam novam
Christum sequúti: per crucem

Christi fruémur glória.
Praesta Pater piíssime,
Patríque compar únice,
Cum Spíritu Paráclito
Regnans per omne saeculum. Amen.

IN I. NOCTURNO

Ant. Rubrum est induméntum tuum, et vestiménta tua sicut calcántium in torculári.

Psalmus 4.

Cum invocárem, exaudívit me Deus justítiae meae, * in tribulatióne dilatásti mihi.

Miserére mei, * et exáudi oratiónem meam.

Filii hóminum úsquequo gravi corde? * ut quid dilìgitis vanitátem, et quaeritis mendácium?

Et scitóte quóniam mirificávit Dóminus sanctum suum, * Dóminus exáudiet me, cum clamávero ad eum.

Irascímini, et nolíte peccáre, * quae dícitis in córdibus vestris, in cubílibus vestris compungímini;

Sacrificàte sacrifícium justítiae, et speráte in Dómino, * multi dicunt: Quis osténdit nobis bona?

Signátum est super nos lumen vultus tui Dómine, * dedísti laetìtiam in corde meo.

A fructu fruménti, vini, et ólei sui, * multiplicáti sunt.

In pace in idípsum * dórmiam et requiéscam.

Quóniam tu Dómine singuláriter in spe, * constituísti me.

Ant. Rubrum est induméntum tuum, et vestiménta tua sicut calcántium in torculári.

Ant. Aspérsus est sanguis super ve timénta mea, ómnia induménta mea inquinávi.

Psalmus 15.

Consèrva me Dómine, quóniam sperávi in te, * Dixi Dómino: Deus meus es tu, quóniam bonórum meórum non eges.

Sanctis. qui sunt in terra ejus, * mirificávit omnes voluntàtes meas in eis.

Multiplicátae sunt infirmitátes eórum, * póstea acceleravérunt.

Non congregábo conventícula eórum de sanguínibus, * nec memor ero nóminum eórum per lábia mea.

Dóminus pars haereditátis meae, et cálicis mei, * tu es qui restítues haereditátem meam mihi.

Funes cecidérunt mihi in praeclàris, * étenim haeréditas mea praeclára est mihi.

Benedícam Dóminum, qui tríbuit mihi intelléctum, * in-

super et usque ad noctem increpuérunt me renes mei.

Providébam Dóminum in conspéctu meo semper, * quóniam a dextris est mihi, ne commóvear.

Propter hoc laetátum est cor meum, et exultávit lingua mea, * ínsuper et caro mea requiéscet in spe.

Quóniam non derelínques ánimam meam in inférno, * nec dabis sanctum tuum vidére corruptiónem.

Notas mihi fecísti vias vitae, adimplébis me laetítia cum vultu tuo, * delectatiónes in déxtera tua usque in finem.

Ant. Aspérsus est sanguis super vestiménta mea, ómnia induménta mea inquinávi.

Ant. Divisérunt sibi vestiménta mea, et super vestem meam misérunt sortem.

Psalmus 14.

Dómine quis habitábit in tabernáculo tuo? * aut quis requiéscet in monte sancto tuo?

Qui ingréditur sine mácula, * et operátur justítiam.

Qui lóquitur veritátem in corde suo, * qui non egit dolum in lingua sua.

Nec fecit próximo suo malum, * et oppróbrium non accépit advérsus próximos suos.

Ad níhilum dedúctus est in conspéctu ejus malígnus: * timéntes áutem Dóminum gloríficat.

Qui jurat próximo suo et non décipit: * qui pecúniam suam non dedit ad usúram, et múnera super innocéntem non accépit.

Qui facit haec, * non movébitur in aetérnum.

Ant. Divisérunt sibi vestiménta mea, et super vestem meam misérunt sortem.

℣. Tuam síndonem venerámur Dómine.

℟. Tuam recólimus passiónem.

De Isaía Prophéta.

Lectio I.

Cap. 53.

Quis crédidit audítui nostro et bráchium Dómini cui revelátum est? et ascéndet sicut virgúltum coram eo, et sicut radix de terra sitiénti. Non est spécies ei, neque decor, et vídimus eum, et non erat aspéctus, et desiderávimus eum: despéctum, et novíssimum virórum, virum dolórum, et sciéntem infirmitátem, et quasi abscónditus vultus ejus, et despéctus, unde nec reputávimus eum. Vere languóres nostros ipse tulit

et dolóres nostros ipse portávit, et nos putávimus eum quasi leprósum et percússum a Deo et humiliàtum. Ipse áutem vulnerátus est propter iniquitátes nostras, attrítus est propter scélera nostra, disciplína pacis nostrae super eum, et livóre ejus sanáti sumus.

℟. Ecce vídimus eum non habéntem spéciem, neque decórem; aspéctus ejus in eo non est; hic peccáta nostra portávit, et pro nobis dolet; ipse áutem vulnerátus est propter iniquitátes nostras. * Cujus livóre sanáti sumus.

℣. Vere languóres nostros ipse tulit, et dolóres nostros ipse portávit. Cujus.

Lectio II.

Omnes nos quasi oves errávimus, unusquísque in viam suam declinávit, et pósuit Dóminus in eo iniquitátem ómnium nostrum. Oblátus est quia ipse vóluit, et non apéruit os suum. Sicut ovis ad occisiónem ducétur, et quasi agnus coram tondénte se obmutéscet, et non apériet os suum: de angústia et de judício sublátus est; generatiónem ejus quis enarrábit? quia abscíssus est de terra vivéntium: propter scelus pópuli mei percússi eum, et dabit ímpios pro sepúltura, et dívitem pro morte sua, eo quod iniquitátem non fècerit, neque dolus fúerit in ore ejus.

℟. Quid sunt plagae istae in médio mánuum tuárum?

Et dicet; his plagátus sum in domo eórum, qui diligébant me.

℣. Frámea suscitáre super pastórem meum, et super virum cohaeréntem mihi. Et dicet.

Lectio III.

Et Dóminus vóluit contérere eum in infirmitáte; si posúerit pro peccáto ánimam suam, vidébit semen longaevum, et volúntas Dómini in manu ejus dirigétur. Pro eo quod laborávit ánima ejus, vidébit et saturábitur, in sciéntia sua justificábit ipse justus servus meus multos, et iniquitátes eórum ipse portábit. Ideo dispértiam ei plúrimos, et fórtium dívidet spólia, pro eo quod trádidit in mortem ánimam suam, et cum sceleràtis reputátus est, et ipse peccáta multórum tulit, et pro transgressóribus rogávit.

℟. Tuam síndonem venerámur Dómine, tuam gloriósam recólimus passiónem; * Miserére nobis qui passus es pro nobis.

℣. Salva praeséntem catérvam in tuis hódie láudibus congregátam. Miserére.
Glória Patri. Miserére.

IN II. NOCTURNO

Ant. Quasi abscónditus vultus ejus, et despéctus, unde nec reputávimus eum.

Psalmus 23.

Dómini est terra, et plenitúdo ejus: * orbis terrárum, et univérsi qui hábitant in eo.
Quia ipse super mária fundávit eum, * et super flúmina praeparávit eum.
Quis ascéndet in montem Dómini? * aut quis stabit in loco sancto ejus?
Innocens mánibus et mundo corde, * qui non accépit in vano ánimam suam, nec jurávit in dolo próximo suo.
Hic accípiet benedictiónem a Dómino, * et misericórdiam a Deo salutári suo.
Haec est generátio quaeréntium eum, * quaeréntium fáciem Dei Jacob.
Attóllite portas, príncipes vestras, et elevámini portae aeternáles : * et introíbit Rex glóriae.
Quis est iste Rex glóriae? * Dóminus fortis et potens, Dóminus potens in praelio.
Attóllite portas, príncipes vestras, et elevámini portae aeternáles, * et introíbit Rex glóriae.
Quis est iste Rex glóriae? Dóminus virtútum ipse est Rex glóriae.
Ant. Quasi abscónditus vultus ejus, et despéctus, unde nec reputávimus eum.
Ant. Omnes vidéntes me derisérunt me, locúti sunt lábiis, et movérunt caput.

Psalmus 26,

Dóminus illuminátio mea, et salus mea, * quem timébo?
Dóminus protéctor vitae meae, * a quo trepidábo?
Dum apprópiant super me nocéntes, * ut edant carnes meas:
Qui tríbulant me inimíci mei, * ipsi infirmáti sunt, et cecidérunt.
Si consístant advérsum me castra, * non timébit cor meum.
Si exúrgat advérsum me praelium, * in hoc ego sperábo.
Unam pétii a Dómino, hanc requíram, * ut inhábitem in domo Dómini ómnibus diébus vitae meae:
Ut vídeam voluptátem Dómini, * et vísitem templum ejus.
Quóniam abscóndit me in

tabernáculo suo, * in die malórum protéxit me in abscóndito tabernáculi sui.

In petra exaltávit me: * et nunc exaltávit caput meum super inimícos meos.

Circuívi, et immolávi in tabernáculo ejus hóstiam vociferatiónis, * cantábo, et psalmum dicam Dómino.

Exáudi Dómine vocem meam, qua clamávi ad te, * miserére mei, et exáudi me.

Tibi dixit cor meum, exquisívit te fácies mea, * fáciem tuam Dómine requíram.

Ne avértas fáciem tuam a me, * ne declínes in ira a servo tuo.

Adjútor meus esto, * ne derelínquas me, neque despícias me Deus salutáris meus.

Quóniam pater meus et mater mea dereliquérunt me, * Dóminus áutem assúmpsit me.

Legem pone mihi Dómine in via tua, * et dírige me in sémitam rectam propter inimícos meos.

Ne tradíderis me in ánimas tribulántium me, * quóniam insurrexérunt in me testes iníqui, et mentíta est iníquitas sibi.

Credo vidére bona Dómini * in terra vivéntium.

Expécta Dóminum, viríliter age, * et confortétur cor tuum, et sústine Dóminum.

Ant. Omnes vidéntes me, derisérunt me, locúti sunt lábiis, et movérunt caput.

Ant. Trádidit in mortem ánimam suam, et ipse peccáta multórum tulit.

Psalmus 29.

Exaltábo te Dómine, quóniam suscepísti me, * nec delectásti inimícos meos super me.

Dómine Deus meus clamávi ad te, * et sanásti me.

Dómine eduxísti ab inférno ánimam meam, * salvásti me a descendéntibus in lacum.

Psállite Dómino sancti ejus, * et confitémini memóriae sanctitátis ejus.

Quóniam ira in indignatióne ejus, * et vita in voluntáte ejus.

Ad vésperum demorábitur fletus, * et ad matutínum laetítia.

Ego áutem dixi in abundántia mea, * Non movébor in aetérnum.

Dómine in voluntáte tua, * praestitísti decóri meo virtútem.

Avertísti fáciem tuam a me, * et factus sum conturbátus.

Ad te Dómine clamábo, * et ad Deum meum deprecábor.

Quae utílitas in sánguine

meo, * dum descéndo in corruptiónem?

Numquid confitébitur tibi pulvis, * aut annuntiábit veritátem tuam?

Audívit Dóminus, et misértus est mei, * Dóminus factus est adjútor meus.

Convertísti planctum meum in gáudium mihi, * conscídisti saccum meum, et circumdedísti me laetítia.

Ut cantet tibi glória mea, et non compúngar, * Dómine Deus meus in aetérnum confitébor tibi.

Ant. Trádidit in mortem ánimam suam, et ipse peccáta multórum tulit.

℣. Adorámus te Christe, et benedícimus tibi.

℟. Quia per crucem tuam redemísti mundum.

Sermo Sancti Ambrosii Epíscopi.

Lectio IV.

Ev. 23. *in Luc.*

Quid sibi vult, quod non Apóstoli, sed Joseph et Nicodémus, ut Joánnes dicit, Christum sepéliunt? Unus justus et constans, alter, qui erat magíster in Israel. Talis enim Christi est sepultúra, quae justítiam, magisteriúmque hábeat. Obstrúitur ígitur tergiversándi locus, et doméstico Judaei testimónio revincúntur. Nam si Apóstoli sepelíssent, dícerent útique non sepúltum, quem sepúltum, raptum esse dixérunt. Justus áutem Christi corpus óperit síndone, ínnocens ungit unguénto, Namque haec non otióse distíncta reperímus; quia justítia vestit Ecclésiam, innocéntia grátiam subminístrat.

℟. O admirábilis sindon! * In qua involútus est thesáurus noster, redémptio captivórum.

℣. Gáudet totus mundus, qui redémptus est sánguine Dómini sui. In qua.

Lectio V.

Vesti ergo et tu Dómini corpus glória sua, ut et ipse sis justus. Et si mórtuum credis, óperi tamen divinitátis própriae plenitúdine; unge illud myrrha, et áloe, ut bonus odor Christi sis. Bonum línteum misit Joseph ille vir justus; et fortásse illud, quod Petrus vidit e coelo ad se esse demíssum in quo erant génera quadrúpedum, et ferárum, et vólucrum ad similitúdinem gentílium figuráta. Mystico ígitur unguénto illo pístico consepeliétur Ecclésia, quae diversità-

tem populórum fidei suae communióne sociávit.

℟. Tulérunt túnicam Joseph fratres ejus, et in sánguine hoedi, quem occidérunt, tinxérunt, mittentes qui ferrent ad patrem, et dícerent, * Hanc invénimus, vide num túnica filii tui sit, an non?

℣. Quam cum agnovísset pater, ait: túnica filii mei est, fera péssima devorávit eum. Hanc invénimus.

Lectio VI.

Hunc Joseph justum Lucas dixit: Matthaeus dívitem; et mérito díves hoc loco dícitur ubi corpus súscipit Christi: suscipiéndo enim dívitem, nescívit fidei paupertátem. Dives est ergo, qui justus est; justus ígitur síndone invólvit; Israelíta vero et divérsos miscet virtútum odóres, et áloes mittit quasi libras centum, hoc est perféctae fidei quantitátem. Et ligavérunt corpus Jesu juxta consuetúdinem speciálem Judaeórum: non útique nodis perfidiae, sed fidei ligatúris; et posuérunt in horto, cui frequénter Ecclésia comparátur, quae diversórum habet poma meritórum florésque virtútum.

℟. Christus passus est pro nobis, vobis relínquens exémplum, ut sequámini vestígia ejus, * Qui peccátum non fecit, nec invéntus est dolus in ore ejus.

℣. Qui cum maledicerétur, non maledicébat; cum paterétur, non comminabátur. Qui peccátum.

Glória Patri. Qui.

IN III. NOCTURNO.

Ant. Caro mea requiéscet in spe, quia non dabis sanctum tuum vidére corruptiónem.

Psalm. 53.

Deus in nómine tuo salvum me fac; * et in virtute tua júdica me.

Deus exáudi oratiónem meam: * áuribus pércipe verba oris mei.

Quóniam aliéni insurrexérunt advérsum me, et fortes quaesiérunt ánimam meam: * et non proposuérunt Deum ante conspéctum suum.

Ecce enim Deus ádjuvat me: * et Dóminus suscéptor est ánimae meae.

Avérte mala inimícis meis, * et in veritáte tua dispérde illos.

Voluntárie sacrificábo tibi: * et confitébor nómini tuo Dómine, quóniam bonum est.

Quóniam ex omni tribula-

tióne eripuísti me; * et super inimícos meos despéxit óculus meus.

Ant. Caro mea requiéscet in spe, quia non dabis sanctum tuum vidére corruptiónem.

Ant. Convertísti planctum meum in gáudium mihi, conscidísti saccum meum, et circumdedísti me laetítia.

Psalm. 75.

Notus in Judaea Deus, * in Israel magnum nomen ejus.

Et factus est in pace locus ejus, * et habitátio ejus in Sion.

Ibi confrégit poténtias árcuum, * scutum, gládium, et bellum.

Illúminans tu mirabíliter a móntibus aetérnis, * turbáti sunt omnes insipiéntes corde.

Dormiérunt somnum suum, * et nihil invenérunt omnes viri divitiárum in mánibus suis.

Ab increpatióne tua Deus Jacob, * dormitavérunt qui ascendérunt equos.

Tu terríbilis es, et quis resístet tibi? * ex tunc ira tua.

De coelo audítum fecísti judícium, * terra trémuit et quiévit.

Cum exúrgeret in judícium Deus, * ut salvos fáceret omnes mansuétos terrae.

Quóniam cogitátio hóminis confitébitur tibi, * et relíquiae cogitatiónis diem festum agent tibi.

Vovéte, et réddite Dómino Deo vestro, * omnes qui in circúitu ejus affértis múnera.

Terríbili et ei qui áufert spíritum príncipum, * terríbili apud reges terrae.

Ant. Convertísti planctum meum in gáudium mihi, conscidísti saccum meum, et circumdedísti me laetítia.

Ant. Factus sum sicut homo sine adjutório inter mórtuos liber.

Psalm. 87.

Dómine Deus salútis meae, * in die clamávi, et nocte coram te.

Intret in conspéctu tuo orátio mea: * inclína áurem tuam ad precem meam.

Quia repléta est malis ánima mea; * et vita mea inférno appropinquávit.

Aestimátus sum cum descendéntibus in lacum: * factus sum sicut homo sine adjutório, ínter mórtuos liber.

Sicut vulneráti dormiéntes in sepúlchris, quorum non es memor ámplius: *

et ipsi de manu tua repúlsi sunt.

Posuérunt me in lacu inferióri, * in tenebrósis, et in umbra mortis.

Super me confirmátus est furor tuus: * et omnes fluctus tuos induxísti super me.

Longe fecísti notos meos a me: * posuérunt me abominatiónem sibi.

Tráditus sum, et non egrediébar: óculi mei languérunt prae inópia.

Clamávi ad te Dómine tota die: * expándi ad te manus meas.

Numquid mórtuis fácies mirabília: * aut médici suscitábunt, et confitebúntur tibi?

Numquid narrábit áliquis in sepúlchro misericórdiam tuam, * et veritátem tuam in perditióne?

Numquid cognoscéntur in ténebris mirabília tua, * et justítia tua in terra oblivionis?

Et ego ad te Dómine clamávi: * et mane orátio mea praevéniet te.

Ut quid Dómine repéllis orationem meam: * avértis fáciem tuam a me?

Páuper sum ego, et in labóribus a juventúte mea: * exaltátus áutem, humiliátus sum et conturbátus.

In me transiérunt irae tuae: * et terróres tui conturbavérunt me.

Circumdedérunt me sicut aqua tota die: * circumdedérunt me simul.

Elongásti a me amícum et próximum, * et notos meos a miséria.

Ant. Factus sum sicut homo sine adjutório inter mórtuos liber.

℣. Omnis terra adóret te, et psallat tibi.

℟. Psalmum dicat nómini tuo Dómine.

Léctio sancti Evangélii secúndum Marcum.

Lectio VII.

Cap. 15.

In illo témpore: Cum jam sero factum esset, quia erat Parascéve, quod est ante sábbatum, venit Joseph ab Arimathaea nóbilis decúrio, qui et ipse erat expéctans regnum Dei. Et réliqua.

Homilía venerábilis Bedae Presbyteri.

Parascéve graece, latíne praeparátio dícitur, quo nómine Judaei, qui inter Graecos morabántur, sextam sábbati appellábant, eo quod in illo, ea, quae requiéi sábbati necessária essent, praeparáre solérent. Juxta hoc, quod

de manna quondam praecéptum est: sexta áutem die colligétis duplum. Quia ergo sexta die factus est homo, et tota est mundi creatúra perfécta; séptima áutem cónditor ab ópere suo requiévit; unde et hanc sábbatum, hoc est réquiem vóluit appellári: recte Salvátor eádem sexta die crucifixus humánae restauratiónis implévit arcánum; ideóque cum accepísset acétum, dixit: consummátum est; hoc est sextae diéi, quod pro mundi refectióne suscépi, jam totum est opus explétum. Sábbato áutem in sepúlchro requiéscens, resurrectiónis, quae octáva die ventúra erat, expectábat eventum.

℟. Mercátus est Joseph síndonem mundam, ut invólveret in ea corpus Dómini, * Venit ergo, et tulit corpus ejus.

℣. Rogávit Pilátum Joseph ab Arimathaea, ut tólleret corpus Jesu. Venit ergo.

Lectio VIII.

Venit, inquit, Joseph ab Arimathaea nóbilis decúrio, qui et ipse erat expéctans regnum Dei, et audácter introívit ad Pilátum, et pétiit corpus Jesu. Magnae quidem Joseph iste dignitátis ad saeculum, sed majóris apud Deum mériti fuísse laudátur. Talem namque exístere decébat eum qui corpus Dómini sepelíret; qui et per justítiam meritórum tali ministério dignus esset, et per nobilitátem poténtiae saeculáris facultátem posset obtinére ministrándi: non enim quílibet ignótus, aut medíocris ad praesidem accédere, et crucifixi corpus póterat impetráre.

℟. Haec est sindon dignissima, * In qua salútis auctor de cruce depósitus invólvi dignátus est.

℣. Ut nos consepúlti cum eo, véteris hóminis exúviis depósitis, innocéntiae síndone tegerêmur. In qua.

Glória Patri. In qua.

IX. Lectio legitur de Homilia feriae currentis, postea dicitur Te Deum.

AD LAUDES.

ET PER HORAS.

Ant. Joseph nóbilis decúrio vir bonus, et justus, et ipse dives erat expéctans regnum Dei.

Psalm. Dóminus regnávit. *cum reliquis de Dominica.*

Ant. Hic audácter introívit

ad Pilátum, et pétiit corpus Jesu.

Ant. Cum cognovísset Pilatus a centurióne, quod jam mórtuus esset, donávit corpus Jesu.

Ant. Joseph áutem mercátus síndonem, et depónens eum, invólvit síndone.

Ant. Pósuit eum in monuménto, in quo nondum quisquam pósitus fúerat.

Cap. Quis est iste, *ut supra in Vesperis.*

Hymnus.

Jesu dulcis amor meus,
Ac si praesens sis, accédo,
Te compléctor cum afféctu,
Tuórum memor vúlnerum.
O quam nudum hic te cerno
Vulnerátum, et disténtum,
Inquinátum, involútum
In hoc sacro tégmine!
Salve caput cruentátum
Spinis, cujus dulcis vultus
Immutávit suum florem,
Quem coeli tremit cúria.
Salve latus Salvatóris,
Salve mitis apertúra,
Super rosam rubicúnda,
Medéla salutífera.
Manus sanctae vos avéte,
Diris clavis perforátae:
Ne repéllas me, Salvátor,
De tuis sanctis pédibus.
Amen.

℣. Dóminus regnávit, decórem índuit.

℟. Induit Dominus fortitúdinem, et praecínxit se virtúte.

AD BENEDICTUS

Ant. Joseph nóbilis decúrio, expéctans et ipse regnum Dei, mercátus est síndonem, et depónens corpus Jesu invólvet illud in síndone.

Oratio. Deus, qui nobis, *ut supra in Vesperis.*

AD TERTIAM

Ant. Hic audácter.

Cap. Quis est iste, *ut sup.*

℟. *br.* Tuam síndonem * Venerámur Dómine. Tuam síndonem.

℣. Tuam recólimus passiónem. Venerámur.

Glória Patri. Tuam síndonem.

℣. Adorámus te Christe, et benedícimus tibi.

℟. Quia per mortem tuam redemísti mundum.

AD SEXTAM.

Ant. Cum cognovísset.

Capitulum.

Isa. 62. 63.

Quare ergo rubrum est induméntum tuum, et vestiménta tua sicut calcántium

in torculári? Tórcular calcávi solus, et de géntibus non est vir mecum.

℟. *br.* Adorámus te Christe, * Et benedícimus tibi. Adorámus.

℣. Quia per mortem tuam redemísti mundum. Et benedícimus tibi.

Glória Patri. Adorámus.

℣. Omnis terrà adóret te, et psallat tibi.

℟. Psalmum dicat nómini tuo, Dómine.

AD NONAM

Ant. Pósuit eum.

Capitulum

Isa. ibid.

Circumspéxi, et non erat auxiliátor, quaesívi, et non fuit qui adjuváret, et salvávit mihi bráchium meum; et indignátio mea ipsa auxiliáta est mihi.

℟. *br.* Omnis terra adóret te, * Et psallat tibi. Omnis.

℣. Psalmum dicat nómini tuo Dómine. Et psallat.

Glória Patri. Omnis.

℣. Dóminus regnávit decórem índuit.

℟. Induit Dóminus fortitúdinem, et praecínxit se virtúte.

In secundis Vesperis.

Ant. Joseph nóbilis, *cum rel. de Laud.*

Psal. Dixit Dóminus, *cum reliq. de Dom. et loc. ult.* *Psal.* Voce mea, *ut in Off. Pass. pag.* 116.

AD MAGNIFICAT

Ant. Homo quidam dives ab Arimathaea, nómine Joseph, accépto córpore Jesu, invólvit illud in síndone munda.

Oratio. Deus, qui nobis, *ut supra in primis Vesp.*

FERIA VI. POST DOMINICAM TERTIAM QUADRAG.

In Commemoratione Sacrorum Quinque Vulnerum D. N. J. C. Duplex majus.

Ad Vesperas. Ant. Vere languóres *cum reliq. de Laud.*

Psal. Crédidi, *cum reliquis de Offic. Pass. pag.* 114.

Capitulum

Isaiae 53.

Christus vulnerátus est propter iniquitátes nostras, attrítus est propter scélera nostra: cujus livóre sanáti sumus.

Hymnus.

Pange lingua gloriósi
Láuream certáminis,
Et super Crucis trophaeo
Dic triúmphum nóbilem,
Quáliter Redémptor Orbis,
Immolátus vícerit.
De paréntis protoplásti
Fráude Factor cóndolens,
Quando pomi noxiális
In necem morsu ruit:
Ipse lignum tunc notávit
Damna ligni ut sólveret
Hoc opus nostrae salútis
Ordo depopóscerat,
Multifórmis proditóris
Ars ut artem fálleret,
Et medélam ferret inde,
Hostis unde laeserat,
Quando venit ergo sacri
Plenitúdo témporis,
Missus est ab arce Patris
Natus, orbis Cónditor;
Atque ventre Virgináli
Carne amíctus pródiit.
Vagit Infans inter arcta
Cónditus praesépia;
Membra pannis involúta,
Virgo mater álligat:
Et Dei manus pedésque
Strícta cingit fáscia.
Sempitérna sit beátae
Trinitáti glória,
Aequa Patri Filióque;
Par decus Paráclito;
Uníus Triníque nomen
Láudet univérsitas. Amen.

℣. Vidébunt, in quem transfixérunt.
℟. Et dolébunt super eum, ut in morte primogéniti.

AD MAGNIFICAT.

Ant. Dum in Cruce pendéret unigénitus Dei Fílius, et ab ómnibus subsánnarétur, mater ejus virgo María, ipsum verum Deum et hóminem cóndolens venerabátur.

OARTIO.

Deus, qui Unigéniti Fílii tui passióne, et per quinque Vúlnera ejus sánguinis effusióne, humánam natùram peccáto pérditam reparásti: tríbue nobis, quaesumus, ut qui ab eo suscépta Vúlnera venerámur in terris, ejúsdem pretiosíssimi Sánguinis fructum cónsequi mereámur in coelis. Per eúmdem Dóminum.

AD MATUTINUM

Invitat. Christum in Cruce confixum, quinque Plagis vulnerátum, * Veníte, adorémus.

Psalm. 94. Veníte, exultémus.

Hymnus. Pange lingua, *ut supra in Vesperis.*

IN I. NOCTURNO.

Ant. Quis est iste, qui venit de Edom, tinctis véstibus de Bosra?

Psalm. 10.

In Dómino confido: quómodo dícitis ánimae meae: * tránsmigra in montem sicut passer?

Quóniam ecce peccatóres intendérunt arcum, paravérunt sagíttas suas in phárelra * ut sagíttent in obscúro rectos corde.

Quóniam quae perfecísti, destruxérunt: * justus áutem quid fecit?

Dóminus in templo sancto suo: * Dóminus in coelo sedes ejus.

Oculi ejus in páuperem respíciunt: * pálpebrae ejus intérrogant fílios hóminum.

Dóminus intérrogat justum et ímpium: * qui áutem díligit iniquitátem, odit ánimam suam.

Pluet super peccatóres láqueos: * ignis, et sulphur, et spíritus procellárum pars cálicis eórum.

Quóniam justus Dóminus, et justítias diléxit: * aequitátem vidit vultus ejus.

Ant. Quis est iste, qui venit de Edom, tinctis véstibus de Bosra?

Ant. Quare rubrum est induméntum tuum, et vestiménta tua sicut calcántium in torculári?

Psalm. 14.

Dómine quis habitábit in tabernáculo tuo? * aut quis requiéscet in monte sancto tuo?

Qui ingréditur sine mácula, * et operátur justítiam.

Qui lóquitur veritatem in corde suo, * qui non egit dolum in lingua sua.

Nec fecit próximo suo malum, * et oppróbrium non accépit advérsus próximos suos.

Ad níhilum dedúctus est in conspéctu ejus malígnus: * timéntes áutem Dóminum gloríficat.

Qui jurat próximo suo et non décipit: * qui pecúniam suam non dedit ad usúram, et múnera super innocéntem non accépit.

Qui facit haec, * non movébitur in aetérnum.

Ant. Quare rubrum est induméntum tuum, et vestiménta tua sicut calcántium in torculári?

Ant. Tórcular calcávi solus, et de Géntibus non fuit vir mecum.

Psalmus 23.

Dómini est terra, et plenitúdo ejus; * orbis terrárum, et univérsi qui hábitant in eo.

Quia ipse super mária fundávit eum, * et super flúmina praepáravit eum.

Quis ascéndet in montem Dómini? * aut quis stabit in loco sancto ejus?

Innocens mánibus et mundo corde, * qui non accépit in vano ánimam suam, nec jurávit in dolo próximo suo.

Hic accípiet benedictiónem a Dómino, * et misericórdiam a Deo salutári suo.

Haec est generátio, quaeréntium eum, * quaeréntium fáciem Dei Jacob.

Attóllite portas, príncipes, vestras, et elevámini portae aeternáles: et introíbit Rex glóriae.

Quis est iste Rex glóriae? * Dóminus fortis et potens, Dóminus potens in praelio.

Attóllite portas príncipes vestras, et elevámini portae aeternáles, * et introíbit Rex glóriae.

Quis est iste Rex glóriae? * Dóminus virtútum ipse est Rex glóriae.

Ant. Tórcular calcávi solus, et de Géntibus non fuit vir mecum.

℣. Fodérunt manus meas, et pedes meos.

℟. Dinumeravérunt ómnia ossa mea.

De Isaía Prophéta.

Lectio I.

Cap. 53.

Quis crédidit audítui nostro? et bráchium Dómini cui revelátum est? Et ascéndet sicut virgúltum coram eo et sicut radix de terra sitiénti. Non est spécies ei, neque decor, et vídimus eum, et non erat aspéctus, et desiderávimus eum: Despéctum et novíssimum virórum, virum dolórum, et sciéntem infirmitátem, et quasi abscónditus vultus ejus, et despéctus, unde nec reputávimus eum. Vere languóres nostros ipse tulit, et dolóres nostros ipse portávit: et nos putávimus eum quasi leprósum, et percússum a Deo et humiliatum. Ipse áutem vulnerátus est propter iniquitátes nostras, attrítus est propter scélera nostra; disciplína pacis nostrae super eum, et livóre ejus sanáti sumus.

℟. Gratificávit nos Deus in dilécto Fílio suo: * In quo habémus redemptiónem per sánguinem ejus in remissiónem peccatórum.

℣. Ecce venit plenitúdo témporis, in quo misit Deus Fílium suum in terras. In quo.

Lectio II.

Omnes nos quasi oves errávimus, unusquísque in viam suam declinávit: et pósuit Dóminus in eo iniquitátem ómnium nostrum. Oblátus est quia ipse vóluit, et non apéruit os suum: sicut ovis ad occisiónem ducétur, et quasi agnus coram tondénte se obmutéscet, et non apériet os suum. De angústia et de judício sublátus est: generatiónem ejus quis enarrábit? quia abscíssus est de terra vivéntium, propter scelus pópuli mei percússi eum. Et dabit ímpios pro sepultúra et dívites pro morte sua: eo quod iniquitátem non fécerit, neque dolus fúerit in ore ejus. Et Dóminus vóluit contérere eum in infirmitáte.

℟. Nos, qui aliquándo erámus longe, facti sumus prope per Sánguinem Jesu Christi: Ipse est pax nostra, qui fecit útraque unum.

℣. A Dómino factum est istud, et est mirábile in óculis nostris. Ipse.

Lectio III.

Cap. 63.

Quis est qui venit de Edom tinctis véstibus de Bosra? iste formósus in stola sua, grádiens in multitúdine fortitúdinis suae. Ego, qui loquor justítiam, et propugnátor sum ad salvándum. Quare ergo rubrum est induméntum tuum, et vestiménta tua sicut calcántium in torculári? Tórcular calcávi solus, et de Géntibus non est vir mecum; calcávi eos in furóre meo, et conculcávi eos in ira mea, et aspérsus est sanguis eórum super vestiménta mea, et ómnia induménta mea inquinávi; dies enim ultiónis in corde meo, annus Redemptiónis meae venit, Circumspéxi, et non erat auxiliátor: quaesívi, et non fuit qui adjuváret.

℟. In primogénito ex mortuis complácuit omnem plenitúdinem Divinitátis inhabitáre, et per eum reconciliári ómnia in ipsum: * Pacíficans per sánguinem Crucis ejus sive quae in coelis, sive quae in terris sunt.

℣. Ipse est caput córporis Ecclésiae, in ómnibus primátum tenens. Pacíficans. Glória Patri. Pacíficans.

IN II. NOCTURNO.

Antiph. Fodérunt manus meas, et pedes meos: dinumeravérunt ómnia ossa mea.

Psalm. 21.

Deus Deus meus, réspice in me: quare me dereliquísti? * longe a salúte mea verba delictórum meórum.

Deus meus clamábo per diem, et non exáudies: * et nocte, et non ad insipiéntiam mihi.

Tu áutem in sancto hábitas, * Laus Israel.

In te speravérunt patres nostri: * speravérunt, et liberásti eos.

Ad te clamavérunt, et salvi facti sunt: * in te speravérunt, et non sunt confúsi.

Ego áutem sum vermis, et non homo: * oppróbrium hóminum, et abjéctio plebis.

Omnes vidéntes me, derisérunt me: * locúti sunt lábiis, et movérunt caput.

Sperávit in Dómino, erípiat eum: * salvum fáciat eum, quóniam vult eum.

Quóniam tu es, qui extraxísti me de ventre: * spes mea ab ubéribus matris meae. In te projéctus sum ex útero.

De ventre matris meae Deus meus es tu: * ne discésseris a me.

Quóniam tribulátio próxima est: * quóniam non est, qui ádjuvet.

Circumdedérunt me vítuli multi: * táuri pingues obsedérunt me.

Aperuérunt super me os suum, * sicut leo rápiens et rúgiens.

Sicut aqua effúsus sum: * et dispérsa sunt ómnia ossa mea.

Factum est cor meum tamquam cera liquéscens * in médio ventris mei.

Aruit tamquam testa virtus mea, et lingua mea adhaesit fáucibus meis: * et in púlverem mortis deduxísti me.

Quóniam circumdedérunt me canes multi: * concílium malignántium obsédit me.

Fodérunt manus meas, et pedes meos: * dinumeravérunt ómnia ossa mea.

Ipsi vero consideravérunt et inspexérunt me: * divisérunt sibi vestiménta mea, et super vestem meam misérunt sortem.

Tu áutem Dómine, ne elongáveris auxílium tuum a me: * ad defensiónem meam cónspice.

Erue a frámea Deus, ánimam meam: * et de manu canis únicam meam.

Salva me ex ore leònis: * et a córnibus unicórnium humilitátem meam.

Narrábo nomen tuum frátribus meis: * in médio Ecclésiae laudábo te.

Qui timétis Dóminum, laudáte eum: * univérsum semen Jacob glorificáte eum.

Tímeat eum omne semen Israel: * quóniam non sprevit, neque despéxit deprecatiónem pàuperis.

Nec avértit fáciem suam a me: * et cum clamárem ad eum, exaudívit me.

Apud te laus mea in Ecclésia magna: * vota mea reddam in conspéctu timéntium eum.

Edent páuperes, et saturabúntur, et laudábunt Dóminum, qui requírunt eum: * vivent corda eórum in saeculum saeculi.

Reminiscéntur, et converténtur ad Dóminum: * univérsi fines terrae.

Et adorábunt in conspéctu ejus: * univérsae famíliae Gentium.

Quóniam Domini est regnum: * et ipse dominábitur géntium.

Manducavérunt, et adoravérunt omnes pingues terrae: * in conspéctu ejus cadent omnes, qui descéndunt in terram.

Et ánima mea illi vivet: * et semen meum sérviet ipsi.

Annuntiábitur Dómino generátio ventúra: * et annuntiábunt coeli justítiam ejus, pópulo qui nascétur, quem fecit Dóminus.

Antiph. Fodérunt manus meas, et pedes meos: dinumeravérunt ómnia ossa mea.

Ant. A planta pedis usque ad vérticem non est in eo sánitas.

Psalmus 65.

Jubiláte Deo omnis terra psalmum dícite nómini ejus: * date glóriam láudi ejus.

Dícite Deo, quam terribília sunt ópera tua, Dómine! * in multitúdine virtútis tuae mentiéntur tibi inimíci tui.

Omnis terra adóret te, et psallat tibi: * psalmum dicat nómini tuo.

Veníte, et vidéte ópera Dei, * terríbilis in consíliis super filios hóminum.

Qui convértit mare in áridam, in flúmine pertransíbunt pede: ibi laetábimur in ipso.

Qui dominátur in virtúte sua in aetérnum, óculi ejus super Gentes respíciunt: * qui exásperant, non exalténtur in semetípsis.

Benedícite gentes Deum nostrum: * et audítam fàcite vocem láudis ejus.

Qui pósuit ánimam meam ad vitam: * et non dedit in commotiónem pedes meos.

Quóniam probásti nos, Deus: * igne nos examinásti, sicut examinátur argéntum.

Induxísti nos in láqueum posuísti tribulatiónes in dorso nostro: * imposuísti hómines super cápita nostra.

Transívimus per ignem et aquam: * et eduxísti nos in refrigérium.

Introíbo in domum tuam in holocáustis: * reddam tibi vota mea, quae distinxérunt lábia mea.

Et locútum est os meum, * in tribulatióne mea.

Holocáusta medulláta óf-feram tibi cum incénso aríetum: ófferam tibi boves cum hírcis.

Veníte, audíte, et narrábo, omnes qui timétis, Deum, * quanta fecit ánimae meae.

Ad ipsum ore meo clamávi, * et exaltávi sub lingua mea.

Iniquitátem si aspéxi in corde meo, * non exáudiet Dóminus.

Proptérea exaudívit Deus, * et atténdit voci deprecatiónis meae.

Benedíctus Deus, * qui non amóvit oratiónem meam, et misericórdiam suam a me.

Ant. A planta pedis usque ad vérticem non est in eo sánitas.

Antiph. Vulnus, et livor, et plaga tumens non est circumligáta, nec curáta medicámine, neque fota óleo.

Psalmus 75.

Notus in Judaea Deus, * in Israel magnum nomen ejus.

Et factus est in pace locus ejus, * et habitátio ejus in Sion.

Ibi confrégit poténtias árcuum, * scutum, gládium, et bellum.

Illúminans tu mirabíliter a móntibus aetérnis, * turbáti sunt omnes insipiéntes corde.

Dormiérunt somnum suum, * et nihil invenérunt omnes viri divitiárum in mánibus suis.

Ab increpatióne tua Deus Jacob, * dormitavérunt qui ascendérunt equos.

Tu terríbilis es, et quis resístet tibi? * ex tunc ira tua.

De coelo audítum fecísti judícium, * terra trémuit et quiévit.

Cum exúrgeret in judícium Deus, * ut salvos fáceret omnes mansuétos terrae.

Quóniam cogitátio hóminis confitébitur tibi, * et relíquiae cogitatiónis diem festum agent tibi.

Vovéte, et rédditе Dómino Deo vestro, * omnes qui in circúitu ejus affértis múnera.

Terríbili et ei qui áufert spíritum príncipum, * terríbili apud reges terrae.

Ant. Vulnus, et livor, et plaga tumens non est circumligáta, nec curáta medicámine, neque fota óleo.

℣. Vere languóres nostros ipse tulit.

℟. Et dolóres nostros ipse portávit.

Lectio IV.

De Sermone Sancti Bernárdi Abbátis.

Lib. de Pass. Dom.

Cap. 41.

Captus est Jesus, post plúrimas illusiónes tam Judaeórum, quam Géntium: post sánguinis plures effusiónes, clavis in mítibus mánibus simul, et pédibus perforátur, et configitur ligno Crucis Salvátor noster mitíssimus Jesus. Intuére, et réspice rosam Passiónis sanguíneae, quómodo rubet in indícium ardentíssimae charitátis! Conténdunt pássio et cháritas: ista, ut plus árdeat; illa, ut plus rúbeat.

℟. Per mortem destrúxit Jesus eum, qui mortis habébat impérium: * Ut liberáret eos, qui timóre mortis obnóxii erant servitúti.

℣. Unde débuit per ómnia frátribus assimilári, ut miséricors fieret. Ut liberàret.

Lectio V.

Vide quómodo hoc flore rosae floruérit óptima vitis nostra rubicúndus Jesus. Vide totum corpus, sícubi rosae sanguíneae florem non invénias. Inspice manum unam, et álteram, si florem rosae non invénies in utráque. Inspice pedem unum et álterum, numquid non rósei? Inspice láteris apertúram, quia nec illa caret rosa, quamvis ipsa subrúbea sit, propter mixtúram aquae, quia, sicut narrat Evangelísta, cum unus mílitum láncea latus ejus perforásset, exívit sanguis et aqua.

℟. Per hóminem mors, et per hóminem resurréctio mortuórum, * Et sicut in Adam omnes peccavérunt, ita in Christo omnes vivificabúntur.

℣. Novíssime áutem inimíca destruétur mors. Et sicut.

Lectio VI.

Ex eodem S. Bernardo.

Serm. de Pass. Dom.

Réspice Dómine Sancte Pater de santuário tuo, et de excélso coelórum habitáculo:

et intuére hanc sacrosánctam Hóstiam, quam tibi offert magnus Póntifex noster, Sanctus puer tuus Dóminus Jesus, pro peccátis fratrum suórum, et esto placábilis super multitúdine malítiae nostrae. Cognósce Pater túnicam filii tui Joseph: heu fera péssima devorávit eum, et conculcávit in furóre suo vestiméntum ejus. Ecce quinque scissúras lamentábiles in eo relíquit.

℟. Vídimus Jesum propter passiónem mortis glória, et honóre coronátum; * Ut pro ómnibus gustáret mortem.

℣. Decébat eum, qui multos filios in glóriam addúxerat, auctórem salútis eórum per passiónem consummári. Ut pro ómnibus. Glória Patri. Ut pro.

IN III. NOCTURNO

Antiph. Quid sunt plagae istae in médio mánuum tuárum?

Psalmus. 95.

Cantáte Dómino cánticum novum, * cantáte Dómino omnis terra.

Cantáte Dómino, et benedícite nómini ejus, * annuntiáte de die in diem salutáre ejus.

Annuntiáte inter Gentes glóriam ejus, * in ómnibus pópulis mirabília ejus.

Quóniam magnus Dóminus et laudábilis nimis, * terríbilis est super omnes deos.

Quóniam omnes dii Géntium daemónia, * Dóminus áutem coelos fecit.

Conféssio et pulchritúdo in conspéctu ejus, * sanctimónia et magnificéntia in sanctificatióne ejus.

Afférte Dómino pátriae Géntium, afférte Dómino glóriam et honórem, * afférte Dómino glóriam nómini ejus.

Tóllite hóstias, et introíte in átria ejus, * adoráte Dóminum in átrio sancto ejus.

Commoveátur a fácie ejus univérsa terra: * dícite in Géntibus quia Dóminus regnávit.

Etenim corréxit orbem terrae, qui non commovébitur, * judicábit pópulos in aequitáte.

Laeténtur coeli, et exúltet terra, commoveátur mare, et plenitúdo ejus: * gaudébunt campi, et ómnia quae in eis sunt.

Tunc exultábunt ómnia ligna silvárum a fácie Dómini, quia venit, * quóniam venit judicáre terram.

Judicábit orbem terrae in aequitáte, * et pópulos in veritáte sua.

Antiph. Quid sunt plagae

istae in médio mánuum tuárum?

Antiph. His plagátus sum in domo eórum, qui me diligébant.

Psalmus 96.

Dóminus regnávit, exúltet terra, * laeténtur ínsulae multae.

Nubes et calígo in circúitu ejus, * justítia, et judícium corréctio sedis ejus.

Ignis ante ipsum praecédet, * et inflammábit in circúitu inimícos ejus.

Illuxérunt fúlgura ejus orbi terrae, * vidit, et commóta est terra.

Montes sicut cera fluxérunt a fácie Dómini, * a fácie Dómini omnis terra.

Annuntiavérunt coeli justítiam ejus, * et vidérunt omnes pópuli glóriam ejus.

Confundántur omnes, qui adórant sculptília, * et qui gloriántur in simulácris suis.

Adoráte eum omnes Angeli ejus, * audívit, et laetáta est Sion.

Et exultavérunt fíliae Judae, * propter judícia tua Dómine.

Quóniam tu Dóminus altíssimus super omnem terram, * nimis exaltátus es super omnes deos.

Qui dilígitis Dóminum, odíte malum, * custódit Dóminus ánimas sanctórum suórum, de manu peccatóris liberábit eos.

Lux orta est justo, * et rectis corde laetítia.

Laetámini justi in Dómino, * et confitémini memóriae sanctificatiónis ejus.

Antiph. His plagátus sum in domo eórum, qui me diligébant.

Antiph. In amaritúdine sermo meus est: et manus plagae meae aggraváta est super gémitum meum.

Psalmus 97.

Cantáte Dómino cánticum novum, * quia mirabília fecit.

Salvávit sibi déxtera ejus, * et bráchium sanctum ejus.

Notum fecit Dóminus salutáre suum, * in conspéctu Géntium revelávit justítiam suam.

Recordátus est misericórdiae suae, * et veritátis suae dómui Israel.

Vidérunt omnes términi terrae, * salutáre Dei nostri.

Jubiláte Deo omnis terra, * cantáte, et exultáte, et psállite.

Psállite Dómino in cíthara, in cíthara et voce psalmi: * in tubis ductílibus et voce tubae córneae.

Jubiláte in conspéctu Regis Dómini, * moveátur mare et plenitúdo ejus, orbis terrárum, et qui hábitant in eo.

Flúmina pláudent manu, simul montes exultábunt a conspéctu Dómini, * quóniam venit judicáre terram.

Judicábit orbem terrárum in justítia, * et pópulos in aequitáte.

Antiph. In amaritúdine sermo meus est, et manus plagae meae aggraváta est super gémitum meum.

℣. Ipse vulnerátus est propter iniquitátes nostras.

℟. Attrítus est propter scélera nostra.

Lectio VII.

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Cap. 19.

In illo témpore: Sciens Jesus quia ómnia jam consummáta sunt, ut consummarétur Scriptúra, dixit: Sítio. Et réliqua.

Homilía sancti Cyrílli Epíscopi Alexandríni.

L 12. *Comm. in Joann.*

Cum ab immánibus Judaeis omnis in Christum expléta esset impíetas, nec quidquam jam ad summam crudelitátem réliquum esset, ad extrémum caro Christi sanctíssima próprium quiddam ac naturále rursus pátitur. Multis enim, ac váriis dolóribus exsiccáta, siti torquétur. Graves síquidem dolóres magnam ad sitim commovéndam vim habent, naturáli quodam et inexplicábili calóre húmidum consuméntes, et ígneis ardóribus praecórdia uréntes.

℟. Manifestáta est grátia Dei per illuminatiónem Salvatóris nostri Jesu Christi: * Qui destrúxit mortem, illuminávit áutem vitam in incorruptiónem.

℣. Liberávit, et vocávit nos vocatióne sua sancta per grátiam, quae data est nobis in Christo. Qui destrúxit.

8. *Bened.* Divínum auxílium.

Lectio VIII.

Consummátum esse ait impietátis Judáicae modum, et impoténtem saeviéndi ánimum. Quid enim Judaei intentátum reliquérunt, aut quid non extrémae crudelitátis adhibuérunt? Quod supplícii, aut contuméliae genus praetermisérunt? Quamóbrem jure, consummátum est, ait: sed hora jam eum

ad praedicándum spirítibus, qui apud ínferos erant, invitánte, (advénit enim, ut mortuórum ac vivórum dominarétur), ipsam pro nobis mortem suscépit, commúnem hanc natúrae passiónem sustínuit in carne sua. Cum áutem Jesus caput inclinásse comperíssent, et jam cum expirásse putárent, frustra ejus crura confríngi exístimant: sed cum adhuc mórtuum esse nonníhil diffiderent, láncea latus ejus perfódiunt, unde cruor aqua mixtus scatúriit, quod Eulógiae mysticae et sancti baptísmatis imágo quaedam erat atque primítiae. Christi enim est vere, et a Christo sanctum baptísma et mysticae Eulógiae vis ex sancta nobis carne pródiit.

℟. Dignus es Dómine accipere librum, et aperíre signácula ejus, quóniam occísus es, et redemísti nos Deo: * In sánguine tuo.

℣. Fecísti enim nos Deo nostro regnum et Sacerdótes. in sánguine. Glória Patri. In sánguine.

IX. Lectio dicitur de hom. feriae currentis. Te Deum.

AD LAUDES

ET PER HORAS.

Antiph.

Vere languóres nostros ipse tulit, et dolóres nostros ipse portávit.

Psalm. Dóminus regnávit, *cum rel. de Dom.*

Ant. Ipse áutem vulnerátus est propter iniquitátes nostras, attrítus est propter scélera nostra.

Ant. Alligávit Dóminus plagam pópuli sui, et percussúram ejus sanávit.

Ant. Omnis, qui transíbit, stupébit super omnes plagas ejus.

Ant. O vos omnes, qui transítis per viam, atténdite, et vidéte si est dolor sicut dolor meus.

Cap. *Isaiae* 53.

Christus vulnerátus est propter iniquitátes nostras, attrítus est propter scélera nostra, cujus livóre sanáti sumus.

Hymnus.

Lustra sex qui jam perégit,
Tempus implens córporis,
Sponte líbera Redémptor
Passióni déditus,
Agnus in Crucis levátur
Immolándus stípite
Felle potus ecce languet:
Spina, clavi, láncea
Mite corpus perforárunt;
Unda manat et cruor:
Terra, pontus, astra, mundus,
Quo lavántur flúmine!

Crux fidélis, inter omnes
Arbor una nóbilis:
Silva talem nulla profert
Fronde, flore, gérmine:
Dulce ferrum dulce lignum,
Dulce pondus sústinent
Flecte ramos arbor alta,
Tensa laxa víscera,
Et rigor lentéscat ille,
Quem dedit natívitas;
Et supérni membra Regis
Tende miti stípite.
Sola digna tu fuísti
Ferre mundi Víctimam:
Atque portum praeparáre
Arca mundo náufrago,
Quam sacer cruor perúnxit.
Fusus Agni córpore.
Sempitérna sit beàtae
Trinitáti glória,
Aequa pátri Filióque:
Par decus Paráclito:
Unius Triníque nomen
Láudet univérsitas. Amen,

℣. Vidébunt, in quem transfixérunt.

℟. Et dolébunt super eum, ut in morte primogéniti.

AD BENEDICTUS

Ant. Unus mílitum láncea latus ejus apéruit, et contínuo exívit sanguis et aqua.

ORATIO

Deus, qui Unigéniti Fílii tui passióne, et per quinque Vúlnera ejus sánguinis effusióne, humánam natúram peccáto pérditam reparásti: tríbue nobis, quaesumus, ut qui ab eo suscépta Vúlnera venerámur in terris, ejúsdem pretiosíssimi Sánguinis fructum cónsequi mereámur in coelis. Per éumdem Dóminum.

Et fit commemoratio Feriae occurrentis.

AD TERTIAM

Ant, Ipse áutem

Capitulum. Christus vulnerátus est, *ut supra.*

℟. *br.* Fodérunt manus meas * Et pedes meos. Fodérunt.

℣. Dinumeravérunt ómnia ossa mea. Et pedes. Glória Patri. Fodérunt.

℣. O vos omnes. qui transítis per viam.

℟. Atténdite, et vidéte dolórem meum.

AD SEXTAM

Ant. Alligávit Dóminus.

Capitul.

Isaie 50. *c.*

Fáciem meam non avérti ab increpántibus et conspuéntibus in me: Dóminus Deus auxiliátor meus, et ídeo non sum confúsus.

℟, *br.* Vere languóres nostros * ipse tulit. Vere. Et dolóres nostres ipse portávit. Ipse tulit. Glória Patri. Vere languóres.

℣. Disciplína pacis nostrae super eum,

℟. Et livóre ejus sanáti sumus.

AD NONAM

Ant. O vos omnes.

Capitulum. *Isiae* 53. d.

Trádidit Christus in mortem ánimam suam, et cum scelerátis reputátus est: et ipse peccáta multórum tulit, et pro transgressóribus rogávit.

℟. *br.* Ipse vulnerátus est * Propter iniquitátes nostras. Ipse.

℣. Attrítus est propter scélera nostra. Propter iniquitátes. Glória. Ipse.

℣. Oblátus est, quia ipse vóluit.

℟. Et non apéruit os suum.

In II. Vesperis.

Ant. Vere languóres. *cum reliq. de Laudibus. Psalm. Capitulum, Hymnus et* ℣. *ut in primis Vesperis.*

Ad Magnificat.

Ant. Ego sum vestra Redémptio: manus meae, quae vos fecérunt, clavis confixae sunt: propter vos flagéllis caesus sum, spinis coronátus sum, aquam pétii pendens, et acétum porrexérunt: in escam meam fel dedérunt, et in latus lánceam: mórtuus et sepúltus resurréxi: vóbiscum sum, et vivo in aetérnum,

Oratio ut in primis Vesp. deinde fit. com. fer.

FER. VI. POST. DOMINICAM IV. QUADRAGESIMAE

Officium Pretiosissimi Sanguinis Domini Nostri Jesu Christi. Duplex majus.

Ad Vesp. Ant. Quis est iste, qui venit de Edom, tinctis véstibus de Bosra? Iste formósus in stola sua.

Ps. Dixit Dóminus *cum reliquis de Dominica, sed loco ultimi dicitur* Laudáte Dóminum omnes Gentes.

Ant. Ego, qui loquor justítiam: et propugnátor sum ad salvándum.

Ant. Vestítus erat veste aspérsa Sánguine: et vocátur nomen ejus Verbum Dei.

Ant. Quare ergo rubrum est induméntum tuum, et vestiménta tua sicut calcántium in torculári?

Ant. Tórcular calcávi solus: et de Géntibus non est mecum.

Capitulum. *Haebr.* 9. c.

Fratres, Christus assístens Póntifex futurórum bonórum per ámplius et perféctius tabernáculum non manufáctum id est, non hujus creatiónis: neque per sánguinem hircó-

rum aut vitulórum, sed per próprium Sánguinem introívit semel in sancta, aetérna redemptióne invénta.

Hymnus.

Festívis resonent cómpita vócibus;
Cives laetítiam fróntibus éxplicent;
Taedis flammíferis órdine pródeant
Instrúcti púeri et senes.
Quem dura móriens Christus in árbore
Fudit multíplici vúlnere Sánguinem,
Nos, facti mémores dum cólimus, decet
Saltem fúndere lácrymas.
Humáno géneri pernícies gravis
Adámi véteris críminecontigit;
Adámi intégritas et píetas novi
Vitam réddidit ómnibus.
Clamórem válidum summus ab aethere
Languéntis Géniti si Pater áudiit:
Placári pótius Sánguine débuit,
Et nobis véniam dare.
Hoc quicúmque stolam Sánguine próluit,
Abstérgit máculas, et róseum decus,
Quo fiat símilis prótinus Angelis,
Et Regi pláceat, capit.
A recto instábilis trámite póstmodum
Se nullus rétrahat; meta sed última
Tangátur; tríbuet nóbile proemium,
Qui cursum Deus ádjuvat.
Nobis propítius sis Génitor potens,
Ut quos Unígenae Sánguine Fílii
Emísti, et plácido Flámine récreas,
Coeli ad culmina tránsferas.
Amen.

℣. Redemísti nos Dómine in Sánguine tuo.
℟. Et fecísti nos Deo nostro regnum.

AD MAGNIFICAT.

Ant. Accessístis ad Sion montem, et civitátem Dei vivéntis Jerúsalem coeléstem, et Testaménti novi mediatórem Jesum, et Sánguinis aspersiónem mélius loquéntem, quam Abel.

ORATIO.

Omnípotens sempitérne Deus, qui unigénitum Fílium tuum mundi Redemptórem constituísti, ac ejus Sánguine placári voluísti; concéde,

quaesumus, salútis nostrae praetium solèmni cultu ita venerári, atque a praeséntis vitae malis ejus virtúte defféndi in terris, ut fructu perpétuo laetémur in coelis: Qui tecum.

Et fit commemorat. Feriae.

AD MATUTINUM

Invitat. Christum Dei Fílium, qui suo nos redémit Sánguine, * Venite adorémus.

Psalm. 94. Veníte exultémus.

Hymnus.

Ira juxta Conditóris,
Imbre aquárum víndice,
Criminósum mersit orbem,
Noe in Arca sóspite:
Mira tandem vis amóris *
Lavit orbem sánguine.
Tam salúbri terra felix
Irrigáta plúvia,
Ante spinis quae scatébat,
Germinávit flósculos:
Inque néctaris sapórem
Transiére absínthia.
Triste prótinus venénum
Dirus anguis pósuit,
Et cruénta belluárum
Désiit ferócia:
Mitis Agni vulneráti
Haec fuit victória.
O sciéntiae supérnae
Altitúdo impérvia!
O suávitas benigni
Praedicánda péctoris!
Servus erat morte dignus,
Rex luit poenam óptimus.
Quando culpis provocámus
Ultiònem Júdicis,
Tunc loquéntis protegámur
Sánguinis praeséntia;
Ingruéntium malórum
Tunc recédant ágmina.
Te redémptus láudet orbis
Grata servans múnera,
O salútis sempitérnae
Dux, et áuctor ínclite,
Qui tenes beáta regna
Cum Parénte et Spíritu.
Amen.

IN I. NOCTURNO

Ant. Postquam consummáti sunt dies octo, ut circumciderétur Puer, vocátum est nomen ejus Jesus.

Psalmus 2.

Quare fremuérunt gentes, * et pópuli meditáti sunt inánia?

Astitérunt reges terrae, et príncipes convenérunt in unum * advérsus Dóminum, et advérsus Christum ejus.

Dirumpámus víncula eórum * et projiciámus a nobis jugum ipsórum.

Qui hábitat in coelis, irridébit eos, * et Dóminus subsannábit eos.

Tunc loquétur ad eos in ira sua, * et in furóre suo conturbábit eos.

Ego áutem constitútus sum

Rex ab eo super Sion montem sanctum ejus: * praedicans praecéptum ejus.

Dóminus dixit ad me: * Fílius meus es tu, ego hódie génui te.

Póstula a me, et dabo tibi Gentes haereditátem tuam, * et possessiónem tuam términos terrae.

Reges eos in virga férrea, * et tamquam vas figuli confrínges eos.

Et nunc reges intellígite: * erudímini, qui judicátis terram.

Servíte Dómino in timóre: * et exultáte ei cum tremóre.

Apprehéndite disciplínam, nequándo irascátur Dòminus, * et pereátis de via justa.

Cum exárserit in brevi ira ejus, * beáti omnes, qui confídunt in eo.

Ant. Postquam consummáti sunt dies octo, ut circumciderétur Puer, vocátum est nomen ejus Jesus.

Ant. Factus in agonía prolíxius orábat; et factus est sudor ejus; sicut guttae Sánguinis decurréntis in terram.

Psalmus 3.

Dómine, quid multiplicáti sunt qui tríbulant me? * multi insúrgunt advérsum me.

Multi dicunt ánimae meae, * non est salus ipsi in Deo ejus.

Tu áutem Dómine suscéptor meus es, * glória mea, et exáltans caput meum.

Voce mea ad Dóminum clamávi, * et exaudívit me de monte sancto suo.

Ego dormívi, et soporátus sum, * et exurréxi, quia Dóminus suscépit me.

Non timébo míllia pópuli circumdántis me, * exúrge Dómine, salvum me fac Deus meus.

Quóniam tu percussísti omnes adversántes mihi sine cáusa, * dentes peccatórum contrivísti.

Dómini est salus, * et super pópulum tuum benedíctio tua.

Ant. Factus in agonía prolíxius orábat, et factus est sudor ejus sicut guttae Sánguinis decurréntis in terram.

Ant. Judas, qui eum trádidit poeniténtia ductus, rétulit trigínta argénteos, dicens: Peccávi, tradens Sángu nem justum.

Psalmus 15.

Consèrva me Dómine, quóniam sperávi in te, * Dixi Dómino: Deus meus es tu, quóniam bonórum meórum non eges.

Sanctis, qui sunt in terra ejus, * mirificávit omnes voluntátes meas in eis.

Multiplicátae sunt infirmitátes eórum, * póstea acceleravérunt.

Non congregábo conventícula eórum de sanguinibus, * nec memor ero nóminum eórum per lábia mea.

Dóminus pars haereditátis meae, et cálicis mei: * tu es qui restítues haereditátem meam mihi.

Funes cecidérunt mihi in praecláris, * étenim haeréditas mea praeclára est mihi.

Benedícam Dóminum, qui tríbuit mihi intelléctum, * ínsuper et usque ad noctem increpuérunt me renes mei.

Providébam Dóminum in conspéctu meo semper, * quóniam a dextris est mihi, ne commóvear.

Propter hoc laetátum est cor meum, et exultávit lingua mea, * ínsuper et caro mea requiéscet in spe.

Quóniam non derelínques ánimam meam in inférno: * nec dabis sanctum tuum vidére corruptiónem.

Notas mihi fecísti vias vitae, adimplébis me laetítia cum vultu tuo, * delectatiónes in déxtera tua usque in finem.

Ant. Judas, qui eum trádidit poeniténtia ductus, rétulit trigínta argénteos, dicens: Peccávi, tradens Sánguinem justum.

℣. Redemísti nos Dómine.
℟. In Sánguine tuo.

Lectio I.

De Epistola beáti Páuli Apóstoli ad Hebraeos.

Cap. 9.

Christus assístens póntifex futurórum bonórum, per ámplius et perféctius tabernáculum non manufáctum, idest, non hujus creatiónis, neque per sánguinem hircórum aut vitulórum, sed per próprium Sánguinem, introívit semel in sancta, aetérna redemptióne invénta. Si enim sanguis hircórum et taurórum, et cinis vítulae aspérsus, inquinátos sanctíficat ad emundatiónem carnis; quanto magis Sanguis Christi, qui per Spíritum Sanctum semetipsum óbtulit immaculátum Deo, emundábit consciéntiam nostram ab opéribus mórtuis ad serviéndum Deo vivénti? Et ideo novi testaménti mediátor est ut morte intercedénte in redemptiónem eárum praevaricatiónum, quae erant sub prióri testaménto repromissiónem accípiant qui vocáti sunt aetérnae haereditátis.

℟. Jesus, ut sanctificáret per suum Sánguinem pópulum, extra portam passus est: * Exeámus ígitur ad eum extra castra, impropérium ejus portántes.

℣. Nondum enim usque ad sánguinem restitístis, advérsus peccátum repugnántes. Exeámus.

Lectio II.

Ubi enim testaméntum est, mors necésse est intercédat testatóris. Testaméntum enim in mórtuis confirmátum est. alióquin nondum valet, dum vivit, qui testàtus est. Unde nec primum quidem sine sánguine dedicátum est. Lecto enim omni mandáto Legis a Móyse univérso pópulo, accípiens sánguinem vitulórum et hircórum cum aqua et lana coccínea et hyssópo, ipsum quoque librum, et omnem pópulum aspérsit, dicens: Hic sanguis testaménti, quod mandávit ad vos Deus. Etiam tabernáculum et ómnia vasa ministérii sángúine simíliter aspérsit. Et ómnia pene in sánguine secúndum legem mundántur; et sine sánguinis effusióne non fit remíssio.

℟. Móyses sumptum sánguinem respérsit in pópulum, * Et ait: Hic est sanguis foederis, quod pépigit Dóminus vobíscum.

℣. Fide celebrávit Pascha, et sánguinis effusióne, ne qui vastábat primitíva, tángeret eos. Et ait.

Lectio III.

Cap. 10.

Habéntes ítaque, fratres, fidúciam in intróitu Sanctórum in Sánguine Christi, quam initiávit nobis viam novam et vivéntem per velámen, id est, carnem suam, et Sacerdótem magnum super domum Dei, accedámus cum vero corde in plenitúdine fidei, aspérsi corda a consciéntia mala, et ablúti corpus aqua munda, teneámus spei nostrae confessiónem indeclinábilem (fidélis enim est qui repromísit) et considerémus ínvicem in provocatiónem charitátis et bonórum óperum.

℟. Vos, qui aliquándo erátis longe, facti estis prope in Sánguine Christi: * Ipse enim est pax nostra, qui fecit útraque unum.

℣. Complácuit per eum reconciliáre òmnia in ipsum, pacíficans per Sánguinem Crucis ejus, sive quae in terris, sive quae in coelis sunt. Ipse enim. Glória Patri. Ipse enim.

IN II. NOCTURNO.

Ant. Pilátus volens pópulo satisfácere, trádidit illis Jesum flagéllis caesum.

Psalm. 22.

Dóminus regit me, et nihil mihi déerit, * in loco páscuae ibi me collocávit.

Super aquam refectiónis educávit me, * ánimam meam convértit.

Dedúxit me super sémitas justítiae, * propter nomen suum.

Nam, et si ambulávero in médio umbrae mortis, non timébo mala: * quóniam tu mecum es.

Virga tua, et báculus tuus, * ipsa me consoláta sunt.

Parásti in conspéctu meo mensam, * advérsus eos qui tríbulant me.

Impinguásti in óleo caput meum, * et calix meus inébrians quam praeclárus est.

Et misericórdia tua subsequétur me, * ómnibus diébus vitae meae.

Et ut inhábitem in domo Dómini, * in longitúdinem diérum.

Ant. Pilátus volens pópulo satisfácere, trádidit illis Jesum flagéllis caesum.

Ant. Videns áutem, quia nihil proficeret, accépta aqua, lavit manus coram pópulo, dicens: Innocens ego sum a Sánguine Justi hujus.

Psalmus 29.

Exaltábo te Dómine, quóniam suscepísti me: * nec delectásti inimícos meos super me.

Dómine Deus meus clamávi ad te, * et sanásti me.

Dómine eduxísti ab inférno ánimam meam, * salvásti me a descendéntibus in lacum.

Psállite Dómino sancti ejus, * et confitémini memóriae sanctitátis ejus.

Quóniam ira in indignatióne ejus, * et vita in voluntáte ejus.

Ad vésperum demorábitur fletus, * et ad matutínum laetítia.

Ego áutem dixi in abundántia mea, * Non movébor in aetérnum.

Dómine in voluntáte tua, * praestitísti decóri meo virtútem.

Avertísti fáciem tuam a me, * et factus sum conturbátus.

Ad te Dómine clamábo, * et ad Deum meum deprecábor.

Quae utílitas in sánguine meo, * dum descéndo in corruptiónem?

Numquid confitébitur tibi pulvis, * aut annuntiábit veritátem tuam?

Audívit Dóminus, et misértus est mei: * Dóminus factus est adjútor meus.

Convertísti planctum meum in gáudium mihi: * conscidísti saccum meum, et circumdedísti me laetítia.

Ut cantet tibi glória mea, et non compúngar: * Dómine Deus meus in aetérnum confitébor tibi.

Ant. Videns áutem, quia nihil proficeret, accépta aqua, lavit manus coram pópulo, dicens: Innocens ego sum a Sánguine Justi hujus.

Ant. Et respóndens univérsus pópulus, dixit: Sanguis ejus super nos, et super fílios nostros.

Psalmus 63.

Exáudi Deus oratiónem meam cum déprecor: * a timóre inimíci éripe ánimam meam.

Protexísti me a convéntu malignántium, * a multitúdine operántium iniquitátem.

Quia exacuérunt ut gládium linguas suas: * intendérunt arcum rem amáram, ut sagíttent in occúltis immaculátum.

Súbito sagittábunt eum, et non timébunt: * firmavérunt sibi sermónem nequam.

Narravérunt ut abscónderent láqueos: * dixérunt: Quis vidébit eos?

Scrutáti sunt iniquitátes: * defecérunt scrutántes scrutínio.

Accédet homo ad cor altum: * et exaltábitur Deus.

Sagíttae parvulórum factae sunt plagae eórum: * et infirmátae sunt contra eos linguae eórum.

Conturbáti sunt omnes qui vidébant eos: * et tímuit omnis homo.

Et annuntiavérunt ópera Dei: * et facta ejus intellexérunt.

Laetábitur justus in Dómino, et sperábit in eo, * et laudabúntur omnes recti corde.

Ant. Et respóndens univérsus pópulus, dixit: Sanguis ejus super nos, et super fílios nostros.

℣. Sanguis Jesu Christi Fílii Dei.

℟. Emúndat nos ab omni peccáto.

Lectio IV.

Sermo sancti Joánnis Chrysóstomi.

Vultis Sánguinis Christi audíre virtútem? redeámus ad ejus exémplum, et priórem typum recordémur, et prístinam scriptúram narrémus. In Aegypto, nocte média, Aegyptiis Deus plagam décimam minabátur, ut eó-

rum primogénita deperírent, quia primogénitum ejus pópulum detinébant. Sed ne amáta plebs Judaeórum una cum illis periclitarétur, quia unus locus continébat univérsos, remédium discretiónis invéntum est. Proìnde exémplum mirábile, ut discas in veritáte virtútem: Ita divínae indignatiónis sperabátur, et domos síngulas mórtifer circuíbat. Quid ígitur Móyses? Occídite, inquit, agnum anníulum, et sánguine ejus liníte jánuas. Quid ais Móyses? Sanguis ovis rationálem hóminem liberáre consuévit? Valde, inquit, non eo quod sanguis est, sed quia Domínici Sánguinis per eum demonstrátur exémplum.

℟. In timóre incolátus vestri conversámini: * Sciéntes quod non corruptibílibus áuro vel argénto redémpti estis.

℣. Sed pretióso Sánguine quasi agni immáculati Christi. Sciéntes.

Lectio V.

Nam sicut regnántium státuae, quae sine cáusa sunt et sermóne, nonnúmquam ad se confugiéntibus homínibus, ánima et ratióne decorátis, subveníre consuevérunt, non quia sunt aere conféctae, sed quia rétinent imáginem principálem: ita et sanguis ille, qui irrationális fuit, ánimas habèntes hómines liberávit; non quia sanguis fuit, sed quia huius Sánguinis ostendébat advéntum. Et tunc Angelus ille vastátor, cum linítos postes atque áditus pervidèret, transjécit gressu, et non est áusus intráre. Nunc ergo si víderit inimícus, non póstibus impósitum sánguinem typi, sed fidélium ore lucéntem Sánguinem veritátis Christi, templi póstibus dedicátum, multo magis se súbtrahet. Si enim Angelus cessit exémplo, quanto magis terrébitur inimìcus, si ipsam perspéxerit veritátem? Vis et áliam hujus Sánguinis scrutári virtutem? Volo. Unde primum cucúrrit inspícias et de quo fonte manávit. De ipsa primum Cruce procéssit, latus illud Domínicum inítium fuit. Mórtuo enim ait, Jesu, et adhuc in Cruce pendénte, appróximat miles, latus láncea percússit, et exínde aqua fluxit et Sanguis. Unum Baptísmatis symbolum, áliud Sacraménti. Ideo non ait: éxiit Sanguis et aqua; sed exit aqua primum et Sanguis; quia primum Baptísmate dilúimur, et póstea Mystério dedicámur.

℟. Empti estis prétio magno: * Glorificáte et portáte Deum in córpore vestro.

℣. Prétio empti estis: nolí-

te fieri servi hóminum. Glorificáte.

Lectio VI.

Latus miles apéruit, et templi sancti paríetem patefécit. Et ego thesáurum praeclárum invéni, et fulgéntes divìtias me grátulor reperíre. Sic et de illo agno factum est. Judaei oves occidérunt, et ego fructum de Sacraménto cognóvi. De látere Sanguis et aqua. Nolo tam fácile, audítor, tránseas tanti secréta mystérii. Restat enim mihi mystica atque secretális orátio. Dixi, Baptísmatis symbolum et Mysteriórum aquam illam et Sánguinem demostráre. Ex his enim sancta fundáta est Ecclésia per lavácri regeneratiónem, et renovatiónem Spíritus sancti. Per Baptísma, inquam, et Mystéria, quae ex làtere vidéntur esse prolàta. Ex látere igitur suo Christus aedificávit Ecclésiam, sicut de látere Adam ejus conjux Heva prolàta est. Nam hac de cáusa Páulus quoque testátur, dicens; Dè córpore ejus, et de óssibus ejus sumus, latus vidélicet illud signíficans. Nam sicut de illo látere Deus fecit féminam procreári sic et de suo látere Christus aquam nobis et Sánguinem dedit, unde repararétur Ecclésia.

℟. Comméndat charitàtem suam Deus in nobis: * Quóniam cum adhuc peccatóres essémus secúndum tempus, Christus pro nobis mórtuus est.

℣. Multo ígitur magis nunc justificáti in sánguine ipsíus, salvi érimus ab ira per ipsum. Glória Patri. Quóniam.

IN III. NOCTURNO

Ant. Exívit ergo Jesus, portans corónam spíneam, et purpúreum vestiméntum, et dicit eis: Ecce Homo.

Psalmus 73.

Ut quid Deus repulísti in finem: * irátus est furor tuus super oves páscuae tuae?

Memor esto congregatiónis tuae, * quam possedísti ab inítio.

Redemísti virgam haereditátis tuae; * mons Sion in quo habitásti in eo.

Leva manus tuas in supérbias eórum in finem: * quanta malignátus est inimìcus in sancto?

Et gloriáti sunt, qui odérunt te, * in médio solemnitátis tuae.

Posuérunt signa sua signa: * et non cognovérunt sicut in éxitu super summum.

Quasi in silva lignórum se-

cúribus excidérunt jánuas ejus in idìpsum; * in secúri, et áscia dejecérunt eam.

Incendérunt igni sanctuárium tuum: * in terra polluérunt tabernáculum nóminis tui.

Dixérunt in corde suo cognátio eórum simul: * quiéscere faciámus omnes dies festos Dei a terra.

Signa nostra non vídimus, jam non est prophéta: * et nos non cognóscet ámplius.

Usquequo Deus, improperábit inimícus, * irrítat adversárius nomen tuum in finem?

Ut quid avértis manum tuam, et déxteram tuam: * de médio sinu tuo in finem?

Deus áutem Rex noster ante saecula: * operátus est salútem in médio terrae.

Tu confirmásti in virtúte tua mare: * contribulásti cápita dracónum in aquis.

Tu confregísti cápita dracónis: * dedísti eum escam pópulis Aethíopum.

Tu dirupísti fontes, et torréntes: * tu siccásti flúvios Ethan.

Tuus est dies, et tua est nox: * tu fabricátus es auróram, et solem.

Tu fecísti omnes términos terrae: aestátem et ver tu plasmásti ea.

Memor esto hujus, inimícus improperávit Dómino, * et pópulos insípiens incitávit nomen tuum.

Ne tradas béstiis ànimas confiténtes tibi: * et ánimas páuperum tuórum ne oblivíscáris in finem.

Réspice in testaméntum tuum: * quia repléti sunt, qui obscuráti sunt terrae dómibus iniquitátum.

Ne avertátur húmilis factus confúsus: * páuper et inops laudábunt nomen tuum.

Exúrge Deus, júdica cáusam tuam: * memor esto improperiórum tuórum, eórum, quae ab insipiénte sunt tota die.

Ne obliviscáris voces inimicórum tuórum: * supérbia eórum, qui te odérunt, ascéndit semper.

Ant. Exívit ergo Jesus, portans corónam spíneam, et purpúreum vestiméntum, et dicit eis: Ecce Homo.

Ant. Et bájulans sibi crucem, exívit in eum, qui dícitur Calváriae locum, ubi crucifixérunt eum.

Psalmus 87.

Dómine Deus salútis meae, * in die clamávi, et nocte coram te.

Intret in conspéctu tuo orátio mea: * inclína áurem tuam ad precem meam.

Quia repléta est malis áni-

ma mea; * et vita mea inférno appropinquávit.

Aestimátus sum cum descendéntibus in lacum: * factus sum sicut homo sine adjutório, inter mórtuos liber.

Sicut vulneráti dormiéntes in sepúlchris, quorum non es memor ámplius: * et ipsi de manu tua repúlsi sunt.

Posuérunt me in lacu inferióri, * in tenebrósis, et in umbra mortis.

Super me confirmátus est furor tuus: * et omnes fluctus tuos induxísti super me.

Longe fecísti notos meos a me: * posuérunt me abominatiónem sibi.

Tráditus sum, et non egrediébar: óculi mei languérunt prae inópia.

Clamávi ad te Dómine tota die: * expándi ad te manus meas.

Numquid mòrtuis fácies mirabília: * aut médici suscitábunt, et confitebúntur tibi?

Numquid narrábit áliquis in sepúlchro misericórdiam tuam, * et veritátem tuam in perditióne?

Numquid cognoscéntur in ténebris mirabília tua, * et justítia tua in terra obliviónis?

Et ego ad te Dómine clamávi: * et mane orátio mea praevéniet te.

Ut quid Dómine repéllis orationem meam: * avértis fáciem tuam a me?

Páuper sum ego, et in labóribus a juventúte mea: * exaltátus áutem, humiliátus sum et conturbátus.

In me transiérunt irae tuae: * et terróres tui conturbavérunt me.

Circumdedérunt me sicut aqua tota die: * circumdedérunt me simul.

Elongásti a me amícum et próximum, * et notos meos a miséria.

Ant. Et bájulans sibi Crucem, exívit in eum, qui dicitur Calváriae locum: ubi crucifixérunt eum.

Ant. Ut vidérunt eum jam mórtuum, non fregérunt ejus crura, sed unus mílitum lancea latus ejus apéruit, et contínuo exívit Sanguis et aqua.

Psalmus 93.

Deus ultiónum Dóminus: * Deus ultiónum líbere egit.

Exaltáre qui júdicas terram: * redde retributiónem supérbis.

Usquequo peccátores Dómine, * usquequo peccatóres gloriabúntur?

Effabúntur, et loquéntur omnes qui operántur injustítiam.

Pópulum tuum Dómine humiliavérunt: * et haereditátem tuam vexavérunt.

Víduam et ádvenam interfecérunt: * et pupíllos occidérunt.

Et dixérunt: Non vidébit Dóminus, * nec intélliget Deus Jacob.

Intellígite insipiéntes in pópulo: * et stulti aliquándo sápite.

Qui plantávit áurem non áudiet? * aut qui finxit óculum, non consíderat?

Qui córripit Gentes non árguet: * qui docet hóminem sciéntiam?

Dóminus scit cogitatiónes hóminum: * quóniam vanae sunt.

Beátus homo, quem tu erudíeris Dómine, * et de lege tua docúeris eum:

Ut mítiges ei a diébus malis: * donec fodiátur peccatóri fóvea.

Quia non repéllet Dóminus plebem suam: * et haereditátem suam non derelínquet.

Quoadúsque justítia convertátur in judícium: * et qui juxta illum omnes qui recto sunt corde.

Quis consúrget mihi advérsus malignántes? * aut quis stabit mecum advérsus operántes iniquitátem?

Nisi quia Dóminus adjúvit me: * páulo minus habitásset in inférno ánima mea.

Si dicébam: Motus est pes meus: * misericórdia tua Dómine adjuvábat me.

Secúndum multitúdinem dolórum meórum in corde meo: * consolatiónes tuae laetificavérunt ánimam meam.

Numquid adhaeret tibi sedes iniquitátis: * qui fingis labórem in praecépto?

Captábunt in ánimam justi: * et sánguinem innocéntem condemnábunt.

Et factus est mihi Dóminus in refúgium: et Deus meus in adjutórium spei meae.

Et reddet illis iniquitátem ipsórum, et in malítia eórum dispérdet eos: * dispérdet illos Dóminus Deus noster.

Ant. Ut vidérunt eum jam mórtuum, non fregérunt ejus crura, sed unus mílitum láncea latus ejus apéruit, et contínuo exívit Sanguis et aqua.

℣. Christus diléxit nos.

℟. Et lavit nos a peccátis nostris in Sánguine suo.

Lectio VII.

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem.

In illo témpore cum accepísset Jesus acétum, dixit: Consummátum est: et inclináto cápite trádidit spíritum. Et réliqua.

Homilía sancti Augustíni Epíscopi.

Tract. 120. *in Joan.*

Vigilánti verbo Evangelísta usus est: ut non díceret, Latus ejus percússit, aut vulnerávit, aut quid áliud, sed apéruit: ut illic quodàmmodo vitae óstium panderétur unde sacraménta Ecclésiae manavérunt, sine quibus ad vitam, quae vera vita est, non intrátur. Ille Sanguis in remissiónem fusus est peccatórum. Aqua illa salutáre témperat póculum: haec et lavácrum praestat, et potum. Hoc praenuntiábat, quod Noe in látere arcae óstium fácere jussus est, qua intrárent animália, quae non erant dilúvio peritúra, quibus praefigurabátur Ecclésia. Propter hoc prima múlier facta de est de látere viri dormiéntis, et appelláta est vita, matérque vivórum. Magnum quippe significávit bonum, ante magnum praevaricatiónis malum. Hic secúndus Adam inclináto cápite in cruce dormívit, ut inde formarétur ei coniux, quae de látere dormiéntis efflúxit. O mors, unde mórtui revivíscunt! Quid isto Sánguine múndius? Quid vúlnere isto salúbrius?

℟. Hic est, qui venit per aquam, et Sánguinem Jesus Christus: * Non in aqua solum, sed in aqua, et Sánguine.
℣. In die illa erit fons patens dómui David, et habitántibus Jerúsalem, in ablutiónem peccatóris. Non in aqua.

Lectio VIII.

Ex eod. contra Donat.

Tenebántur hómines captívi sub diábolo, et daemónibus serviébant. Sed redémpti sunt a captivitáte. Véndere enim se potuérunt, sed redímere non potuérunt. Venit Redémptor, et dedit prétium. Fudit Sánguinem suum, et emit orbem terrárum. Quaeritis, quid émerit? Vidéte quid déderit, et inveniétis quid émerit. Sanguis Christi prétium est. Tanti quid valet? quid, nisi totus orbis? quid, nisi omnes gentes? Valde ingráti sunt prétio suo, aut multum supérbi sunt, qui dicunt, aut illud tam parum est, ut solos Afros èmerit, aut se tam magnos esse, pro quibus solis illud sit datum. Non ergo exúltent, non supérbiant. Pro toto dedit, quantum dedit.

℟. Praedestinávit nos Deus in adoptiónem filiórum per Jesum Christum: * In quo habémus redemptiónem per Sánguinem ejus.
℣. Remissiónem peccatórum secúndum divítias grátiae ejus, quae superabundá-

vit in nobis. In quo. Glória Patri. In quo.

IX. Lectio legitur de Hom. Feriae currentis, deinde Te Deum.

Hoc fest. Praetiosiss. Sanguinis celebratur etiam Dom. prima Julii ut infra; et recitatur hoc idem Offic. et legit. 9. l. de Hom. Dom. occurr. sed eo anno, quo contingit transferri extr. Dom. juxta Decr. S. R. C. anni 1849., *legit. sequens.*

Lectio IX.

Hábuit ille sánguinem, unde nos redímeret, et ad hoc accépit sánguinem ut esset, quem pro nobis rediméndis effúnderet. Sanguis Dómini tui si vis, datus est pro te: si nolúeris esse non est datus pro te. Forte enim dicis: Hábuit Sánguinem Deus meus, quo me redímeret; sed jam cum passus est, totum dedit: Quid illi remánsit, ut det et pro me? Hoc est magnum, qui semel dedit, et pro ómnibus dedit. Sanguis Christi voléntí est salus, noléntí supplícium. Quid ergo dúbitas, qui mori non vis, a secúnda pótius morte liberári? Qua liberàris, si vis tòllere crucem tuam, et sequi Dóminum: Quia ille tulit suam, et quaesívit servum. Te Deum.

AD LAUDES

ET PER HORAS.

Ant. Hi, qui amícti sunt stolis albis, qui sunt, et unde venérunt?

Psalm. 92. Dóminus regnávit, *cum reliquis de Dominica*

Ant. Hi sunt, qui venérunt de tribulatióne magna, et lavérunt stolas suas in Sánguine Agni.

Ant. Ideo sunt ante thronum Dei, et sérviunt ei die ac nocte.

Ant. Et ipsi vicérunt dracónem propter Sánguinem Agni, et propter testaméntum Verbi sui.

Ant. Beáti, qui lavant stolas suas in Sánguine Agni.

Capitulum.

Haebr. 9.

Fratres, Christus assìstens Póntifex futurórum bonórum per ámplius et perféctius tabernáculum non manufáctum, id est, non huius creatiónis, neque per sánguinem hircórum aut vitulórum, sed per próprium Sánguinem introívit semel in sancta, aetérna redemptiòne invénta.

Hymnus.

Salvéte Christi vúlnera,
Imménsi amóris pígnora,

Quibus perénnes rívuli
Manant rubéntis Sánguinis.
Nitóre stellas vìncitis
Rosas odóre et bálsama,
Prétio lapíllos índicos,
Mellis favos dulcédine.
Per vos patet gratíssimum
Nostris asylum méntibus:
Non huc furor minántium
Unquam penétrat hóstium.
Quot Jesus in Praetòrio
Flagélla nudus éxcipit!
Quot scissa pellis úndique
Stillat cruóris gúttulas!
Frontem venústam proh dolor!
Coróna pungit spínea
Clavi retúsa cúspide
Pedes manúsque pérforant
Postquam sed ille trádidit
Amans volénsque spíritum
Pectus ferítur láncea
Geminúsque liquor éxilit.
Ut plena sit redémptio,
Sub torculári stríngitur,
Suíque Jesus ímmemor,
Sibi nil resérvat Sánguinis,
Veníte quotquot críminum
Funésta labes ínficit:
In hoc salútis bálneo,
Qui se lavat, mundábitur.
Summi ad Paréntis déxteram
Sedénti habénda est grátia,
Qui nos redémit Sánguine,
Sanctóque firmat Spíritu.
Amen.

℣. Justificáti in Sánguine Christi.

℟. Salvi érimus ab ira per ipsum.

AD BENEDICTUS

Ant. Erit Sanguis agni vobis in signum, dicit Dóminus: Et vidébo Sánguinem, et transíbo vos, nec erit in vobis plaga dispérdens.

ORATIO

Omnípotens sempitérne Deus, qui unigénitum Fílium tuum mundi Redemptórem constituísti, ac ejus Sánguine placári voluisti: concéde, quaesumus, salútis nostrae prétium solémni cultu ita venerári, atque a praeséntis vitae malis ejus virtúte deféndi in terris, ut fructu perpétuo laetémur in coelis. Qui tecum vivit etc.

Et fit com. Feriae.

Ad Primam in ℟. *br.* ℣. Qui tuo nos Sánguine redemísti.

AD TERTIAM

Ant. Hi sunt qui venérunt.
Capitul. Fratres, Christus assístens, *ut supra.*

℟. *br.* Redemísti nos Dómine * In Sánguine tuo. Redemísti.

℣. Ex omni tribu, et lingua, et pópulo, et natióne. In Sánguine. Glória Patri, Redemísti.

℣. Sanguis Jesu Christi Fílii Dei.

℟. Emúndat nos ab omni peccáto.

AD SEXTAM.

Ant. Ideo sunt.

Capitul. *Haebr.* 9.

Si sanguis hircórum, et taurórum, et cinis vítulae aspérsus, inquinátos sanctíficat ad emundatiónem carnis: Quanto magis Sanguis Christi, qui per Spíritum sanctum semetipsum óbtulit immaculátum Deo, emundábit consciéntiam nostram ab opéribus mórtuis ad serviéndum Deo vivénti?

℟. *br.* Sanguis Jesu Christi Fílii Dei * Emúndat nos. Sanguis.

℣. Ab omni peccáto. Emúndat nos. Glória Patri. Sanguis Jesu.

℣. Christus diléxit nos.

℟. Et lavit nos in Sánguine suo.

AD NONAM.

Ant. Beáti.

Capitul. *Haebr.* 9.

Accípiens Móyses sánguinem, vitulórum, et hircórum cum aqua et lana coccínea, et hyssópo, ipsum quoque librum et omnem pópulum aspérsit, dicens: Hic sanguis Testaménti, quod mandávit ad vos Deus.

℟. *br.* Christus diléxit nos, et lavit nos; * In Sánguine suo. Christus.

℣. Et fecit nos regnum et sacerdótes Deo et Patri. In Sánguine suo. Glória Patri. Christus diléxit.

℣. Justificáti in Sánguine Christi.

℟. Salvi érimus ab ira per ipsum.

In II. Vesperis.

Omn. ut in prim. et loco ultimi Psalm. dic. Láuda Jerúsalem Dóminum,

℣. Te ergo, quaesumus, tuis fámulis súbveni.

℟. Quos pretióso Sánguine redemísti.

AD MAGNIFICAT.

Ant. Habébitis áutem hunc diem in monuméntum: et celebrábitis eum, solémnem Dómino in generatiónibus vestris cultu sempitérno.

Oratio. Omnípotens sempitérne Deus, qui unigènitum *ut supra. Et fit commemorat. Feriae.*

FERIA VI. POST DOMINICAM PASSIONIS.

Officium SEPTEM DOLORUM B. M. V. Duplex *majus.*

Ad Vesperas, Ant. Vadam ad montem, *cum reliquis de Laudibus infra. Psalmus,* Crédidi propter quod, *cum reliquis ut in Vesperis Off. Pass. Dom. pag.* 114.

Cap.

Isaiae 53.

Quis crédidit audítui nostro? et bráchium Dómini cui revelátum est? Et ascéndet sicut virgúltum coram eo, et sicut radix de terra sitiénti.

Hymnus.

Stabat Mater dolorósa
Juxta crucem lacrymósa,
Dum pendébat Filius.
Cujus ànimam geméntem,
Contristátam, et doléntem
Pertransívit gládius.
O quam tristis, et afflícta
Fuit illa benedícta
Mater Unigéniti!
Quae moerébat et dolébat
Pia Mater dum vidébat
Nati poenas ínclyti.
Quis est homo, qui non fleret,
Matrem Christi si vidéret
In tanto supplício?
Quis non posset contristári
Christi Matrem contemplári
Doléntem cum Fílio?
Pro peccátis suae gentis
Vidit Jesum in torméntis,
Et flagéllis súbditum.
Vidit suum dulcem Natum
Moriéndo desolátum,
Dum emísit spíritum.
Eja Mater fons amóris,
Me sentíre vim dolóris,
Fac, ut tecum lúgeam.
Fac, ut árdeat cor meum
In amándo Christum Deum,
Ut sibi compláceam. Amen.

℣. Ora pro nobis Virgo dolorosíssima.

℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

Ad Magnificat Ant. Tuam ipsíus ánimam (ait ad Maríam Símeon) pertransíbit gládius.

ORATIO

Deus, in cujus passióne, secúndum Simeónis prophetíam, dulcíssimam ánimam gloriósae Vírginis et Matris Maríae dolóris gládius pertransívit; concéde propítius; ut qui transfixiónem ejus, et passiónem venerándo recólimus, gloriósis méritis, et précibus ómnium Sanctórum Cruci fidéliter astántium intercedéntibus, passiónis tuae efféctum felícem consequámur. Qui vivis et regnas.

Deinde fit commemoratio Feriae.

Hymni Compl. et Horar. conclud. cum. ℣. Jesu tibi sit glória, qui natus es de Vírgine etc.

Ad Matut. Invit. Dolóres gloriósae recoléntes Vìrginis, Dóminum pro nobis passum: * Veníte adorémus.

Psalm. Veníte exultémus.

Hymnus.

Sancta Mater istud agas,
Crucifixi fige plagas
Cordi meo válide.
Tui Nati vulneráti,
Tam dignáti pro me pati,
Poenas mecum dívide.
Fac me tecum pie flere,
Crucifixo condolére.
Donec ego víxero.
Juxta Crucem tecum stare,
Et me tibi sociáre,
In planctu desídero. Amen.

IN I. NOCTURNO

Ant. Astitérunt reges terrae, et príncipes convenérunt in unum advérsus Dóminum et advérsus Christum ejus.

Psalmus 2.

Quare fremuérunt gentes, * et pópuli meditáti sunt inánia?

Astitérunt reges terrae, et príncipes convenérunt in unum * advérsus Dóminum, et advérsus Christum ejus.

Dirumpámus víncula eórum * et projiciámus a nobis jugum ipsórum.

Qui hábitat in coelis, irridébit eos, * et Dóminus subsannábit eos.

Tunc loquétur ad eos in ira sua, * et in furóre suo conturbábit eos.

Ego áutem constitútus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum ejus: * praedicans praecéptum ejus.

Dóminus dixit ad me: * Fílius meus es tu, ego hódie génui te.

Póstula a me, et dabo tibi Gentes haereditátem tuam, * et possessiónem tuam términos terrae.

Reges eos in virga férrea, * et tamquam vas fíguli confrínges eos.

Et nunc reges intellígite: * erudímini, qui judicátis terram.

Servíte Dómino in timóre: * et exultáte ei cum tremóre.

Apprehéndite disciplínam, nequándo irascátur Dóminus, * et pereátis de via justa.

Cum exárserit in brevi ira ejus, * beáti omnes, qui confídunt in eo.

Ant. Astitérunt reges terrae, et príncipes convenérunt in unum advérsus Dóminum et advérsus Christum ejus.

Ant. Voce mea ad Dóminum clamávi, et exaudívit me de monte sancto suo.

Psalmus 3.

Dómine, quid multiplicáti sunt qui tríbulant me? * multi insúrgunt advérsum me.

Multi dicunt ánimae meae, * non est salus ipsi in Deo ejus.

Tu áutem Dómine suscéptor meus es, * glória mea, et exáltans caput meum.

Voce mea ad Dóminum clamávi, * et exaudívit me de monte sancto suo.

Ego dormívi, et soporátus sum, * et exurréxi, quia Dóminus suscépit me.

Non timébo míllia pópuli circumdántis me, * exúrge Dómine, salvum me fac Deus meus.

Quóniam tu percussísti omnes adversántes mihi sine cáusa, * dentes peccatórum contrivísti.

Dómini est salus, * et super pópulum tuum benedíctio tua.

Ant. Voce mea ad Dóminum clamávi, et exaudívit me de monte sancto suo.

Ant, Factum est cor meum tamquam cera liquéscens in médio ventris mei.

Psalmus 12.

Usqueequo Dómine] obliviscéris me in finem? * Usquequo avértis fáciem tuam a me?

Quámdiu ponam consília in ánima mea, * dolórem in corde meo per diem?

Usquequo exaltábitur inimícus meus super me? * réspice, et exáudi me Dómine Deus meus.

Illúmina óculos meos ne unquam obdórmiam in morte: * Nequándo dicat inimícus meus: * praeválui advérsus eum.

Qui tríbulant me, exultábunt si motus fúero: * ego áutem in misericórdia tua sperávi.

Exultábit cor meum in salutári tuo, cantábo Dómino qui bona tribuít mihi: * et psallam nómini Dómini altíssimi.

Ant. Factum est cor meum tamquam cera liquéscens in medio ventris mei.

℣. Pósuit me desolátam.

℟. Tota die moeróre conféctam.

De Isaía Prophéta.

Lectio I.

Cap. 53.

Quis crédidit audítui nostro? et bráchium Dómini cui revelátum est? Et ascéndet sicut virgúltum coram eo, et sicut radix de terra sitiénti. Non est spécies ei, neque decor, et vídimus eum, et non erat aspéctus, et

desiderávimus eum. Despéctum, et novíssimum virórum, virum dolórum, et sciéntem infirmitátem: et quasi abscònditus vultus ejus et despéctus, unde nec reputávimus eum. Vere lánguóres nostros ipse tulit, et dolóres nostros ipse portávit; et nos putávimus eum quasi leprósum, et percússum a Deo et humiliátum. Ipse áutem vulnerátus est propter iniquitátes nostras, attrítus est propter scélera nostra: disciplína pacis nostrae super eum, et livóre ejus sanáti sumus.

℟. Diléctus meus cándidus, et rubicúndus, et totus desiderábilis; * Omnis enim figúra ejus amórem spirat, et ad redamándum pròvocat, caput inclinátum, manus expánsae, pectus apértum.

℣. Piis, o Virgo, spectas eum óculis, contémplans in eo non tam vúlnerum livórem, quam mundi salútem Omnis.

Lectio II.

Omnes nos quasi oves errávimus: unusquísque in viam suam declinávit: et pósuit Dòminus in eo iniquitátem ómnium nostrum. Oblátus est quia ipse vóluit, et non apéruit os suum: sicut ovis ad occisiónem ducétur, et quasi agnus coram tondénte se obmutéscet, et non apériet os suum. De angústia, et de judício sublátus est: Generatiónem ejus quis enarrábit? quia abscíssus est de terra vivéntium: propter scelus pópuli mei percússi eum. Et dabit ímpios pro sepultúra, et dívitem pro morte sua: eo quod iniquitàtem non fécerit, neque dolus fúerit in ore ejus.

℟. Manus ejus tornátiles, clavórum cúspide terebrátae: * Humánae salútis prétio quasi hyacínthis refértae.

℣. Córnua in mánibus ejus: ibi abscóndita est fortitúdo ejus: sunt enim manus ejus. Humánae.

Lectio III.

Et Dóminus vóluit contérere eum in infirmitáte: si pósuerit pro peccáto ánimam suam, vidébit semen longaevum, et volúntas Dómini in manu ejus dirigétur. Pro eo quod laborávit ánima ejus, vidébit, et saturábitur: in sciéntia sua justificábit ipse justus servus meus multos, et iniquitátes eórum ipse portábit. Ideo dispértiam ei plúrimos, et fórtium dívidet spólia, pro eo quod trádidit in mortem ánimam suam,

et cum sceleràtis reputàtus est, et ipse peccàta multórum tulit, et pro transgressóribus rogàvit.

℟. Diligébat Jesus Joánnem quóniam speciális praerogatíva castitátis amplióri dilectiòne fécerat dignum: * Quia virgo eléctus ab ipso, virgo in aevum permánsit.

℣. In cruce dénique moritúrus, huic matrem vírginem vírgini commendávit. Quia. Glória Patri. Quia.

IN II. NOCTURNO

Ant. Inimíci mei dixérunt mala mihi: quando moriétur, et períbit nomen ejus.

Psalmus 40.

Beátus qui intélligit super egénum, et páuperem, * in die mala liberábit eum Dóminus.

Dóminus consérvet eum, et vivíficet eum, et beátum fáciat eum in terra, * et non tradat eum in ánimam inimicórum ejus.

Dóminus opem ferat illi super lectum dolóris ejus, * univérsum stratum ejus versásti in infirmitáte ejus.

Ego dixi; Dòmine miserére mei, * sana ánimam meam quia peccávi tibi.

Inimíci mei dixérunt mala mihi: * quando moriétur, et períbit nomen ejus?

Et si ingrediebátur, ut vidéret, vana loquebátur, * cor ejus congregávit iniquitátem sibi.

Egrediebátur foras, * et loquebátur in idípsum.

Advérsum me susurrábant omnes inimíci mei, * advérsum me cogitábant mala mihi.

Verbum iníquum constituérunt adversum me: * numquid qui dórmit non adjíçiet, ut resúrgat?

Etenim homo pacis meae, in quo sperávi, * qui edébat panes meos, magnificávit super me supplantatiónem.

Tu áutem Dómine miserére mei, et resúscita me, * et retríbuam eis.

In hoc cognóvi quóniam voluísti me: * quóniam non gaudébit inimícus meus super me.

Me áutem propter innocéntiam suscepísti, * et confirmásti me in conspéctu tuo in aetérnum.

Benedíctus Dóminus Deus Israel a saeculo, et usque in saeculum; * fiat, fiat.

Ant. Inimíci mei dixérunt mala mihi, quando moriétur, et períbit nomen ejus?

Ant. Deus vitam meam annuntiávi tibi: posuísti lácrymas meas in conspéctu tuo.

Psalm. 55.

Miserére mei Deus, quóniam conculcávit me homo: * tota die impúgnans tribulávit me.

Conculcavérunt me inimíci mei tota die: * quóniam multi bellántes advérsum me.

Ab altitúdine diéi timébo: * ego vero in te sperábo.

In Deo laudábo sermónes meos, in Deo sperávi, * non timébo quid fáciat mihi caro.

Tota die verba mea execrabántur: * advérsum me omnes cogitatiónes eórum in malum.

Inhabitábunt, et abscóndent, * ipsi calcáneum meum observábunt.

Sicut sustinuérunt ánimam meam, pro níhilo salvos fácies illos: * in ira pópulos confrínges.

Deus vitam meam annuntiávi tibi: * posuísti lácrymas meas in conspéctu tuo.

Sicut et in promissióne tua: * tunc converténtur inimíci mei retrórsum.

In quacúmque die invocávero te: * ecce cognóvi, quóniam Deus meus es.

In Deo laudábo verbum, in Dómino laudábo sermónem: * in Deo sperávi, non timébo quid fáciat mihi homo.

In me sunt Deus vota tua: * quae reddam, laudatiónes tibi.

Quóniam eripuísti ánimam meam de morte, et pedes meos de lapsu: * ut pláceam coram Deo in lúmine vivéntium.

Ant. Deus vitam meam annuntiávi tibi: posuísti lácrymas meas in conspéctu tuo.

Ant. Fílii hóminum dentes eórum arma, et sagíttae, et lingua eórum gládius acútus.

Psalmus 56.

Miserére mei Deus, miserére mei: * quóniam in te confidit ánima mea.

Et in umbra alárum tuàrum sperábo: * donec tránseat iníquitas.

Clamábo ad Deum altíssimum: * Deum qui benefécit mihi.

Misit de coelo, et liberávit me: * dedit in oppróbrium conculcántes me.

Misit Deus misericórdiam suam, et veritátem suam: * et erípuit ánimam meam de médio catulórum leónum: dormívi conturbátus.

Fílii hóminum dentes eórum arma, et sagíttae; * et lingua eórum gládius acútus.

Exaltáre super coelos Deus:

* et in omnem terram glória tua.

Láqueum paravérunt pédibus meis: * et incurvavérunt ánimam meam.

Fodérunt ante fáciem meam fóveam: * et incidérunt in eam.

Parátum cor meum Deus, parátum cor meum: * cantábo, et psalmum dicam.

Exúrge glória mea, exúrge psaltérium et cíthara; * exúrgam dilúculo.

Confitébor tibi in pópulis Dómine: * et psalmum dicam tibi in géntibus.

Quóniam magnificáta est usque ad coelos misericórdia tua: * et usque ad nubes véritas tua.

Exaltáre super coelos Deus: * et super omnem terram glória tua.

Ant. Fílii hóminum dentes eórum arma, et sagíttae, et lingua eórum gládiûs acútus.

℣. Fácies mea intúmuit a fletu.

℟. Et pálpebrae meae caligavérunt.

Sermo sancti Bernárdi Abbátis.

Ex Serm. 12. de Stellis.

Lectio IV.

Martyrium Vírginis tam in Simeónis prophetía, quam in ipsa Domínicae passiónis história commendátur. Pósitus est hic (ait sanctus senex de púero Jesu) in signum cui contradicétur, et tuam ipsíus ánimam (ad Maríam áutem dicébat) pertransíbit gládius. Vere tuam, o beáta Mater, ánimam pertransívit, alióquin non nisi eam pertránsiens, carnem Fílii tui penetráret. Et quidem posteáquam emísit spíritum tuus ille Jesus, ipsíus plane non áttigit ánimam crudélis láncea, quae ipsíus apéruit latus, sed tuam útique ánimam pertransívit; ipsíus nimírum ánima jam ibi non erat, sed tua plane inde nequíbat avélli.

℟. Ténebrae factae sunt, cum crucifixíssent Jesum Judaei, et circa horam nonam exclamávit Jesus voce magna: Deus meus, ut quid dereliquísti me? * Et inclináto cápite emísit spíritum.

℣. Quis tibi nunc sensus, dum cernis tália Virgo? Et inclináto.

Lectio V.

Tuam ergo pertransívit ánimam vis dolóris, ut plusquam mártyrem non immèrito praedicémus in qua nimírum corpóreae sensum

passiónis excésserit compassiónis afféctus. An non tibi plusquam gládius fuit sermo ille, revéra pertrànsiens ánimam, et pertíngens usque ad divisiónem ánimae, et spíritus: Múlier ecce filius tuus? O commutatiónem! Joánnes tibi pro Jesu tráditur, servus pro Dómino, discípulus pro Magístro, filius Zebedaei pro filio Dei, homo purus pro Deo vero. Quómodo non tuam affectuosíssimam ánimam pertransíret haec audítio, quando et nostra, licet sáxea, licet férrea pèctora sola recordátio scindit?

℟. Pássio Dómini, * Ipsam ejus matrem carnàli orbitáte gráviter percússam, vehementíssime contristávit.

℣. Ferrum lánceae militáris latus quidem Salvátoris, ánimam vere transívit Vírginis matris. Ipsam.

Lectio VI.

Non mirémini, fratres, quod María martyr in ánima fuísse dicátur. Mirétur qui non memínerit se audivísse Paulum inter máxima Géntium crímina memorántem, quod sine affectióne fuíssent. Longe id fuit a Maríae viscéribus, longe sit a sérvulis ejus. Sed forte quis dicat; Numquid non eum praescíerat moritúrum? Et indubitánter. Numquid non sperábat contínuo resurrectúrum? Et fidéliter. Super haec dóluit crucifixum? Et veheménter. Alióquin quisnam tu frater, aut unde tibi haec sapiéntia, ut miréris plus Maríam compatiéntem quam Maríae filium patiéntem? Ille étiam mori córpore pótuit; ista cómmori corde non pótuit. Fecit illud cháritas, qua majórem nemo hábuit: fecit et hoc cháritas, cui post illam símilis áltera non fuit.

℟. Quis mihi det te fratrem meum sugéntem úbera matris meae, et inhaeréndo láteri tuo, ut sanguis tuus * sánguinem meum tangat, et tergat: * Ut fons aquae tuae de scaturígine recti cordis, per venas boni óperis, in finem aetérnae felicitátis exíliat?

℣. Fílii tui de longe vénient, et filiae tuae de látere surgent. Ut fons. Glória Patri. Ut fons.

IN III. NOCTURNO

Ant. Intendérunt arcum rem amáram, ut sagíttent in occúltis immaculátum.

Psalmus 63.

Exáudi Deus oratiónem meam cum déprecor: * a timóre inimíci éripe ánimam meam.

Protexísti me a convéntu malignántium, * a multitúdine operántium iniquitátem.

Quia exacuérunt ut gládium linguas suas: * intendérunt arcum rem amáram, ut sagíttent in occúltis immaculátum.

Súbito sagittábunt eum, et non timébunt: * firmavérunt sibi sermónem nequam.

Narravérunt ut abscónderent láqueos: * dixérunt: Quis vidébit eos?

Scrutáti sunt iniquitátes: * defecérunt scrutántes scrutínio.

Accédet homo ad cor altum: * et exaltábitur Deus.

Sagíttae parvulórum factae sunt plagae eórum: * et infirmátae sunt contra eos linguae eórum.

Conturbáti sunt omnes qui vidébant eos: * et tímuit omnis homo.

Et annuntiavérunt ópera Dei: * et facta ejus intellexérunt.

Laetábitur justus in Dómino, et sperábit in eo, * et laudabúntur omnes recti corde.

Ant. Intendérunt arcum rem amáram, ut sagíttent in occúltis immaculátum.

Ant. Factus sum sicut homo sine adjutório inter mórtuos liber.

Psalmus 87.

Dómine Deus salútis meae, * in die clamávi, et nocte coram te.

Intret in conspéctu tuo orátio mea: * inclína áurem tuam ad precem meam.

Quia repléta est malis ánima mea; * et vita mea inférno appropinquávit.

Aestimátus sum cum descendéntibus in lacum: * factus sum sicut homo sine adjutório, inter mórtuos liber.

Sicut vulneráti dormiéntes in sepúlchris, quorum non es memor ámplius: * et ipsi de manu tua repúlsi sunt.

Posuérunt me in lacu inferióri, * in tenebrósis, et in umbra mortis.

Super me confirmátus est furor tuus: * et omnes fluctus tuos induxísti super me.

Longe fecísti notos meos a me: * posuérunt me abominatiónem sibi.

Tráditus sum, et non egrediébar: óculi mei languérunt prae inópia.

Clamávi ad te Dómine tota die: * expándi ad te manus meas.

Numquid mòrtuis fácies mirabília: * aut médici suscitábunt, et confitebúntur tibi?

Numquid narrábit áliquis in sepúlchro misericórdiam tuam, * et veritátem tuam in perditióne?

Numquid cognoscéntur in ténebris mirabilia tua, * et justítia tua in terra obliviónis?

Et ego ad te Dómine clamávi: * et mane orátio mea praevéniet te.

Ut quid Dómine repéllis orationem meam: * avértis fáciem tuam a me?

Páuper sum ego, et in labóribus a juventúte mea: * exaltátus áutem, humiliátus sum et conturbátus.

In me transiérunt irae tuae: * et terróres tui conturbavérunt me.

Circumdedérunt me sicut aqua tota die: * circumdedérunt me simul.

Elongásti a me amícum et próximum, * et notos meos a miséria.

Ant. Factus sum sicut homo sine adjutório inter mórtuos liber.

Ant. Replèvit me amaritúdine, inebriávit me absynthio.

Psalmus 108.

Deus, láudem meam ne tacúeris: * quia os peccatóris, et os dolósi super me apértum est.

Locúti sunt advérsum me lingua dolósa, et sermónibus ódii circumdedérunt me: * et expugnavérunt me gratis.

Pro eo ut me diligerent, detrahébant mihi: * ego áutem orábam.

Et posuérunt advérsum me mala pro bonis: * et ódium pro dilectióne mea.

Constítue super eum peccatórem: * et diábolus stet a dextris ejus.

Cum judicátur, éxeat condemnátus: * et orátio ejus fiat in peccátum.

Fiant dies ejus páuci: * et episcopátum ejus accípiat alter.

Fiant filii ejus órphani: * et uxor ejus vídua.

Nutántes transferántur filii ejus, et mendícent: * et ejiciántur de habitatiónibus suis.

Scrutétur foenerátor omnem substántiam ejus: * et dirípiant aliéni labóres ejus.

Non sit illi adjútor: * nec sit qui misereátur pupíllis ejus.

Fiant nati ejus in intéritum: * in generatióne una deleátur nomen ejus.

In memória rédeat iníquitas patrum ejus in conspéctu Dòmini: * et peccátum matris ejus non deleátur.

- Fiant contra Dóminum semper: et dispéreat de terra memória eórum: * pro eo quod non est recordátus fácere misericórdiam.

Et persecútus est hóminem ínopem et mendícum, * et compùnctum corde mortificáre.

Et diléxit maledictiónem, et véniet ei: * et nóluit benedictiónem, et elongábitur ab eo.

Et índuit maledictiónem sicut vestiméntum, * et intrávit sicut aqua in interióra ejus, et sicut óleum in óssibus ejus.

Fiat ei sicut vestiméntum, quo operítur: * et sicut zona, qua semper praecíngitur.

Hoc opus eórum, qui détrahunt mihi apud Dóminum: * et qui loquúntur mala advérsus ánimam meam

Et tu Dómine, Dómine fac mecum propter nomen tuum: * quia suávis est misericórdia tua.

Líbera me, quia egénus et páuper ego sum: * et cor meum conturbátum est intra me.

Sicut umbra cum declínat, ablátus sum: * et excússus sum sicut locústae.

Génua mea infirmáta sunt a jejúnio: * et caro mea immutáta est propter óleum.

Et ego factus sum oppróbrium illis; * vidérunt me, et movérunt cápita sua.

Adjuva me Dómine Deus meus: * salvum me fac secúndum misericórdiam tuam.

Et sciant quia manus tua haec: * et tu Dómine fecísti eam.

Maledícent illi, et tu benedíces; * qui insúrgunt in me confundántur; servus áutem tuus laetábitur.

Induántur qui détrahunt mihi, pudóre: * et operiántur, sicut diplóide confusióne sua.

Confitébor Dómino nimis in ore meo: * et in médio multórum laudábo eum.

Quia ástitit a dextris páuperis, * ut salvam fáceret a persequéntibus ánimam meam.

Ant. Replévit me amaritúdine, inebriávit me absynthio.

℣. Deus vitam meam annuntiávi tibi.

℟. Posuísti lácrymas meas in conspéctu tuo.

Léctio Sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Lectio VII.

In illo témporé: Stabant juxta Crucem Jesu Mater ejus, et soror matris ejus María Cléophae, et María Magdaléne. Et réliqua.

Homilía sancti Augustíni Epíscopi.

Tract. 110. in Joannem.

Haec nimìrum est ìlla hora, de qua Jesus aqnam conversúrus in vinum díxerat matri: Quid mihi, et tibi est múlier? nondum venit hora mea. Hanc ítaque horam praedíxerat, quae tunc nondum vénerat, in qua debéret agnóscere moritúrus, de qua fúerat mortáliter natus. Tunc ergo divína factúrus, non divinitátis, sed infirmitàtis matrem velut incógnitam repellébat; nunc áutem humána jam pátiens, ex qua fúerat factus homo, afféctu commendébat humáno. Morális ígitur insinuátur locus. Facit quod faciéndum ádmonet, et exémplo suo suos minístros instrúxit praecéptor bonus, ut a filiis piis impendátur cura paréntibus; tamquam lignum illud, ubi fixa erant membra moriéntis, étiam cáthedra fúerit magístri docéntis.

℟. Dóleo super te, fili mi Jesu, decórus nimis, et amábilis super amórem mulíerum: * Sicut enim mater únicum díligit filium, ita ego te diligébam.

℣. Defécit in dolóre vita mea, et anni mei in gemítibus. Sicut.

8. *Benedictio.* Cujus festum cólimus ipsa Virgo etc.

Lectio VIII.

Ex hac sana doctrína didícerat Paulus Apóstolus, quod docébat, quando dicébat: Si quis áutem suis, et máxime doméslicis non próvidet, fidem negávit, et est infidéli detérior. Quid áutem tam cuíque doméslicum, quam paréntes filiis, aut paréntibus filii? Hujus itaque salubérrimi praecépti ipse Magíster Sanctórum de seípso constituébat exémplum, quando non ut fámulae Deus quam creáverat, et regébat; sed ut matri homo, de qua creátus fúerat, et quam relinquébat, álterum pro se quodámmodo filium providébat.

℟. Eja Mater fons amóris, fac non sentíre vim dolóris, ut tecum lugeámus: * Et Domínicae passiónis fructum sentiámus.

℣. Et sicut filius tuus Jesus pro nobis mórtuus est, et resurréxit, ita et nos commórtui cum eódem resurgámus. Et Domínicae. Glória Patri. Et.

Lectio ix. de Hom. Fer.

AD LAUDES

ET PER HORAS.

Antiph.

Vadam ad montem myrrhae, et ad collem thuris.

Psalm. Dóminus regnávit, *cum reliquis de Dom.*

Ant. Diléctus meus cándidus, et rubicúndus: comae cápitis ejus sicut púrpura Regis vincta canálibus.

Ant. Quo ábiit diléctus tuus, o pulchérrima mulíerum? quo diléctus tuus declinávit?

Ant. Fascículus myrrhae diléctus meus mihi; inter úbera mea commorábitur.

Ant. Fulcíte me flóribus, stipáte me malis, quia amóre lángueo.

Cap.

Isai. 53.

Quis crédidit audítui nostro, et bráchium Dómini cui revelátum est? Et ascéndet sicut virgúltum coram eo, et sicut radix de terra sitiénti.

Hymnus.

Virgo vírginum praecláRa,
Mihi jam non sis amára,
Fac me tecum plángere.
Fac ut portem Christi mortem,
Passiónis fac consórtem,
Et plagas recólere.
Fac me plagis vulnerári,
Fac me Cruce inebriári,
Et cruóre Fílii.
Flammis ne urar succénsus,
Per te, Virgo, sim defénsus
In die judícii.
Christe, cum sit hinc exíre,
Da per Matrem me veníre
Ad palmam victóriae.
Quando corpus moriétur,
Fac ut ánimae donétur
Paradísi glória. Amen.

℣. Ora pro nobis Virgo dolorosíssima.

℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

Ad Benedictus, Ant. Cum vidísset Jesus matrem stantem juxta crucem, et discípulum, quem diligébat, dicit matri suae: Múlier, ecce filius tuus; deínde dicit discípulo: Ecce mater tua.

ORATIO.

Deus, in cujus passióne, secúndum Simeónis prophetíam, dulcíssimam ánimam gloriósae Vírginis et Matris Maríae dolóris gládius pertransívit: concéde propítius; ut qui transfixiónem ejus, et passiónem venerándo recólimus, gloriósis méritis, et précibus ómnium Sanctórum Cruci fidéliter astántium intercedéntibus, passiónis tuae efféctum felícem consequámur. Qui vivis et regnas.

Deinde fit comm. Feriae.

AD PRIMAM.

In ℟. brevi dicitur.

℣. Qui passus es pro hómine.

AD TERTIAM

Ant. Diléctus meus.

Cap. Quis crédidit, *ut supra.*

℟. *br.* Pósuit me, * Desolátam. Pósuit me.

℣. Tota die moeróre conféctam. Desolátam. Glória Patri. Pósuit.

℣. Fácies mea intúmuit a fletu.

℟. Et pálpebrae meae caligavérunt.

AD SEXTAM.

Ant. Quo ábiit diléctus tuus.

Capitulum.

Isa. 53.

Ipse vulnerátus est propter iniquitátes nostras, attrítus est propter scélera nostra. Disciplína pacis nostrae super eum, et livóre ejus sanáti sumus.

℟. *br.* Fácies mea * Intúmuit a fletu. Fácies.

℣. Et pálpebrae meae caligavérunt. Intúmuit. Glória Patri Fácies.

℣. Deus vitam meam annuntiávi tibi.

℟. Posuísti lácrymas meas in conspéctu tuo.

AD NONAM

Ant. Fulcíte me flóribus.

Capitul.

Isaiae 53.

Generatiónem ejus quis enarrábit? quia abscíssus est de terra vivéntium; propter scelus pópuli mei percússi eum.

℟. *brev.* Deus vitam meam: * Annuntiávi tibi. Deus.

℣. Posuísti lácrymas meas in conspectu tuo. Annuntiávi. Glória Patri. Deus.

℣. Ora pro nobis Virgo dolorosíssima.

℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

In secundis Vesperis, omnia ut in primis. praeter sequentia.

Ad Mag. Ant. Cum vidísset Jesus matrem stantem juxta Crucem, et discípulum, quem diligébat, dicit matri suae: Múlier, ecce filius tuus. Deínde dicit discípulo: Ecce mater tua.

Oratio. Deus in cujus passióne, *ut supra.*

Et fit. commem. Feriae occurrentis.

DIE I. MARTII ASS.

In Festo B. VILLANAE DE BOTTIS. FL. *nec Virg. nec Mart. Ord. Praed.* Duplex.

ORATIO

Deus, qui Beátam Villánam

fámulam tuam a mundi illécebris revocátam per omnes poeniténtiae, et humilitátis sémitas transíre fecísti: illíus intercessióne concéde, ut reátus nostri conféssio indulgéntiam tuam váleat inveníre. Per Dóminum etc.

Lectiones primi Nocturni de Com. nec Virg. nec Mart. Extra Quadrag. de Scriptura occurr.

IN II. NOCTURNO.

Lectio IV.

Villána sub inítium saeculi décimi quarti ex honésta Família de Bottis Floréntiae orta ab unguículis coeléstium desidériis, ac summae poeniténtiae opéribus únice se addíctam exhíbuit. Hinc ad coeléstem Sponsum fervénter anhélans domo aufúgit, ut in sacrárum Vírginum collégium semetípsam ábderet. Sed frustra, quia divínae Misericórdiae divítiae super eam látius patére debébant. Ideóque patris voluntáte matrimónio quamvis relúctans nupta, saeculi vanitátibus, et pompis indúlgens ab inchoátae spirituális vitae ratióne paulísper defléxit. Verum errántem ovem bonus pastor Jesus períre nolens, dum ipsa sese studiósius ornáret, suíque vultus venustátem in spéculo contemplarétur, effécit, ut horríbilem in illo daemonis figúram íterum iterúmque conspíceret. Quo visu sui spíritus foeditátem agnóscens, ac summópere detérrita, abjéctis íllico pretiósis véstibus, monilibúsque, húmili amíctu ad Fratres praedicatóres sanctae Maríae Novéllae convolávit, et ingénti lacrymárum imbre, praetéritas ánimae sordes áblui.

℟. Propter veritátem etc.

Lectio V.

Hac mutatióne déxterae Excélsi, Villána ut tempus redímeret, totam se jejúniis oratiónibus cujúsque géneris expiatiónibus, rerúmque periturárum contémptui dedit. Nedum autem intermíssum prístinae spirituális vitae gressum fervéntius reassúmpsit; sed brevi étiam tanto divíni amóris aestuávit igne, melioribúsque charismátibus fuit dignáta, ut saepius in éxstasim raperétur, praesértim divíni Sacrifícii témpore, et cum léctio, vel sermo de spirituálibus haberétur. Admónita vero, ut austeritátibus modum impóneret, respondébat, talem esse divíni

amóris, quam experiebátur, dulcédinem, ut corporális cibus ei esset fastídio. Tanta in páuperes charitáte flagrávit, ut nonnísi in obséquium paréntum, et maríti, stipem pro iisdem ostiátim peténdi consílium deposúerit. Ut Fílio Dei Crucifixo perféctius conformarétur, injúriae, calúmniae, contuméliae, diutúrnae, gravésque infirmitátes, ac daemonum insúltus, et insídiae illi non defuére. Quae ómnia ádeo fórtiter tolerávit, ut plura addi veheménter optáret.

℟. Dilexísti justítiam etc.

Lectio VI.

His, aliísque poeniténtiae, fortitúdinis, ac omnímodae pietátis opéribus coelitum apparitiónibus, et collóquiis frui, supernaturálibus splendóribus illíus cubículum perfúndi, spiritúque prophetíae insigníri plúries, pluriésque Villánam promeruísse pro certo tráditur. Tandem cum tempus properáret, ut tantárum virtútum praemia percíperet, víribus córporis exháusta, ínvidi hostis ártibus delúsis, Ecclésiae Sacraméntis summa devotióne percéptis: dnm Christi pássio, uti exoptáverat, sibi legerétur, ad ea verba: et inclináto cápite emísit spíritum: mánibus ad modum crucis supra pectus compósitis, praetiósam efflávit ánimam anno millésimo trecentésimo sexagésimo. Ejúsdem corpus hábitu tértii Ordinis sancti Domínici amíctum coelésti fragrans odóre, tanta pópuli devotióne coli coepit, ut per mensem, et ultra in templo sanctae Mariae Novéllae recóndi non posset, cunctórum admiratióne, pluribúsque illíus vestes frustrátim decerpéntibus. Ejusétiam sanctitátem, et glóriam in coelis, váriis prodígiis testátam fuísse illíus aevi monuménta ferunt. Unde non mirum si cultus eídem tot saeculórum decúrsu praestitus, magis, magísque in dies ad haec usque témpora créverit. Quibus rite cógnitis, et probátis, Leo Duodécimus Póntifex Máximus ex sacrórum rítuum Congregatiónis consúlto officium, et missam in beátae Villánae honórem ab órdine Praedicatórum, et utróque Clero Florentínae Dioecésis celebrári benígne indúlsit.

℟. Fallax grátia et vana est pulchritúdo etc.

In III. Nocturno Homilia in Evangel. Símile est regnum caelórum thesáuro etc. *ut in Communi.*

DIE II. MARTII ASS.

Translatio S. ANTONINI ARCH. FL. *C.* Duplex.

In I. Noct. Lectiones Fidélis sermo, extra Quadrag. de Scr. occ, *in II. et III. Noct. de Com. ex* 2. *loco, Oratio* Exàudi *et dicit.* Translatióne.

DIE VIII. MARTII.

In Festo S. JOANNIS DE DEO *Conf. dupl. Omnia de Com. Conf. non Pontif. praeter ea, quae hic assignantur.*

ORATIO.

Deus, qui beátum Joánnem tuo amóre succénsum inter flammas innóxium incédere fecísti, et per eum Ecclésiam tuam nova prole foecundásti; praesta, ipsíus suffragántibus méritis, ut igne charitátis tuae vítia nostra curéntur, et remédia nobis aetérna provéniant. Per Dóminum.

In I. Noct. Lectiones de libro Ecclesiastici, Beátus vir, *de Communi Confessor. non Pont.* 2. *loco, extr. Quadr. de Scr. occ.*

IN II. NOCTURNO

Lectio IV.

Joánnes de Deo ex cathólicis piísque paréntibus in óppido Montis Majóris junióris regni Lusitániae natus, quam sublímiter in sortem Dómini fúerit eléctus, insuétus splendor super ejus domo refúlgens, sonitúsque aeris campáni sua sponte emíssus ab ipso ejus nativitátis témpore non obscúre praenuntiárunt. A laxióri vivéndi ratióne, divína operànte virtúte revocátus, magnae sanctitátis exhibére spécimen coepit, et ob audítam praedicatiónem verbi Dei sic ad melióra se excitátum sensit, ut jam ab ipso sanctióris vitae rudiménto consummátum áliquid perfectúmque visus sit attigísse. Bonis ómnibus in páuperes carcéribus inclúsos erogátis, admirábilis poeniténtiae, suíque ipsíus contémptus cuncto pópulo spectáculum factus, a plerísque ceu demens gráviter afflíctus in cárcerem améntibus destinátum conjícitur. At Joánnes coelésti charitáte magis incénsus, gémino atque amplo valetudinário ex piórum eleemósynis in civitáte Granaténsi extrúcto, jactóque novi Ordinis fundaménto, Ecclésiam nova prole foecundávit Frátrum Hospitalitátis, infirmis praecláro animárum, corporúmque proféctu inserviéntium, et longe latéque per orbem diffusórum.

℟. Honéstum fecit etc.

Lectio V.

Paupéribus aegrótis, quos própriis quandóque húmeris domum deferébat, nulla re ad ánimae, corporísque salútem proficua déerat. Effúsa quoque extra nosocomíum charitáte, indigéntibus muliéribus víduis, et praecípue virgínibus periclitántibus clam aliménta subministrábat, curámque indeféssam adhibébat, ut carnis concupiscéntiam a próximis hujúsmodi vítio inquinátis exterminaret, Cum áutem máximum in régio Granaténsi valetudinário excitátum fuísset incéndium, Joánnes impávidus prosíliit in ignem, huc illuc discúrrens, quoúsque tum infirmos húmeris exportátos, tum léctulos e fenéstris projéctos ab igne vindicávit, ac per dimídiam horam inter flammas jam in imménsum succrescéntes versátus, exínde divínitus incólumis, univérsis cívibus admirántibus, exívit; in schola charitátis édocens, segniórem in eum fuísse ignem, qui foris ússerat, quam qui intus accénderat.

℟. Amávit eum etc.

Lectio VI.

Multíplici asperitátum génere, demissíssima obediéntia, extréma paupertáte, orándi stúdio, rerum divinárum contemplatióne, ac in Beátam Vírginem pietáte mirífice excélluit, et lacrymárum dono enítuit. Dénique gravi morbo corréptus, ómnibus Ecclésiae Sacraméntis rite sanctéque reféctus, víribus licet destitútus, própriis indútus véstibus, e léctulo surgens, ac provolútus in génua, manu et corde Christum Dóminum e cruce pendéntem perstríngens, octávo Idus Mártii anno millésimo quingentésimo quinquagésimo óbiit in ósculo Dómini, quem étiam mórtuus ténuit, nec dimísit, et in eádem córporis constitutióne sex círciter horas, quoúsque inde dimótus fuísset, tota civitáte inspectánte, mirabíliter permánsit, odórem mire fragràntem diffúndens. Quem ante, et post óbitum plúrimis miráculis clarum, Alexánder octávus Póntifex Máximus in Sanctórum númerum rétulit.

℟. Iste homo etc.

IN III. NOCTURNO

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthaeum.

Lectio VII.

Cap. 22. *d.*

In illo témpore; Accessérunt

ad Jesum Pharisaei, et interrogávit eum unus ex eis legis doctor tentans eum: Magíster quod est mandátum magnum in Lege? Et réliqua.

Homilía Sancti Joánnis Chrysóstomi.

Hom. 72. in Matth.

Sadducaeis confúsis, Pharisaei rursus aggrediúntur: cumque quiéscere oportéret, decertáre voluérunt; et legis perítiam profiténtem praemíttunt, non díscere, sed tentáre cupièntes, ac ita intérrogant; Quodnam primum mandátum in lege sit? Nam cum primum illud sit, Díliges Dóminum Deum tuum, putántes cáusas sibi allatúrum ad mandátum hoc corrigéndum, áliquid addéndo, quóniam Deum se fáciébat, hoc modo intérrogant: Quid ígitur Christus? Ut osténdat idcírco ad haec eos devenìsse, quia nulla in eis esset cháritas, sed invídiae livóre tabéscerent: Díliges, inquit, Dóminum Deum tuum; hoc primum, et magnum mandátum est. Secúndum áutem símile huic: Díliges próximum tuum, sicut teípsum.

℞. Iste est etc.

Lectio VIII.

Quamóbrem símile est huic? quóniam hoc illud indúcit, et et ab illo rursus munitur. Quicúmque enim male agit, ódio habet lucem, et non venit ad lucem. Et rursus: Dixit insípiens in corde suo, non est Deus. Deínde séquitur: Corrúpti sunt, et abominábiles facti sunt in stúdiis suis. Et íterum: Radix ómnium malórum avarítia est; quam quidam appeténtes, erravérunt a fide. Et qui: díligit me, mandáta mea servábit: quorum caput et radix est, Díliges Dóminum Deum tuet próximum tuum sicut teípsum.

℞. Sint lumbi etc.

Si hoc Festum venerit in Quadragesima, nona Lectio legitur de Homilia Feriae occurrentis, et de ea fit commemoratio.

Lectio IX.

Si ergo dilígere Deum, dilígere próximum est, (nam si díligis me, o Petre, inquit pasce oves meas:) si étiam diléctio próximi facit, ut mandáta custódias; mérito ait in his totam Legem, et Prophétas pendére. Et quemádmodum in superióribus, cum de resurrectióne interrogarétur, plus dócuit, quam

tentántes petébant: sic in hoc loco de primo interrogátus mandáto, secúndum étiam non valde quam primum inférius sponte áttulit: secúndum enim est primo símile. Ita occúlte insinuávit, ódio illos ad quaeréndum incitári. Cháritas enim, inquit, non aemulátur.

Te Deum.

In secundis Vesp. a cap. de S. Francisca Romana cum com. S. Joannis, et fer.

DIE XI. MARTII ASS.
EX IX. HUJ.

In Festo S. CATHARINAE VIRG. *de Bononia. Ordinis Sanctae Clarae.* Duplex.

Omnia de Communi Virg. exceptis iis, quae hic habentur propria.

ORATIO.

Concéde, nos fámulos tuos Deus beátae Catharínae Vírginis suffrágiis adjuvári, cujus odóre unguentórum tráhimur ad tua Sancta laetántes. Per Dóminum etc.

In primo Nocturno si vener. in Quadr. Lectiones De Virgínibus, *ut in Communi Virginum, extra Quadr. de Script. occur.*

IN II. NOCTURNO.

Lectio IV.

Catharína Virgo Bonóniae nobílibus Paréntibus Joánne Ferrariénsi ex illústri Vigriòrum Família, et Benvenúta Bononiénsi orta est. Hanc Beáta Dei Génitrix María Patri per visum praenunciávit in Festo Nativitátis suae véluti fulgentíssimum solem nascitúram. Quare ab incunábulis Dei benedictióne praevénta, vitae innocéntiam cum pietáte perpétuo servávit. Vigésimum annum agens a Matre Ferráriam perdúcta in in monastério Córporis Christi religiósum Sanctae Clarae hábitum sumpsit. Quo in loco, ut lampas ardens, coeteris splendéscere, et virtútum ómnium spécimen praebére coepit. Humílitas tanta ei ínerat, ut vilióra semper, et lácera indúmenta cáperet, abjectióra officia exhibéret. Charitáte erga omnes afficiebátur máxima. Nil vitábat, nil praetermittébat, quin fovéret omnes, sublevarétque praesértim infirmas. in quibus moniális caput sánie tabefáctum, nedum contíngere,

et mánibus abstérgere, sed et lingua língere saepius non horrúerit.

℟. Propter veritátem.

Lectio V.

Assiduo sponsi sui amóre flagrans summa spíritus dulcédine potiebátur. Quare arcána córdium, et secréta coeléstia saepe ei sunt reveláta. Cui et sanctus Thomas Cantuariénsis manum deosculándam, et beátus Franciscus Stígmata viséndа aliquándo praebuérunt. Animam Joánnis Epíscopi Ferrariénsis in coelum eúntem, véluti stellam coruscántem, moniáli quae tunc áderat, osténdit. Aliquando in Missa, dum sacérdos praefatiónem perficeret, Angelórum concéntum ter sanctus canéntium mira suavitáte audívit, qui si diútius, ut ipsa rétulit, perdurásset, proculdúbio córpore resolúta foret. Fratrem in viam salútis redúxit. Sorórіs ánimam in coelum eúntem vidit; multa prophético spíritu praedíxit.

℟. Dilexísti justítiam.

Lectio VI.

Cum áutem Bononiénses é-tiam fama sanctitátis ejus permóti, monastérium Bonóniae in honórem Córporis Christi erexíssent, ex Ferrariénsi monastério beáta Catharína una cum quíndecim moniálibus Bonóniam, ut illud monastérium régeret, míttitur. Quod quidem illa, et vírginum número, et reguIári disciplína áuxit. Cumque octo, et vigínti annos advérsa valetúdine probáta, postrémum diem sibi imminére praevidéret, convocátis soróribus mónita salútis dedit. Sumptis deínde Sacraméntis, invocáto Jesu Nómine beátam efflávit ánimam quinquagésimo aetátis suae anno. Honoríﬁce sepúlto ejus córpore miríficus odor e sepúlchro fragráre coepit, et illuc concurréntes plúrimi infirmi sanáti sunt. Post dies decem, et octo exhumátum corpus invéntum est incorrúptum, et magno odóre fragrans; quod in Ecclésiam delátum ibi religióse asserváｔur íntegrum, et multis clarum miráculis. Eam vero Clemens Undécimus solèmni ritu sanctórum catalogo adscripsit.

℟. Afferéntur Regi.

In tertio Nocturno. Homilia S. Gregorii in Evang. Símile erit Regnum coelórum decem virgínibus, *ut in Communi*

virginum. Si venerit in Quadr. Nona Lectio dicitur de Homilia Feriae occ. et de ea fit commemoratio.

DIE XIV. MARTII ASS.

In Festo B. M. V. DE SUCCURSU. Duplex Majus.

Omnia ut in Festo S. Mariae ad Nives, praeter sequent.

ORATIO.

Omnípotens et misericors Deus, qui ad succurréndum humáno géneri Beátam Vírginem Maríam Unigéniti Fílii tui Matrem esse voluísti: da nobis, quaesumus, ut ea intercedénte, diabólica vitáre contágia, et sincéra tibi mente servíre valeámus. Per eúmdem.

IN I. NOCTURNO

Lectiones, Ego Sapiéntia etc. *ut ad Nives.*

IN II. NOCTURNO

Lectio IV.

Serm. S. Thom. Ep. Valéntini.

De Assumpt. Virg.

Maria est Turris fundáta supra firmam petram in móntibus sanctis immóbili fundaménto: siquidem Deus in médio ejus non commovébitur. De hac Vírgine in Cánticis légitur; Sicut Turris David, quae aedificáta est cum propugnáculis, mille clypei pendent ex ea, omnis armatúra fórtium. Vere Turris David, illíus, inquam, David qui supérbum Góliath quinque lapídibus de torrénte, idest quinque vulnéribus, et Crucis báculo gloriántem in Calváriae monte prostrávit. Facta est haec Turris Ecclésiae propugnáculum, et peccatórum únicum refúgium, ut ad ipsam confúgiant omnes rei, omnes moesti, omnes afflícti, et ea protegénte liberéntur ab hoste. O homo, in quacúmque tribulatióne ad Maríam fuge, sive peccátis afflíctus, sive persecutiónibus attrítus, sive tentatiónibus turbátus, hanc Turrim pétito, ad Maríam confúgito. Mille enim clypei pendent ex ea, et contra omnem aestum tribulántis, et ad omnem fáciem persequéntis daemonis tutíssimum in ea clypeum invénies, quo te prótegas.

℟. Sicut cedrus exaltáta sum in Libáno, et sicut cypréssus in monte Sion: quasi myrrha elécta * dedi suavitátem odóris.

℣. Et sicut cinnamómum, et bálsamum aromatízans. Dedi.

Lectio V.

Ibi est enim omnis armatúra fórtium, ibi fides Apostolórum, ibi fortitúdo mártyrum, ibi púritas vírginum doctórum sapiéntia, anachoritárum paupértas, devótio confessórum: ibi dénique ómnium sanctórum virtus agglomeráta reperítur. Nihil enim umquam alícui Sanctórum speciáli privilégio concéssum est, quod non a princípio vitae, et cumulátius praefúlgeat in María. Ecce castéllum fortíssimum, ecce turrim inexpugnábilem, quae numquam diábolo praestitit tribútum, ac fidem. Hanc intrávit Jesus, quando Verbum caro factum est, et habitávit in nobis: ídeo inimícos expugnatúrus, et regnum suum recuperatúrus, in quo ab inítio daemon fúerat intrúsus.

℟. Quae est ista, quae procéssit sicut sol, et formósa tamquam Jerúsalem? *Vidérunt eam Fíliae Sion, et beátam dixérunt, et regínae laudavérunt eam:

℣. Et sicut dies verni circúmdabant eam flores rosárum, et lília convállium. Vidérunt.

Lectio VI.

Elécta est, ut esset Advocáta nostra. Nam licet Advocátum habémus apud Patrem, Fílium, ut ait Joánnes; opus étiam fuit habére Matrem Advocátam apud Fílium. Nam peccátis nostris non solum Deus offénditur, cujus praecépta violámus; sed et Fílius Dei, cujus sánguinem peccándo conculcámus, rursus crucifigéntes Fílium Dei; et ideo sicut apud Patrem interpéllat Fílius; sic apud Fílium interpéllat Mater. Unde Fílius osténdit Patri latus, et vúlnera, et Mater osténdit Fílio pectus, et úbera; unde facta est idónea Advocáta: idónea quia puríssima: idónea, quia acceptíssima, idónea, quia piíssima: haec enim ómnia ad Advocátam requirúntur. Eja ergo Advocáta nostra illos tuos misericórdes óculos ad nos convérte; ad te in nostris necessitátibus accúrrimus, tuum officium imple, tuum opus exérce.

℟. Ornátam monílibus Fíliam Jerúsalem Dóminus concupívit: *Et vidéntes eam Fíliae Sion beatíssimam praedicavérunt, dicéntes: * Unguéntum effúsum nomen tuum.

℣. Astitit regína a dextris tuis in vestítu deauráto, circúmdata varietáte.

Et vidéntes. Glória Unguéntum.

IN III. NOCTURNO

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Lectio VII.

In illo témpore: Stabant juxta Crucem Jesu Mater ejus, et soror matris ejus María Cléophe, et María Magdaléne. Et réliqua.

Homilía Sancti Augustíni Episcopi.

Tract. 110. *in Joannem.*

Haec nimírum est illa hora de qua Jesus aquam conversúrus in vinum díxerat matri: Quid mihi, et tibi est múlier? nondum venit hora mea. Hanc ítaque horam praedíxerat, quae tunc nondum véneral, in qua deberet agnóscere moritúrus, de qua fúerat mortáliter natus. Tunc ergo divína factúrus, nou divinitátis, sed infirmitátis matrem velut incógnitam repellébat. Nunc áutem humána jam pátiens, ex qua fúerat factus homo, afféctu commendábat humáno. Morális ígitur insinuátur locus. Facit quod faciéndum ádmonet, et exémplo suo suos minístros instrúxit praecéptor bonus, ut a filiis piis impendátur cura paréntibus; tamquam lignum illud, ubi fixa erant membra moriéntis, étiam cáthedra fúerit magístri docéntis.

℟. Felix namque es sacra virgo María, et omni láude digníssima: * Quia ex te ortus est sol justítiae, Christus Deus noster.

℣. Ora pro pópulo, intérveni pro clero, intercéde pro devóto femíneo sexu: séntiant omnes tuum juvámen, quicúmque célebrant tuam sanctam festivitátem. Quia ex te.

Benedictio. Cujus festum cólimus ipsa Virgo etc.

Lectio VIII.

Ex hac sana doctrína didícerat Páulus Apóstolus, quod docébat, quando dicébat: Si quis áutem suis, et máxime doméstícis non próvidet, fidem negávit, et est infidéli detérior. Quid áutem tam cuíque domésticum, quam paréntes filiis, aut paréntibus filii? Hujus ítaque salubérrimi praecépti ipse Magíster Sanctórum de seipso constituébat exémplum: quando non ut fámulae Deus, quam creáverat, et regébat; sed ut matri homo, de qua creátus fúerat, et quam relinquébat, álterum pro se quodámmodo filium providébat.

℟. Beátam me dicent omnes generatiónes: * Quia fecit mihi Dóminus magna qui potens est, et sanctum nomen ejus.

℣. Et misericórdia ejus a progénie in progénies timéntibus eum. Quia. Glória. Quia.

Lectio IX. Homil. de fer. curr.

DIE XVI. MARTII

In Festo B. TORELLI *Eremitae Ordinis Vallisumbrosae.* Duplex.

ORATIO

Quaesumus Omnípotens Deus, ut quibus fidúciam sperándae pietátis indúlges, interveniénte beáto Toréllo Confessóre tuo, véniam largiáris, et pacem. Per Dóminum.

IN I. NOCTURNO.

Beátus vir, qui invéntus est etc. *de Com. Conf. non Pont.* 2. *loco.*

IN II. NOCTURNO.

Lectio IV.

Toréllus Púpii in Etrúria ex nóbili Torélla família, ut fertur, progénitus, adoléscens patre orbátus, vitam laxáto in voluptátes fraeno, lascívam ducens, juventútis decórem liberáliter, ac religióse sub patérna disciplína pridem institútae, foede commutávit. Quadam vero die cum gallus e fenéstra super ejus húmeros, quasi ad poeniténtiam excitatúrus advolásset, íllico super ipsum manus Dei facta est, ac ingénti culpárum suárum dolóre concépto, in virum álterum convérsus evásit. Quare Abbátem sancti Fidélis Ordinis Vallisumbrósae ádiens, hábitum Eremíticum ab eo impetrávit, ac in solitúdinem milliário a Púpio distántem secéssit, in locum, qui ob avellanárum còpiam, Avellanétum nuncupátur: ubi céllula cum Oratório constrúcta, contínuos sexagínta annos in perpétuo poeniténtiae luctu vitam omni austeritátum génere aspérrimam, sed coeléstium meditatióne suávem transégit.

℟. Honéstum fecit.

Lectio V.

Coelésti gràtia confortátus, ut carnem suam in servitútem redígeret, pelle agrésti induebátur, sètulis ádeo hórrida, ut corpus dilaceráret. Léctulus nuda humus, ac cervícal saxum, aut lignum praebébat, ac férrea caténa se

usque ad sánguinis effusiónem diverberáre consuévit. Abstinéntia fuit singulári; nam pane, et aqua dumtáxat reficiebátur, et aliquándo bíduum transégit sine ullo cibo; sed post annos trigínta ob magnam córporis debilitátem, herbis ac módico vino uti compúlsus est.

℟. Amávit eum.

Lectio VI.

Cum áutem ad octogésimum aetátis annum pervenísset, ab Angelo futúrae mortis admónitus, percéptis rite sacrosánctis Mystériis migrávit ad Dóminum anno salútis millésimo ducentésimo et octogésimo secúndo, campánis Púpii sponte sonántibus. Cujus corpus, cum de sepultúra contenderétur, ferunt, a némine, nisi ab Abbáte, sub cujus obediéntia vivébat, dimovéri potuísse. Ejus virtútum, ac miraculórum fama nedum indígenas, sed finítimas quoque Civitátes ad ejus cultum excitávit. Qui cum apud Forolivénses máxime vigéret, ipsum Benedícto Decimoquárto Pontífice Máximo adprobánte, inter Patrónos suos cooptárunt.

℟. Iste homo.

In III. Noct. Hom. Ven. Bedae Presb. in Evang. Nolíte timére etc. *de eodem Comm. 2. loc.*

DIE XVIII. MARTII

In Festo S. Gabrielis Archang. Duplex.

Si celebretur in Quadragesima fit com. et dicitur nona Lectio de Feria occur.

Si vero celebretur post Pascha add tur Allelúja, *et Psalmi Noctur. dicuntur sub prima Antiphona uniuscujusque Nocturni.*

Ad Vesperas, Antiphona, Ingrésso Zacharía, *cum reliq. de Laudibus; Psalm.* Dixit Dóminus, *cum reliq. de Dominic. et loco ultimi Psalm.* Laudáte Dóminum omnes gentes.

Cap.

Ecce vir Gábriel, quem víderam in visióne a princípio, cito volans tétigit me in témpore sacrifícii vespertíni. Et dócuit me, et locútus est mihi, dixítque: Dániel, nunc egréssus sum, ut docérem te, et intellígeres. *Dan.* 9.

Hymnus.

Christe, sanctórum decus Angelórum,

Gentis humánae Sator, et Redémptor,
Coelitum nobis tríbuas beátas
Scándere sedes.
Angelus pacis Míchael in aedes
Coelitus nostras véniat, serénae
Auctor ut pacis, lacrymósa in orcum
Bella reléget.
Angelus fortis Gábriel, ut hostes
Pellat antíquos, et amíca coelo,
Quae triumphátor státuit per orbem,
Templa revísat.
Angelus nostrae médicus salútis
Adsit e coelo Ráphael, ut omnes
Sanet aegrótos, dubiósque vitae
Dírigat actus.
Virgo dux pacis, Genitríxque lucis,
Et sacer nobis chorus Angelórum
Semper assístat, simul et micántis
Régia coeli.
Praestet hoc nobis Déitas beáta
Patris, ac Nati, paritérque sancti
Spíritus, cujus résonat per omnem
Glória mundum. Amen.

℣. Stetit Angelus juxta aram templi.
℟. Habens thuríbulum áureum in manu sua.

Ad Magnificat, Antiphona. Ingréssus Gábriel Angelus ad Maríam Vírginem, dixit: Ave grátia plena, Dóminus tecum: Benedícta tu in muliéribus.

ORATIO

Deus, qui inter caeteros Angelos, ad annuntiándum Incarnatiónis tuae mystérium, Gabriélem Archángelum elegísti, concéde propítius; ut qui festum ejus celebrámus in terris, ipsíus patrocínium sentiámus in coelis. Qui vivis et regnas.

Ad Matutinum, Invitatorium. Regem Archangelórum Dóminum, * Veníte, adorémus.

Psal. Veníte, exultémus.

Hymnus: Christe, Sanctórum *ut supra in Vesperis.*

In I. Noct. Ant. Dixit Angelus Gábriel ad Daniélem: intéllige fili hóminis, quóniam in témpore finis implébitur vísio.

Psal. Dómine Dóminus noster, *cum reliq. ut in festo Dedicationis S. Michaelis Archangeli die 29. Septembr.*

Ant. Ecce vir Gábriel, quem víderam in visióne, cito volans tétigit me in témpore sacrifícii vespertíni, et dócuit me.

Ant. Cumque Gàbriel loquerétur ad me, collápsus sum pronus in terram, et tétigit me, et státuit me in gradu meo.

℣. Stetit Angelus juxta aram templi.

℟. Habens thuríbulum áureum in manu sua.

De Daniéle Prophéta.

Lectio I.

Cap. 3.

Ego Dániel, cum adhuc lóquerer, et orárem, et confitérer peccáta mea, et peccáta pópuli mei Israel, et prostérnerem preces meas in conspéctu Dei mei, pro monte sancto Dei mei; adhuc me loquénte in oratióne, ecce vir Gábriel, quem víderam in visióne a princípio, cito volans tétigit me in témpore sacrifícii vespertíni. Et dócuit me et locútus est mihi, dixítque: Dániel, nunc egréssus sum ut docérem te, et intellígeres. Ab exórdio precum tuárum egréssus est sermo: ego áutem veni ut indicárem tibi, quia vir desideriórum es: tu ergo animadvérte sermónem, et intéllige visiónem.

℟. Dum oráret Dániel, et confiterétur peccáta sua, et peccáta pópuli sui, * Ecce Archángelus Gábriel, cito volans, tétigit eum in témpore sacrifícii vespertíni.

℣. Cumque prostérneret preces suas in conspéctu Dei sui. Ecce.

Lectio II.

Septuagínta hebdómades abbreviátae sunt super pópulum tuum, et super urbem sanctam tuam, ut consummétur praevaricátio, et finem accípiat peccátum, et deleátur iníquitas, et adducátur justítia sempitérna, et impleátur vísio, et prophetía, et ungàtur, Sanctus Sanctórum. Scito ergo, et animadvérte: Ab éxitu sermónis, ut íterum aedificétur Jerúsalem, usque ad Christum ducem, hebdómades septem, et hebdómades sexagínta duae erunt; et rursum aedificábitur platéa, et muri in angústia témporum.

℟. Locútus est Gábriel Daniéli, et dixit: Ab exórdio precum tuárum egréssus est sermo: * Ego áutem veni ut indicárem tibi, quia vir desideriórum es.

℣. Tu áutem animadvérte sermónem, et intéllige visiónem. Ego áutem.

Lectio III.

Et post hebdómades sexa-

gínta duas occidétur Christus: et non erit ejus pópulus, qui eum negatúrus est. Et civitátem et sanctuárium dissipábit pópulus cum duce ventúro, et finis ejus vástitas, et post finem belli statúta desolátio. Confirmábit áutem pactum multis hebdómada una, et in dimídio hebdómadis defíciet hóstia, et sacrificium; et erit in templo abominátio desolatiónis: et usque ad consummatiónem et finem perseverábit desolátio.

℟. Ecce vir Gábriel, quem víderam, cito volans tétigit me in témpore sacrificii vespertíni, et dócuit me, et dixit: * Dániel, nunc egréssus sum, ut docérem te, et intellígeres.

℣. Gábriel fac me intellígere istam visiónem: et venit: et stetit juxta ubi ego stabam, et ait ad me. Dániel. Glória. Dániel.

IN II. NOCTURNO

Ant. Gábriel Angelus appàruit Zacharíae, dicens: Uxor tua Elísabeth páriet tibi filium, et vocábis nomen ejus Joánnem.

Ant. Et dixit Zacharías ad Angelum: Unde hoc sciam? ego enim sum senex, et uxor mea procéssit in diébus suis.

Ant. Respóndens àutem Angelus, dixit ei: Ego sum Gábriel, qui asto ante Deum: et missus sum loqui ad te, et haec tibi evangelizáre.

℣. Ascéndit fumus arómatum in conspéctu Dómini.

℟. De manu Angeli.

Sermo Sancti Bernárdi Abbátis.

Ex homil. de Laudibus Virg. super Missus est.

Lectio IV.

Missus est Angelus Gábriel a Deo. Non árbitror, hunc Angelum de minóribus esse, qui quálibet ex cáusa crebra sóleant ad terras fungi legatióne. Quod ex ejus nómine palam intélligi datur, quod interpretátum, fortitúdo Dei dícitur, et quia non ab áliquo álio forte excellentióre se (ut ássolet) spíritu, sed ab ipso Deo mitti perhibétur. Propter hoc ergo pósitum est, a Deo. Vel ídeo dictum est, a Deo, ne cui, vel beatórum spírituum, suum Deus ántequam Vírgini revelásse putétur consílium, excépto dumtáxat Archángelo Gabriéle. Qui útique tantae inter suos inveníri potúe-

rit excelléntiae, ut tali et nómine dignus haberétur, et núntio.

℟. Factum est cum sacerdótio fungerétur Zacharías in órdine vicis suae ante Deum, * Appáruit ei Angelus Gábriel, stans a dextris altáris incénsi.

℣. Cumque ingréssus in templum Dómini incénsum póneret secúndum consuetúdinem sacerdótii sui. Appáruit.

Lectio V.

Nec discórdat nomen a núntio Dei quippe virtútem Christum, quem mélius nuntiáre decébat, quam hunc, quem símile nomen honórat? Nam quid est áliud fortitúdo, quam virtus? Non áutem dédecens, aut incóngruum videátur, Dóminum et núntium commúni censéri vocábulo, cum símilis in utróque appellatiónis, non sit tamen utriúsque símilis cáusa. Aliter quippe Christus fortitúdo vel virtus Dei dícitur, áliter Angelus. Angelus enim tantum nuncupatíve, Christus áutem étiam substantíve.

℟. Descéndit Gábriel Angelus ad Zacharíam dicens: * Ne tímeas, quóniam exaudíta est deprecátio tua: et uxor tua Elìsabeth páriet tibi filium et vocábis nomen ejus Joánnem.

℣. Zacharías turbátus est videns, et timor írruit super eum; ait áutem ad illum Angelus. Ne tímeas.

Lectio VI.

Christus Dei virtus et dícitur, et est, qui forti armáto, qui suum átrium in pace custodíre solébat, fórtior supervéniens, ipsum suo bráchio debellávit; et sic ei vasa captivitátis poténter erípuit. Angelus vero fortitúdo Dei appellátus est, vel quod hujuscémodi merúerit praerogatívam officii, quo ejúsdem nuntiáret advéntum virtútis; vel quia Vírginem natúra pávidam, simplicem, verecúndam ne miráculi novitáte expavésceret, confortáre deberet, quod et fecit: Ne tímeas, ínquiens, María; invenísti enim grátiam apud Deum. Conveniénter ítaque Gábriel ad hoc opus elígitur: imo, quia tale illi negótium injúngitur, recte tali nómine designátur.

℟. Ego sum Gábriel, qui asto ante Deum; et missus sum loqui ad te, et haec evangelizáre: * Ecce eris tacens, et non póteris loqui usque in diem, quo haec fiant.

℣. Pro eo quod non credidísti verbis meis, quae implebúntur témpore suo. Ecce eris. Glória Patri. Ecce eris.

IN III. NOCTURNO

Ant. Missus est Angelus Gábriel ad Maríam Vírginem desponsátam Joseph.

Ant. Gábriel Angelus Maríae dixit: Ecce Elísabeth cognáta tua, et ipsa concépit fílium in senectúte sua.

Ant. Súscipe verbum virgo María, quod tibi a Dómino per Angelum Gabriélem transmíssum est.

℣. In conspéctu Angelórum psallam tibi Deus meus.

℟. Adorábo ad templum sanctum tuum, et confitébor nómini tuo.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio VII.

Cap. 1.

In illo témpore, Missus est Angelus Gábriel a Deo in civitátem Galilaeae, cui nomen Názareth, ad Vírginem desponsátam viro, cui nomen erat Joseph, de domo David, et nomen Vírginis María. Et réliqua.

Homilìa sancti Juliáni Archiepíscopi Toletáni.

Lib. 2. contra Judaeos, statim post principium.

Sacraméntum illud septuagínta hebdomadárum de Christi Nativitáte Dániel per Angelum dídicit: simíliter et Zacharías, apparénte sibi Angelo, Joánnem filium de se generándum audívit, et María Angelo sibi praedicénti Christum ex se nascéndum, et crédidit, et asséns it. Haec tria per Angelum dicta, et compléta vidémus. Jam ergo solícite intuéndum est, utrum Angelus iste, qui Zacharíae et Maríae appáruit, ipsi quoque Daniéli illa praedíxerit.

℟. Missus est Gábriel Angelus ad Maríam Vírginem desponsátam Joseph, núntians ei Verbum: et expavéscit Virgo de lúmine: * Ne tímeas María, invenísti enim grátiam apud Dóminum: ecce concípies, et páries, et vocábitur Altíssimi filius.

℣. Quae, cum audísset turbáta est in sermóne ejus; et cogitábat qualis esset ista salutátio, et ait Angelus ei. Ne tímeas.

Lectio VIII.

Equidem ipse Dániel in prophetíae suae volúmine, quando illa sacraménta hebdomadárum de Christi nativitáte per Angelum futúra cognóvit, sic ipsíus Angeli nomen evidénter expréssit. Dicit enim: Ecce vir Gábriel, quem víderam in princípio, cito volans tétigit me, et dixit: Dániel animadvérte sermónem, et réliqua quae ibi commemorántur. Item his tempóribus, secúndum Evangélium, Angeli ipsíus nomen miríficum sic invenítur expréssum. Dixit enim idem Angelus Zacharíae: Ego sum Gábriel, qui asto ante Deum, et missus sum loqui ad te, et haec tibi evangelizáre.

℟. Gáude María Virgo, cunctas haereses sola interemísti: * Quae Gabriélis Archángeli dictis credidísti, dum Virgo Deum et hóminem genuísti, et post partum Virgo inviolála permansísti.

℣. Benedícta tu in muliéribus, et benedíctus fructus ventris tui. Quae Gabriélis. Glória Patri. Quae Gabriélis.

Nona Lectio de Feria occurrente, nisi transferatur post Octavam Paschae, quia tunc dicitur sequens.

Lectio IX.

Quod étiam de beátae Maríae Vírginis partu sic in eódem Evangélio légitur: Missus est, inquit, Angelus Gábriel a Deo in civitátem Galilaeae, cui nomen Názareth, ad Vírginem desponsátam viro, cui nomen erat Joseph, de domo David, et nomen Vírginis María. Jam ergo manifléstum est, quod unus idémque Angelus Gábriel fúerit, qui et praefixa illa témpora Daniéli de Christi Nativitáte apéruit, et partum Vírginis praeséntem esse monstrávit. Ad tempus ítaque praefinítum occúrrit: et olim a se dicta, óperis efficiéntia compléta esse convíncit: et illic fidélis in prophetía hebdomadárum, et hic fidélis per mystérium revelátum.

Te Deum.

AD LAUDES

ET PER HORAS.

Ant.

Ingrésso Zacharía templum Dómini, appáruit ei Gábriel Angelus, stans a dextris altáris incénsi.

Psal. Dóminus regnávit, *cum reliquis. de Dom.*

Ant. Ait áutem Angelus: Ne tímeas Zacharía, quó-

niam exaudíta est deprecátio tua.

Ant. Ego sum Gábriel Angelus, qui asto ante Deum, et missus sum loqui ad te.

Ant. Gábriel Angelus locútus est Maríae, dicens: Ecce concípies in útero, et páries fílium, et vocábis nomen ejus Jesum.

Ant. Dixit áutem María ad Angelum: Quómodo fiet istud, quóniam virum non cognósco? Et respóndens Gábriel Angelus, dixit ei: Spíritus Sanctus supervéniet in te, et virtus Altíssimi obumbrábit tibi.

Cap. *Dan.* 9.

Ecce vir Gábriel, quem víderam in visióne a princípio, cito volans tétigit me in témpore sacrifícii vespertíni: et dócuit me, et locútus est mihi, dixítque: Dániel, nunc egréssus sum, ut docérem te, et intellígeres.

Hymnus.

Placáre, Christe, sérvulis,
Quibus Patris cleméntiam
Tuae ad tribúnal grátiae
Patróna Virgo póstulat.
Et vos beáta, per novem
Distíncta gyros, ágmina,
Antíqua cum praeséntibus,
Futúra damna péllite.
Auférte gentem pérfidam
Credéntium de fínibus,
Ut unus omnes únicum
Ovíle nos Pastor regat.
Deo Patri sit glória,
Natóque Patris único,
Sancto simul Paráclito
In sempitérna saecula.
Amen.

℣. Stetit Angelus juxta aram templi.

℟. Habens thuríbulum áureum in manu sua.

AD BENEDICTUS

Ant. Gábriel Angelus descéndit ad Zacharíam, et ait illi: Uxor tua páriet tibi fílium, et vocábis nomen ejus Joánnem, et multi in nativitáte ejus gaudébunt: ipse enim praeíbit ante fáciem Dómini paráre vias ejus.

ORATIO

Deus, qui inter caeteros Angelos, ad annuntiándum Incarnatiónis tuae mystérium, Gabriélem Archángelum elegísti, concéde propítius; ut qui festum ejus celebrámus in terris, ipsíus patrocínium sentiámus in coelis. Qui vivis et regnas.

Deinde fit com. fer., si facienda sit.

AD TERTIAM.

Ant. Ait áutem.

Cap. Ecce vir Gábriel, *ut supra.*

℟. *br.* Stetit Angelus * Juxta aram templi. Stetit.

℣. Habens thuríbulum áureum in manu sua. Juxta aram. Glória Patri. Stetit.

℣. Ascéndit fumus arómatum in conspéctu Dómini.

℟. De manu Angeli.

AD SEXTAM

Ant. Ego sum Gábriel.

Cap.

Dan. 9.

Ego áutem veni, ut indicárem tibi, quia vir desiderió-rum es. Septuagínta hebdómades abbreviátae sunt, ut finem accípiat peccátum, et impleátur vísio, et prophetía, et ungátur sanctus sanctó-rum.

℟. *br.* Ascéndit fumus arómatum * In conspéctu Dómini. Ascéndit fumus.

℣. De manu Angeli. In conspéctu. Glória Patri. Ascéndit.

℣. In conspéctu Angelórum psallam tibi Deus meus.

℟. Adorábo ad templum sanctum tuum, et confitébor nómini tuo.

AD NONAM

Ant. Dixit áutem María.

Cap.

Dan. 9.

Scito ergo, et animadvérte: Ab éxitu sermónis, ut íterum aedificétur Jerúsalem, usque ad Christum ducem hebdómades septem, et hebdómades sexagínta duae erunt.

℟. *br.* In conspéctu Angelórum * Psallam tibi, Deus meus. In conspéctu.

℣. Adorábo ad templum sanctum tuum, et confitébor nómini tuo. Psallam.

Glória Patri. In conspéctu.

℣. Adoráte Deum.

℟. Omnes Angeli ejus.

Vesp. de S. Joseph Confess. cum com. fer. Si autem Festum S. Joseph transferatur; in secundis Vesperis S. Gabrielis, omnia ut in primis, et loco ultim. Psal. Confitébor tibi Dómine in toto corde meo: * quóniam audísti. *ex fer.* 6. *in psalt.*

Capitulum et Hymnus ut supra in primis Vesperis.

℣. In conspéctu Angelòrum psallam tibi, Deus meus.

℟. Adorábo ad templum sanctum tuum, et confitébor nómini tuo.

AD MAGNIFICAT.

Antiphona

Archángelus Gábriel ait ad Maríam: Non erit impossíbile apud Deum omne verbum. Dixit áutem María: Ecce ancílla Dómini, fiat mihi secúndum verbum tuum. Et discéssit ab ea Angelus.

Oratio. Deus qui inter caeteros. *ut supra.*

DIE XIX. MARTII

IN FESTO

SANCTI JOSEPH

CONFESSORIS

SPONSI BEATAE MARIAE VIRGINIS

TOTIUS ETRURIAE PATRONI

Duplex 1. Classis.

AD VESPERAS

Antiphona.

Jacob áutem génuit Joseph virum Maríae, de qua natus est Jesus, qui vocátur Christus.

Psal. Dixit Dóminus etc. *cum reliq. de Dominica, et loco ult.* Laudáte Dóminum omnes Gentes etc.

Ant. Missus est Angelus Gábriel a Deo ad Vírginem desponsátam viro, cui nomen erat Joseph, de domo David, et nomen Vírginis, María.

Ant. Cum esset desponsáta Mater Jesu María Joseph, ántequam convenírent, invénta est in útero habens de Spíritu sancto.

Ant. Joseph vir ejus, cum esset justus, et nollet eam tradúcere, vóluit occúlte dimíttere eam.

Ant. Angelus Dómini appáruit Joseph, dicens: Joseph fili David, noli timére accípere Maríam cónjugem tuam: quod enim in ea natum est, de Spíritu Sancto est: páriet áutem filium, et vocábis nomen ejus Jesum.

Cap.

Prov. 28. *et* 27.

Vir fidélis multum laudábitur. Et qui custos est Dómini sui, glorificábitur.

Hymnus

Te, Joseph, célebrent ágmina coelitum,
Te cuncti résonent Christíadum chori,
Qui clarus méritis, junctus es ínclytae
Casto foedere Vírgini.
Almo cum túmidam gérmine cónjugem
Admírans, dúbio tángeris anxius,
Afflátu súperi fláminis Angelus
Concéptum púerum docet.
Tu natum Dóminum stringis, ad éxteras
Ægypti prófugum tu séqueris plagas;
Amíssum Sólymis quaeris, et ínvenis,
Miscens gáudia flétibus.
Post mortem réliquos mors pia cónsecrat,
Palmámque eméritos glória súscipit:
Tu vivens, superis par, frúeris Deo,
Mira sorte beátior.
Nobis, summa Trias, parce precántibus,
Da Joseph méritis sídera scándere,
Ut tandem líceat nos tibi pérpetim
Gratum prómere cánticum.
Amen.

℣. Constítuit eum Dóminum domus suae.
℟. Et príncipem omnis possessiónis suae.

AD MAGNIFICAT.

Ant. Exúrgens Joseph a somno fecit sicut praecépit ei Angelus Dómini, et accépit cónjugem suam.

ORATIO.

Sanctíssimae Genitrícis tuae spónsi, quaesumus, Dómine, méritis adjuvémur; ut quod possibílitas nostra non óbtinet, ejus nobis intercessióne donétur. Qui vivis et regnas cum Deo Patre, etc.

Si celebretur in Quadragesima fit commemoratio Feriae.

AD MATUTINUM

Invit. Christum Dei Fílium, qui putári dignátus est filius Joseph: * Veníte, adorémus.
Psal. Veníte, exultémus.

Hymnus

Coelitum Joseph, decus atque nostrae
Certa spes vitae, columénque mundi,
Quas tibi laeti cánimus, benígnus
Súscipe laudes.
Te Sator rerum státuit pudícae

Vírginis sponsum, voluítque
Verbi
Te patrem dici, dedit et minístrum
Esse salútis.
Tu Redemptórem stábulo
jacéntem,
Quem chorus Vatum cécinit
futúrum,
Aspicis gáudens, humilísque
natum
Numen, adóras.
Rex Deus regum, dominátor orbis,
Cujus ad nutum tremit inferórum
Turba, cui pronus famulátur
aether,
Se tibi subdit.
Laus sit excélsae Tríadi
perénnis,
Quae tibi praebens súperos
honóres,
Det tuis nobis méritis beátae
Gáudia vitae. Amen.

IN I. NOCTURNO.

Ant. Ascéndit Joseph a Galilaea de civitáte Názareth in Judaeam, in civitátem David, quae vocátur Béthlehem, ut profiterétur cum María.

Psal. Beátus vir, *cum reliquis de Comm. Conf. non Pontificis.*

Ant. Venérunt pastóres festinántes; et invenérunt Maríam, et Joseph, et Infántem pósitum in praesépio.

Ant. Ecce Angelus Dómini appáruit in somnis Joseph, dicens: Surge, et áccipe Púerum, et Matrem ejus, et fuge in Aegyptum.

℣. Constítuit eum Dóminum domus suae.

℟. Et príncipem omnis possessiónis suae.

De libro Génesis.

Lectio I.

Cap. 39.

Joseph ígitur ductus est in Ægyptum, emítque eum Pútiphar eunúchus Pharaónis, princeps exércitus, vir Ægyptius, de manu Ismaelitárum, a quibus perdúctus erat. Fuítque Dóminus cum eo, et erat vir in cunctis próspere agens: habitavítque in domo dómini sui, qui óptime nóverat Dóminum esse cum eo, et ómnia, quae géreret, ab eo dirigi in manu illíus. Invenítque Joseph grátiam coram dómino suo, et ministrábat ei, a quo praepósitus ómnibus, gubernábat créditam sibi domum, et univérsa, quae ei trádita fúerant: benedixítque Dóminus dómui Aegyptii propter Joseph.

℟. Fuit Dóminus cum Jo-

seph, et dedit ei grátiam in conspéctu príncipis cárceris: * Qui trádidit in manu illíus univérsos vinctos.

℣. Quidquid fiébat, sub ipso erat: Dóminus enim erat cum illo, et ómnia ópera ejus dirigébat. Qui.

Lectio II.

Genes. cap. 41.

Plácuit Pharaóni consílium Joseph et cunctis minístris ejus; locutúsque est ad eos: Num inveníre potérimus talem virum, qui spíritu Dei plenus sit? Dixit ergo ad Joseph: Quia osténdit tibi Deus ómnia, quae locútus es, numquid sapientiórem, et consímilem tui inveníre pótero? Tu eris super domum meam, et ad tui oris impérium cunctus populus obédiet: uno tantum regni sólio te praecédam.

℟. Esuriénte terra Aegypti, clamávit pópulus ad regem aliménta petens; quibus ille respóndit: * Ite ad Joseph, et quidquid vobis díxerit, fácite.

℣. Crescébat quotidie fames in omni terra, aperuìtque Joseph univérsa hórrea, et vendébat Aegyptiis. Ite.

Lectio III.

Genes. cap. 41.

Dixítque rursus Phárao ad Joseph: Ecce constítui te super univérsam terram Aegypti; tulítque ánnulum de manu sua, et dedit eum in manu ejus, vestivítque eum stola byssina, et collo torquem áuream circumpósuit. Fecítque eum ascéndere super currum suum secúndum; clamánte praecóne, ut omnes coram eo genuflécterent, et praepósitum esse scirent univérsae terrae Aegypti. Dixítque rex ad Joseph: Ego sum Phárao: absque tuo império non movébit quisquam manum, aut pedem in omni terra Aegypti.

℟. Fecit me Dóminus quasi patrem regis, et dóminum univérsae domus ejus: nolíte pavére, * Pro salúte enim vestra misit me Deus ante vos in Aegyptum.

℣. Veníte ad me; et ego dabo vobis ómnia bona Aegypti, et comedétis medúllam terrae. Pro. Glória Patri. Pro.

IN II. NOCTURNO.

Ant: Consúrgens Joseph accépit Púerum, et Matrem ejus nocte, et secéssit in Aegyptum, et erat ibi usque ad óbitum Heródis.

Ant. Defúncto Heróde, Angelus Dómini appáruit in somnis Joseph in Aegypto, dicens: Surge, et áccipe Púe-

rum, et Matrem ejus, et vade in terram Israel; defúncti sunt enim, qui quaerébant ánimam Púeri.

Ant. Accépit Joseph Púerum, et Matrem ejus, et venit in terram Israel.

℣. Magna est glória ejus in salutári tuo.

℟. Glóriam, et magnum decòrem impónes super eum.

Sermo Sancti Bernárdi Abbátis.

Homil. 2. super Missus prope finem.

Lectio IV.

Quis, et qualis homo fúerit beátus Joseph, cónjice ex appellatióne, qua, licet dispensatória, méruit honorári a Deo, ut pater Dei et dictus et créditus sit: cónjice et ex próprio vocábulo, quod augméntum non dúbitas interpretári. Simul et meménto magni illíus quondam Patriárchae vénditi in Aegypto, et scito ipsíus istum non solum vocábulum fuísse sortítum, sed et castimóniam adéptum, innocéntiam assecútum et grátiam.

℟. Ascéndit Joseph a Galilaea de civitáte Nàzareth in Judaeam, in civitátem David, quae vocatur Béthlehem; * Eo quod esset de domo, et família David.

℣. Ut profiterétur cum María desponsáta sibi uxóre. Eo quod.

Lectio V.

Síquidem ille Joseph fratérna ex invídia vénditus, et ductus in Aegyptum, Christi venditiónem praefigurávit: iste Joseph Herodiánam invídiam fúgiens, Christum in Aegyptum portávit; ille dómino suo fidem servans, dóminae nóluit commiscéri; iste Dóminam suam, Dómini sui matrem vírginem agnóscens, et ipse cóntinens, fidéliter custodívit. Illi data est intelligéntia in mystériis somniórum, isti datum est cónscium fieri, atque partícipem coeléstium sacramentórum.

℟. Surge, et áccipe Púerum, et Matrem ejus, et fuge in Aegyptum: * Et esto ibi, usque dum dicam tibi.

℣. Ut adimplerétur quod dictum est a Dómino per prophétam dicéntem: Ex Aegypto vocávi filium meum. Et esto.

Lectio VI.

Ille fruménta servávit non sibi, sed omni pòpulo; iste panem vivum e coelo servándum accépit tam sibi quam

toti mundo. Non est dúbium, quin bonus et fidélis homo fúerit iste Joseph, cui Mater desponsáta est Salvatóris. Fidélis, inquam, servus et prudens, quem constítuit Dóminus suae Matris solátium, suae carnis nutrìtium, solum dénique in terris magni consílii coadjutórem fidíssimum.

℟. Cum indúcerent púerum Jesum paréntes ejus, ut fácerent secúndum consuetúdinem legis pro eo: * Accépit eum Símeon in ulnas suas, et benedíxit Deum.

℣. Et erat pater ejus, et mater mirántes super his, quae dicebántur de illo. Accépit. Glória Patri. Accépit.

IN III. NOCTURNO

Ant. Audiens Joseph, quod Archeláus regnáret in Judaea pro Heróde patre suo, tímuit illo ire.

Ant. Admónitus in somnis Joseph secéssit in partes Galilaeae: et véniens habitávit in civitáte, quae vocátur Názareth, ut adimplerétur quod dictum est per prophétas: Quóniam Nazaraeus vocábitur.

Ant. Erat pater Jesu, et mater mirántes super his, quae dicebántur de illo; et benedíxit illis Símeon.

℣. Justus germinábit sicut lílium.

℟. Et florébit in aetérnum ante Dóminum.

Léctio Sancti Evangélii secúndum Matthaeum.

Lectio VII.

Cap. 1. *c.*

Cum esset desponsáta mater Jesu María Joseph, ántequam convenírent, invénta est in útero habens de Spíritu sancto. Et réliqua.

Homilía Sancti Hierónymi Presbyteri.

Lib. 1. *Com. in cap.* 1. *Matt.*

Quare non de símplici vírgine, sed de desponsáta concípitur? Primum, ut per generatiónem Joseph orígo Maríae monstrarétur: secúndo, ne lapidarétur a Judaeis ut adúltera: tértio, ut in Aegyptum fúgiens habéret solátium. Martyr Ignátius étiam quartam áddidit cáusam, cur a desponsáta concéptus sit: Ut partus, ínquiens, ejus celarétur diábolo, dum eum putat non de vírgine, sed de uxóre generátum.

℟. Dicit mater Jesu ad illum; Fili, quid fecísti nobis sic? * Ecce pater tuus, et ego doléntes quaerebámus te.

℣. Et ait ad illos: Quid est,

quod me quaerebátis ? nesciebátis, quia in his, quae Patris mei sunt, opórtet me esse? Ecce pater tuus.

Lectio VIII.

Antequam convenírent; invénta est in útero habens de Spíritu sancto. Non ab álio invénta est, nisi a Joseph, qui pene licéntia maritáli futúrae uxóris ómnia nóverat. Quod áutem dícitur, ántequam convenírent, non séquitur, ut póstea convénerint, sed Scriptúra, quod factum non sit, osténdit.

℟. Descéndit Jesus cum eis, et venit Názareth: * Et erat súbditus illis.

℣. Proficiébat sapiéntia, et aetáte, et grátia, apud Deum, et hómines. Et erat. Glória Patri. Et erat.

Nona Lectio dicitur de Homilia Feriae occurrentis, si celebretur in Quadragesima. Si vero post Pascha.

Lectio IX.

Joseph áutem vir ejus cum esset justus, et nollet eam tradúcere, vóluit occúlte dimíttere eam. Si quis fornicáriae conjúngitur, unum corpus efficitur: et in lege praecéptum est, non solum reos, sed et cónscios críminum obnóxios esse peccáti: quómodo Joseph, cum crimen celáret uxóris, justus scríbitur? Sed hoc testimónium Maríae est, quod Joseph sciens illíus castitátem, et admírans quod evénerat, celat siléntio cujus mystérium nesciébat.
Te Deum laudámus.

AD LAUDES

ET PER HORAS.

Antiphona

Ibant paréntes Jesu per omnes annos in Jerúsalem, in die solémni Paschae.

Psalm. Dóminus regnávit, *cum reliquis de Dominica.*

Ant. Cum redírent, remánsit puer Jesus in Jerúsalem, et non cognovérunt paréntes ejus.

Ant. Non inveniéntes Jesum, regréssi sunt in Jerúsalem, requiréntes eum; et post tríduum invenérunt illum in templo sedéntem in médio doctórum, audiéntem, et interrogántem eos.

Ant. Dixit mater ejus ad illum: Fili, quid fecísti nobis sic? Ecce pater tuus, et ego doléntes quaerebámus te.

Ant. Descéndit Jesus cum eis, et venit Názareth, et erat súbditus illis.

Cap.

Prov. 28. *et* 27.

Vir fidélis multum laudábitur. Et qui custos est Dómini sui glorificábitur.

Hymnus

Iste, quem laeti cólimus fidéles,
Cujus excélsos cánimus triúmphos,
Hac die Joseph méruit perénnis
Gáudia vitae.
O nimis felix, nimis o beátus,
Cujus extrémam vígiles ad horam
Christus, et Virgo simul astitèrunt
Ore seréno.
Hinc stygis victor, láqueo solútus
Carnis, ad sedes plácido sopóre
Migrat aetérnas, rutilísque cingit
Témpora sertis.
Ergo regnántem flagitémus omnes
Adsit ut nobis, veniámque nostris
Obtinens culpis, tríbuat supérnae
Múnera pacis.
Sint tibi pláusus: tibi sint honóres,
Trine, qui regnas Deus, et corónas
Aureas servo tríbuis fidéli
Omne per aevum. Amen.

℣. Os justi meditábitur sapiéntiam.
℟. Et lingua ejus loquétur judícium.

AD BENEDICTUS

Ant. Ipse Jesus erat incípiens, quasi annórum trigínta, ut putabátur filius Joseph.

ORATIO

Sanctíssimae Genitrícis tuae Sponsi, quaesumus Dómine méritis adjuvémur; ut quod possibílitas nostra non óbtinet, ejus nobis intercessióne donétur. Qui vivis et regnas cum Deo Patre.

Deinde fit commemoratio Feriae, si celebretur in Quadragesima.

AD TERTIAM

Ant. Cum redírent.
Capit. Vir fidélis, *ut supra.*
℟. *br.* Constítuit eum, * Dóminum domus suae. Constítuit.
℣. Et príncipem omnis pos-

sessiónis suae. Dóminum. Glória Patri. Constituit.

℣. Magna est glória ejus in salutári tuo.

℟. Glóriam et magnum decórem impónes super eum.

AD SEXTAM

Ant. Non inveniéntes.

Capitulum

Eccl. 45.

Diléctus Deo, et homínibus, cujus memória in benedictióne est. In fide, et lenitáte ipsíus sanctum fecit illum, et elégit eum ex omni carne.

℟. *br.* Magna est glória ejus, * In salutári tuo. Magna est.

℣. Glóriam, et magnum decórem impónes super eum. In salutári. Glória Patri. Magna est.

℣. Justus germinábit sicut lílium.

℟. Et florébit in aetérnum ante Dóminum.

AD NONAM

Ant. Descéndit Jesus.

Capitulum

Sap. 10.

Prófugum justum dedúxit Sapiéntia per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei, et dedit illi sciéntiam sanctórum, honestávit illum in labóribus, et complévit labòres illíus.

℟. *br.* Justus germinábit, * Sicut lílium. Justus.

℣. Et florébit in aetérnum ante Dóminum. Sicut. Glória Patri. Justus.

℣. Plantátus in domo Dómini.

℟. In átriis domus Dei nostri.

IN II. VESPERIS

Ant. Ibant paréntes, *ut in Laudibus, Psalmi, Capitulum, et Hymnus, ut in primis Vesperis.*

℣. Glória, et divítiae in domo ejus.

℟. Et justítia ejus manet in saeculum saeculi.

AD MAGNIFICAT

Ant. Ecce fidélis servus et prudens, quem constítuit Dóminus super famíliam suam.

ORATIO

Sanctíssimae genitrícis tuae *ut supra.*

Deinde fit Commem. Feriae occurr.

DIE XX. MARTII

In Festo B. Hippolyti Ga-

LANTINI *Conf. Fundatoris Congregation. Doctrinae Christianae in Hetruria.* Duplex.

Omnia de Communi Conf. non Pont. praeter sequentia.

ORATIO

Deus, qui ad Christiánam parvulórum, et rúdium institutiónem beátum Hippólytum inter saeculi curas singulári charitáte decorásti: ipsius méritis concéde, nos ópere implére, quae fide percépimus, et ad promíssa fidélibus gáudia perveníre. Per Dóminum etc.

LL. 1. n. de Com. 1. loco si celeb. in Quadr., si post Pasch. de Scr. occ.

Lectio IV.

Hippólytus Galantínius Floréntiae natus simul ac pródiit in lucem, divínitus praesénti mortis perículo eréptus est. Primam grátiam per Baptísmum ipsi collátam vel puer diligentíssime custodívit, et pro víribus áuxit. Neque enim tantum a soláliis et nugis istíus aetátis abhórruit, sed et pietátem sic cóluit, ut novénnis dignus sit hábitus, qui Angelórum pane reficerétur. Quum aliquándiu fuísset solitúdinem meditátus, arcáno Dei consílio, mutáta mente, patris artem, qui textor erat sericórum, proféssus est. Sed nil idcírco prístina ejus in Deum, et fratres deférbuit cháritas: immo ad propagándam glóriam illíus, ad consuléndum horum salúti factus alácrior, vix duódecim annos natus totum se Christiánae institutióni rúdium hòminum, ac puerórum addíxit.

℟. Honéstum fecit.

Lectio V.

Quum vero ad útilem aliórum institutiónem sciret magis exémpla, quam verba condúcere, ut res sibi benevérteret, stúduit quotídie novis increméntis virtútum ómnium, in quibus sese jam a pueritia exercùerat, severioríque praesértim custódia virgínei pudóris, quem una cum baptismáli innocéntia usque ad extrémum hálitum servávit intemerátum. Vita ad hanc normam compósita eam sanctitátem adéptus est, quam tantópere María Magdaléna de Pazzis, et Camíllus de Lellis suspexére, quamque ipse Deus supérnis charismátibus ditávit, praesértim prophetíae, et curatiónum dono, atque grátia sermónis. Tanta enim mens ejus coeléstí luce perfúsa est, tanta índita in

ejus ánimum dicéndi vis atque cópia, ut non modo púeros, imperitósque hómines ad Evangélicam legem erudíret, sed étiam perditíssimos quosque e vitiórum sémita ad virtútis trámitem revocáret. Quae res et invídiam obtrectatórum illíus in benevoléntiam convértit, et hujúsmodi apud viros príncipes ipsi conciliávit auctoritátem, ut Magni Hetrúriae Duces eum concionántem audíre gestíverint, maximéque probáverint, et Alexánder Medíceus tunc Florentínus Archiepíscopus, dein Póntifex Máximus Leo Undécimus novum díxerit Urbis ejus Apóstolum.

℟. Amávit eum Dóminus.

Lectio VI.

Cúpiens áutem étiam in pósterum piae institutióni prospícere, Sodalitátem quamdam cui éadem committerétur, designábat: simul rogábat assídue Patrem lúminum, ut hac super re, quod ei erat plácitum, sibi próderet. Perseveránti in oratióne servo Dei Christus Dóminus sese conspiciéndum exhíbuit, qui et evúlsis e cruce mánibus Hippólytum álloquens, ínitum ab ipso consílium sibi probári significávit. Hac ille visióne coelésti, et voce recreátus Congregatiónem instítuit a Doctrína Christiána nuncupátam, cujus Sodáles in saeculo vivunt a caeteris Láicis hábitu tantum próprio, et modésto discrepántes, sapientíssimis regúntur légibus, queis custodítis ad ápicem perfectiónis conténdant, se in informándis adolescéntulis, atque indóctis homínibus ad religiónem, morúmque disciplínam exèrcent in sacra Aede Congregatiónis sub horas vespertínas. Consuetúdinem hanc Institútor est a Philíppo Nério mutuátus non secus, atque áliam revócandi Bacchanálium témpore Alúmnos per innócua solátia, sacrósque concéntus a periculósis voluptátibus, quibus et illam adjécit expléndi per idem tempus páuperum famem épulo magnificentíssimo. Rebus sic institútis propítio Númine Congregátio Doctrínae Christiánae non Floréntiae tantum altas egit radíces, sed et ad álias Itáliae urbes príncipes, Lucam, Mutinámque pervásit. Voti compos Hippólytus, tot, tantísque perfúnctus labóribus, praemióque matúrus abdormivit in Dómino die vigésima Mártii Anno millésimo

sexcentésimo décimo nono, aetátis quinquagésimo quinto. Eum virtútibus et miráculis clarum Leo Duodécimus Póntifex Máximus piaculári Anno millésimo octigentésimo vigésimo quinto Beatórum fastis adsrípsit.

℟. Iste homo perfècit.

IN III. NOCTURNO.

LL. de Comm. 1. loc.

DIE XXV. MARTII.

In Metropol. DEDICATIO ECCLES. *dup. 1. cl. Omn. ut in Comm. Dedic. Eccl.*

DIE XXVI. MARTII

Ass. ex praeced.

In Metropol. ANNUNTIAT. B. M. V. *dup. 2. cl. omn. ut in Brev. 25. huj.*

Extr. Metrop. DEDICAT. ECCLES. METROP. *dup. omn. ut in Comm. Dedic. Eccl.*

FESTA APRILIS

DIE I. APRILIS

In Festo IMPRESSIONIS SACR. STGIMATUM *in Corpore* S. CATHARINAE *Virginis Senensis.* Duplex. *Omnia de Commun. Virgin. praeter ea, quae hic notantur.*

ORATIO.

Da, quaesumus, omnípotens Deus, qui beátae Catharínae Vírginis tuae sacra Stígmata cólimus; et ánnua solemnitáte laetémur, et tantae virtútis proficiámus exémplo. Per Dóminum etc.

IN I. NOCTURNO

Lect. 1. n. de Script. occurr. si venerit in Quadrag. quia tunc erunt, De Virgínibus, *ut in Communi Virginum* 1. *loco.*

IN II. NOCTURNO.

Lectio IV.

Catharína virgo Senénsis, post suscéptum beáti Domínici hábitum, quem soróres de Poeniténtia gestáre solent, divíno amóre succénsa, oratiónibus, piísque meditátiónibus mentem suam júgiter nutriébat; praesértim sacra Domínicae Passiónis mystéria meditári consuéverat; ac tanto spíritu erga illa ferebátur, ut in iisdem contemplándis per plures horas síngulis diébus

detinerétur. Communióne altáris, quae illi ferme quotidiána fuit, toto cordis afféctu suscépta, mox in áera extólli videbátur. Dum áutem his divínis contemplatiónibus pascebátur, plúribus grátiis donáta est, ac étiam sacris Stigmátibus, insigníta.

℟. Propter.

Lectio V.

Cum namque Pisis immorarétur, die Domínico reféсta cibo coelésti, et in éxtasim rapta, vidit Dóminum Crucifixum magno cum lúmine adveniéntem, et ex ejus vúlnerum cicatrícibus quinque rádios ad quinque loca sui córporis descendéntes. Ideóque mystérium advértens Dóminum precáta, ne cicatríces apparérent, contínuo rádii colórem sanguíneum mutavérunt in spléndidum, et in forma purae lucis pervenérunt ad manus, pedes, et cor ejus; ac tantus erat dolor, quem, sensibíliter patiebátur, ut brevi se créderet moritúram.

℟. Dilexísti.

Lectio VI.

Hanc ítaque grátiam amantíssimus Dóminus nova grátia cumulávit, ut sentíret dolórem, illápsa vi vúlnerum, et cruénta signa non apparérent. Quod ita contigísse cum Dei fámula Confessário suo Raymúndo retulísset; ut óculis étiam repraesentarétur, rádios in imagínibus beátae Catharínae, ad dicta quinque loca pertingéntes, pia fidélium cura pictis colóribus expréssit. Deinde vero Benedíctus Décimus tértius Póntifex Máximus, Ordinis Praedicatórum ut eorúmdem corda in Christi Crucífixi amórem inflammaréntur, univérso Praedicatórum Ordini tantae rei memóriam anniversária solemnitáte celebrári concéssit.

℟. Afferéntur.

IN III. NOCTURNO

Lect. de Homil. in Ev. Símile erit Regnum coelórum decem Virgínibus, *de Comm. Virg. 1. loco.*

DIE IV. APRILIS.

In Festo S. Isidori *Episcopi, Conf. et Doct.* Duplex. *Omnia de Comm. Conf. Pontificis, praeter ea, quae hic ponuntur propria.*

Ad Magnificat, in utrisque Vesp. Ant. O Doctor óptime,

Ecclésiae sanctae lumen, beáte Isidóre, divínae legis amátor, deprecáre pro nobis Fílium Dei.

ORATIO.

Deus, qui pópulo tuo aetérnae salútis beátum Isidórum minístrum tribuísti; praesta quaesumus; ut, quem Doctórem vitae habúimus in terris, intercessórem habére mereámur in coelis. Per Dòminum nostrum etc.

Et fit commemor. Feriae occurrentis, si venerit in Quadragesima.

IN I. NOCTURNO

Lect. Sapiéntiam ómnium antiquórum, *de Communi Doctorum.*

IN II. NOCTURNO

Lectio IV.

Isidórus natióne Hispánus, Doctor egrégius, ex nova Carthágine Severiáno patre Provinciae Duce natus, a sanctis Epìscopis Leándro Hispalénsi, et Fulgéntio Carthaginénsi frátribus suis pie et liberáliter educátus, Latínis, Graecis, et Hebráicis lítteris; divinísque, et humánis légibus instrúctus, omni sciéntiárum, atque Christianárum virtútum génere praestantíssimus evásit. Adhuc adoléscens haeresim Ariánam, quae gentem Gothórum Hispániae latíssime dominántem jam pridem inváserat, tanta constántia palam oppugnávit, ut parum abfúerit, quin ab Haeréticis necarétur. Leándro vita functo, ad Hispalénsem Cáthedram invítus quidem, sed urgénte in primis, Reccarédo Rege, magnóque étiam Cleri, populíque consénsu assúmitur, ejúsque electiónem sanctus Gregórius Magnus, nedum auctoritáte Apostólica confirmásse, et eléctum transmísso de more pállio decorásse, quin étiam suum, et Apostólicae Sedis in univérsa Hispánia Vicárium constituísse perhibétur.

℟. Invéni David.

Lectio V.

In Episcopátu quantum fúerit constans, húmilis, pátiens, miséricors, in Christiána, et Ecclesiástica disciplína instauránda sollícitus, eáque verbo, et scriptis stabiliénda indeféssus, atque omni demum virtútum ornaménto insignítus, nullíus lingua enarráre sufficeret. Monástici

quoque institúti per Hispániam promótor, et amplificátor exímius, plura construxit monastéria, collégia ítidem aedificávit, ubi stúdiis sacris, et lectiónibus vacans, plúrimos discípulos, qui ad eum confluébant, erudívit, quos inter sancti Ildefónsus Toletánus, et Bráulio Caesaraugustánus Epíscopi emicuérunt. Coácto Híspali Concílio Acephalórum haeresim Hispániae jam minitántem, acri et eloquénti disputatióne fregit, atque contrívit. Tantam apud omnes sanctitátis, et doctrínae famam adéptus est: ut elápso vix ab ejus óbitu sextodécimo anno, univérsa Toletána Synodo duórum supra quinquagínta Episcopórum plaudénte, ipsóque étiam sancto Ildefónso suffragánte, Doctor egrégius, Cathólicae Ecclésiae novíssimum decus; in saeculórum fine doctíssimus, et cum reveréntia nominándus appellári merúerit, eúmque sanctus Bráulio non modo Gregório Magno comparáverit, sed et erudiéndae Hispániae loco Jacóbi Apóstoli coelitus datum esse censúerit.

℟. Pósui adjutórium.

Lectio VI.

Scripsit Isidórus libros Etymologiárum, et de Ecclesiásticis Offíciis, aliósque quamplúrimos Christiánae, et Ecclesiásticae disciplínae ádeo útiles, ut sanctus Leo Papa quartus ad Epíscopos Británniae scríbere non dubitáverit, sicut Hierónymi, et Augustíni, ita Isidóri dicta retinénda esse, ubi contígerit inusitátum negótium, quod per Cánones mínime definíri possit. Plures étiam ex ejúsdem scriptis senténtiae inter Canónicas Ecclésiae leges relátae conspiciúntur. Praefuit Concílio Toletáno Quarto, ómnium Hispániae celebérrimo. Dénique cum ab Hispánia Ariánam haeresim eliminásset, morte sua et Regni vastatióne a Saracenórum armis públice praenuntiáta, postquam quadragínta círciter annos suam rexísset Ecclésiam, Híspali migrávit in coelum anno sexcentésimo trigésimo sexto. Ejus corpus inter Leándrum fratrem, et Florentínam sorórem, ut ipse mandáverat, primo cónditum Ferdinándus primus Castéllae, et Legiónis Rex ab Eneto Saracéno, Híspali dominante, magno prétio redémptum, Legiónem tránstulit, et in ejus honórem templum aedificátum est, ubi miráculis clarus magna pópuli devotióne cólitur.

℟. Iste est

IN III. NOCTURNO.

Léctio Sancti Evangélii secúndum Matthaeum.

Lectio VII.

Cap. 5.

In illo témpore: dixit Jesus discìpulis suis: Vos estis sal terrae. Quod si sal evanúerit, in quo saliétur? Ad níhilum valet ultra, nisi ut mittátur foras, et conculcétur ab homínibus. Et réliqua.

Homilía sancti Isidóri Episcopi.

Ex lib. 2. *Officiorum ad Fulgentium.*

Cap. 5.

Qui in erudiéndis, atque instituéndis ad virtútem pópulis praeerit, necésse est, ut in ómnibus sanctus sit: et in nullo reprehensíbilis habeátur. Qui enim álium de peccátis árguit, ipse a peccáto debet esse aliénus. Nam qua fronte subjéctos argúere póterit, cum illi statim possit corréctus ingérere: ante doce te, quae recta sunt? Prímitus quippe semetípsum corrígere debet, qui álios ad bene vivéndum admonére studet, ita ut in ómnibus semetípsum formam vivéndi praebeat, cunctósque ad bonum opus, et doctrína et ópere próvocet. Cui étiam sciéntia Scripturárum necessária est: quia si Epíscopi tantum sancta sit vita sibi soli prodest, sic vivens. Porro si et doctrína, et sermóne fúerit erudítus, potest caeteros quoque instrúere, et docére suos, et adversários repercùtere, qui nisi refutáti fúerint, atque convícti, fácile possunt simplícium corda pervértere.

℟. Amávit.

Lectio VIII.

Hujus sermo debet esse purus, simplex, apértus, plenus gravitátis et honestátis, plenus suavitátis, et grátiae, tractans de mystério legis, de doctrína fidei, de virtúte continéntiae, de disciplína justítiae: unumquémque ádmonens divérsa exhortatióne, juxta professiónem, morúmque qualitátem: scílicet ut praenóscat quid, cui, quando, vel quómodo próferat. Cujus prae caeteris speciále officium est Scriptúras légere, percúrrere Cánones, exémpla sanctórum imitári, vigíliis, jejúniis, oratiónibus incúmbere, cum frátri-

bus pacem habére, nec quemquam de membris suis discérpere nullum damnáre nisi comprobátum, nullum excommunicáre, nisi discússum. Quique ita humilitáte páriter, et auctoritáte praeésse debet, ut neque per nímiam humilitátem suam subditórum vítia convaléscere fáciat, neque per immoderántiam severitátis potestátem exérceat, sed tanto cáutius erga commíssos sibi, quanto dúrius a Christo indagári formídat.

℟. In médio.

Si venerit in Quadrag. Lectio IX. dicitur de Homilia Feriae occurrentis, cum ejus commemor. in Laudibus.

Lectio IX.

Tenébit quoque illam supereminéntem donis ómnibus charitátem, sine qua omnis virtus nihil est. Custos enim castitátis cháritas, locus áutem hujus custódis humílitas. Habébit étiam inter haec ómnia castitátis eminéntiam; ita ut mens Christo dédita, ab omni inquinaménto carnis sit munda, et líbera. Inter haec oportébit cum solicita dispensatióne curam páuperum gérere, esuriéntes páscere, vestíre nudos, suscípere peregrínos, captívos redímere, víduas ac pupíllos tuéri, pervígilem in cunctis exhibére curam, providéntiam habére distributióne discréta. In quo étiam hospitálitas ita erit praecípua, ut omnes cum benignitáte, et charitáte suscípiat. Si enim omnes fidéles illud Evangélicum audíre desíderant: Hospes fui, et suscepístis me, quanto magis Epíscopus, cujus diversórium cunctórum debet esse receptáculum?

Te Deum.

Vesp. a cap. de S. Vincentio Ferrerio cum commem. S. Isidori, et Feriae, si venerit in Quadrag.

DIE IX. APRILIS

In Festo B. UBALDI DE ADIMARIIS *Conf. Fl. Ord. Serv. B. M. V.* Duplex.

ORATIO

Ecclésiam tuam, quaesumus Dómine, júgiter amplificáre dignéris, et beáto Ubáldo deprecánte, ab impiórum seditiónibus, et ab hóstium insídiis incólumem custodíre. Per Dóminum etc.

Lectiones I. Nocturni de Scriptura occurrente.

Si venerit in Quadrag. ll. 1. n. Beátus vir. *de Comm. 2. loco.*

IN II. NOCTURNO.

Lectio IV.

Ubáldus ex illústri de Adimáriis família Floréntiae ortus in ea adhuc júvenis incúrrit luctuósa témpora, quibus univérsa pene Itália ita cívium seditiónibus aestuábat, ut jura ómnia ímpie permisceréntur, atque ipsa prae coeteris Florentína Respública jam ad intéritum rúere viderétur. In haec dissídia Ubáldus non modo témere sese conjécerat, quin et ductórum unus Ghibellinórum partes advérsus Guelfos furióse agitábat. Sed cum anno millésimo ducentésimo octogésimo Nicoláus Tértius Summus Póntifex ad hos motus componéndos Cardinálem Ursínum nepótem suum una cum sancto Philíppo Benítio Floréntiam misísset, opitulánte Deo, horum ópera factum est, ut et tranquíllitas urbi restituerétur, et Ubáldus ipse divínis tandem vócibus obtemperáret. Qui quum novísset Bonaventúram Bonaccúrsium, álterum Pistórii ejúsdem factiónis antesignánum, Phílippi mónitis ad saniórem mentem redíisse, et Institútum Servórum Beátae Vírginis fuísse ampléxum, eo nóbili exémplo commótus et ipse ad sanctum Virum confúgit religiósum póstulans hábitum. Eúmdem áutem Philíppus, perículo adhíbito, a Deo vocátum, et in propósito constántem expértus voti cómpotem fecit.

℟. Honéstum.

Lectio V.

Ut vere uberióres poeniténtiae fructus ferret, Ubáldus ad Senárium Montem juxta Floréntiam conténdit, ubi sacri hujus Ordinis Fundatóres frequénter degébant: ibíque aliquándiu reclúsus austerióres Anachorétas aemulári satagébat vigíliis et precatiónibus júgiter inténtus, ita ut córporis mácies, et mutáta spécies mutátos patefácerent mores. Illinc superiórum jussu revocátus, et ad Sacerdótium assúmptus, eúmdem sanctum Philíppum suprémum Ordinis Praesulem in multis itinéribus prosecútus est, quem in conciónibus, et in áliis sanctis opéribus ad animárum salútem impénsis plúrimum adjuvábat. Cui proptérea ádeo accéptus

erat, ut non modo a consíliis saepenúmero eum habéret, sed étiam ut fama refert, ejúsdem ópera in sacramentáli confessióne uterétur. Cum áutem Tudérti pretiósae hujus Patris morti, quam divínitus praenóverat, interésse meruísset, hinc ad sémitam perfectiónis alácrius capesséndam excitátus, ad Senárium Montem revérti festinávit, ubi duris vitae labóribus sese subjíciens, stúdium omne ad virtútum ápicem attingéndum conferébat.

℟. Amávit.

Lectio VI.

Ad haec ígitur pietátis exercítia sédulo incúmbens cum verbis, tum exémplis plúribus opem tulit, plurésque item ad pacem compósuit. Verum de se ita modéste sentiébat, ut quamvis esset prudéntia et líteris exornátus, ab omni praefectúra tamen recésserit, et obedíre semper malúerit, quam praésse. At clementíssimus Deus, qui dat humílibus grátiam, non intérnis tantum charismátibus fidélem servum locupletàvit, sed praetérea splendóre insignívit miraculórum; unde majóri fidúcia erigebátur, culpárum véniam, quas deflébat perpétuo, jam sibi Deum dedísse. His, alíisque virtútibus nonnúlli ex eádem clara Adimariórum gente percúlsi hunc religiósum Ordinem compléxi sunt quem et abúnde illustrárunt. Interim vir dei cum trigínta et septem annos in summa vitae simplicitáte ac abstinéntia transegísset; septuagenário major quinto Idus Aprílis anno salútis millésimo tercentésimo decimoquínto in Monte Senário sancto fine quiévit, et illíus corpus penes Arcam beatórum septem Patrum Ordinis Fundatórum veneratiónis cáusa cónditum est, ubi póstea reápse adinvéntum. Cultum ígitur ei ab immemorábili exhíbitum quum Pius Séptimus Póntifex Máximus oráculo suo probásset, Officio et Missa illíus memóriam univérso Ordini Servórum Deíparae celebrándam indúlsit.

℟. Iste homo.

IN III. NOCTURNO.

Lectiones de Comm. 1. *loco. Si hoc Fest. venerit in Quadrag. IX. Lect. erit de Homil. Fer. curr.*

DIE XIX. APRILIS.

In Festo S. Crescentii Conf. Flor. Duplex majus.

Omn. de Com. CC. non PP. 1. *loc. or.* Deus, qui nos.

DIE XX APRILIS.

In Festo S. AGNETIS *Virg. de Monte Politiano.* Duplex. *Omnia de Comm. Virg. praeter ea quae hic habentur propra.*

ORATIO

Deus, qui beátam Agnétem Vírginem tuam coelèsti rore saepe perfúndere, et oratiónis ejus loca divérsis enátis flóribus decoràre dignátus es: concéde propítius, ut ejus précibus perpétuo tuae benedictiònis rore conspérsi, aeternitátis fructus percípere mereámur. Per Dóminum nostrum.

In I. Noct. Lect. de Script. occurr.

IN II. NOCTURNO.

Lectio IV.

Agnes virgo Ordinis sancti Domínici, in pago quodam Montis Politiáni ab oscúris, sed piis, ac locuplétibus est orta paréntibus; cujus ortum insígnem ómnibus réddidit illústre miráculum, quod in conclávi, dum e matris alvo prodíret, accénsae céreae faces divínitus apparuérunt, portendéntes lucem quam orbi terrárum allatúra esset. Infàntula, negléctis lúsibus saepe in remótum áliquem locum se abdébat, ut sese totam Jesu Christo, quem sponsum elégerat, ex ánimo commendáret. Quodam die Montem Politiánum a suo pago petens, in collem venit, qui in urbis pomério est, ubi meretríces quaedam agébant. Illic virgo infántula rostris, et únguibus a quibúsdam tetris, sordidísque corvis appetíta est, tamquam praesagiéntibus daemónibus, illam suis conátibus olim ácriter adversatúram. Nonum agens annum, multis précibus a paréntibus impetrávit, ut in coenóbio Vírginum, cui nomen a Sacco est, in ipso Monte Politiáno totam suo se Sponso dicáret: in quo tanta ánimi alacritáte coepit in precatiónibus, sacris lectiónibus, aliísque religiósis exercitatiónibus tempus omne consúmere, ut étiam córporis necessitátibus, quod posset, subtráheret. Modéstiam, obediéntiam, humilitátem in primis cóluit, mentis integritátem, et córporis pudicítiam ádeo adamávit, ut ad tantum thesáurum fací-

lius, et tútius conservándum, tenéllum corpus jejúniis, vigiliísque conficeret.
℟. Propter.

Lectio V.

Et ne lucérna ardens sub módio latéret, sed super candelábrum ponerétur, Agnes Dei nutu ad instituéndum novum sacrárum Vírginum coenóbium in oppido, vulgo Procéno, intra fines agri Orviéti cum sua magístra Margaríta delécta est. Mox eídem coenóbio propter exímiam vitae sanctitátem: seniléмque prudéntiam, licet quintum décimum annum nondum egísset, Summi Pontíficis jussu invíta praeficitur. Tunc ómnium stúdia virtútum ardéntius cólere coepit. Per annos quíndecim, quos hic vixit, quotídie jejunávit, solo pane, et aqua satis conténta; sed et lectus nuda humus, cervícal durum saxum ipsi fuit. Deum frequénter orábat, ut regéndo monastério aetátis suae imbecillitátem divína virtúte firmáret; et ab oratióne, ac divinárum rerum contemplatióne, non nisi magno cum ánimi dolóre, avocabátur. Saepe áutem ejus pállium, cum ab oratióne súrgeret, invéntum est cándido rore conspérsum, cujus roris guttae síngulae crucis figúram habébant. Quin étiam templi ara primária, et totum paviméntum eo die, quo Christi sponsam Epíscopus, praesénte univérso Clero, et pópulo consecrávit, símili rore conspérsum est. Intérdum quoque locum, quem orándo flexis génibus tangébat, enáti súbito flores, violaeque pulchérrimae ornárunt. Inter orándum a Beatíssima Dei Matre Fílium Jesum, geréntem formam lacténtis Infántis, suo complèxu quondam accépit; atque ab ejus collo pendéntem ténui filo crucem dono hábuit; quae in templo asservátur, in quo corpus Vírginis cónditùm est.
℟. Dilexísti justítiam.

Lectio VI.

Cum vero in gravíssimum morbum incidísset, ad bálnea propínqui óppidi Clanciáni ducta est: ac vix aquas attígerat, cum coelésti quodam rore concréto, ac instar nivis cándido conspérsae sunt, cujus síngulae partículae crucis forma figurátae erant. Nunc quoque ex novo fonte aqua prófluit quae ómnium génerum morbos curáre incoepit. At in coenóbium revérsa, ingravescénte morbo, sacras soróres deplorántes matris e

vita discéssum consoláta, et ad concórdiam, et votórum observàntiam simul exhortáta est; sentiénsque se ad coeléstes núptias a suo sponso vocári, manus in coelum sústulit; ac Dómino spíritum commendávit, anno millésimo trecentésimo decimoséptimo, die vigésima Aprílis. Cujus corpus miram odóris suavitàtem efflans, ad se viséndum omnes invitávit; ac e summis mánibus, et pédibus, pretiósum liquórem emíttens, vestes ipsas madefécit; multísque miráculis commendátum in hunc usque diem íntegrum conspícitur, divinísque honóribus affícitur. Ad quod viséndum sancta Catharína Senénsis (quae accéperat a Deo se parem in coelo cum beáta Agnéte glóriam habitúram) cum venísset, pedes osculári vóluit; sed jacéntis córporis pes alter in os usque sanctae Catharínae divína vi eréctus est. Iterúmque post áliquod tempus sancta Catharína ad beátae Agnétis corpus revérsa, cum ad caput córporis sese demisísset, manna toto illo loco plúere coepit in figúram crucis formátum sicut decídere sólitum erat, cum Agnes in hac vita orábat.

℟. Afferéntur Regi vírgines.

In III. Noct. Homil. in Evangel. Simile erit Regnum coelorum decem Virgínibus, *de eod. Communi.*

DIE XXIV. APRILIS.

In Festo S. FIDELIS A SIGMARINGA *Protomartyris Sacr. Congregationis de propaganda Fide.* Duplex.

Omnia de Commun. Mart. Temp. Pasch. praeter ea, quae hic assignatur.

ORATIO.

Deus, qui beátum Fidélem seráphico spíritus ardóre succénsum in verae Fídei propagatíone martyrii palma, et gloriósis miráculis decoráre dignátus es: ejus quaesumus méritis, et intercessióne, ita nos per grátiam tuam in Fide, et Charitáte confirma, ut in servítio tuo fidéles usque ad mortem inveníri mereámur. Per Dóminum etc.

Lectiones I. Noct. de Script. occur.

Lectio IV.

Fidélis in óppido Svéviae Sigmarínga ex honésta Reyórum família natus, ab i-

neúnte aetáte singuláribus natúrae, et grátiae donis ornátus praefúlsit. Egrégiam quippe sortítus índolem, morúmque óptima imbútus disciplína, dum Fribúrgi Philosophíae, et Juris utriúsque láuream eméruit, in schola étiam Christi ad perfectiónis ápicem sédulo virtútum exercítio conténdere coepit. Nobílium exínde virórum várias Európae províncias lustrántium comes adscítus, eos ad Christiánam pietátem sectándam tam verbis, quam opéribus excitáre non déstitit. Quinímmo in eódem itínere crebris austeritátibus desidéria carnis mortificáre, ac ita seípsum régere stúduit, ut in tanta rerum vicissitúdine nullo unquam visus fúerit irae motu perturbári. Juris praetérea, et justítiae strénuus propugnátor, post réditum in Germàniam, célebre sibi nomen acquisívit in Advocáti múnere, in quo tamen cum Fori perícula esset expértus, tutiórem aetérnae salútis viam íngredi deliberávit, et supérna vocatióne illustrátus páulo post Ordini Seráphico inter Fratres Minóres Capuccínos adscríbi pétiit.

℟. Lux perpétua.

Lectio V.

Piae petitiónis compos réditus, mundi, suíque contémptor insígnis in ipso statim tyrocínio, magísque cum solémnis Professiónis vota in gáudio Spíritus Dómini nuncupásset, in Reguári observántia ómnibus admiratióni fuit, et exémplo. Oratióni máxime, et sacris lítteris vacans, in verbi quoque ministério singulári grátia excéllens, nedum Cathólicos ad meliórem frugem, verum étiam Heterodóxos ad veritátis cognitiónem attráxit. Plúribus in locis Coenóbii Praeféctus constitútus, prudéntia, justítia, mansuetúdine, discretióne, et humilitátis láude, munus sibi demandátum exércuit. Arctíssimae paupertátis zelátor egrégius, quidquid vel minus necessárium viderétur e Coenóbio pénitus eliminávit. Inter austéra jejúnia, vigílias, et flagélla salutári seípsum prósequens ódio, in álios amórem, quasi mater in fílios, osténdit. Cum pestífera febris Austríacas militáres cópias dire afflígeret, ipse in extrémis infirmórum indigéntiis ad assídua charitátis offícia toto spíritu incúbuit. In componéndis étiam animórum dissídiis, aliísque próximi necessitátibus sublevándis consílio, et ópere ádeo praecláre se gessit, ut Pater Pátriae merúerit appellári.

℟. In servis suis.

℣. Dignáre me laudáre te Virgo sacráta, Allelúja.

℟. Da mihi virtútem contra hostes tuos, Allelúja.

AD MAGNIFICAT.

Antiphona

Sancta María, succúrre míseris, juva pusillánimes, réfove flébiles, ora pro pópulo, intérveni pro clero, intercéde pro devòto femíneo sexu: séntiant omnes tuum juvámen, quicúmque célebrant tuam sanctam festivitátem, Alleiúia.

ORATIO.

Bonórum ómnium largitor Deus, qui Genitrícis diléctí Fílii tui speciósam Imáginem mira apparitióne clarificáre voluísti: concéde quaesumus, ut ejúsdem beátae Maríae Vírginis intercessióne ad coeléstem pátriam felíciter perducámur. Per eúmdem Dóminum etc.

AD MATUTINUM

Invitat. Sancta María Dei génitrix virgo, * Intercéde pro nobis, Allelúja,

Psalm. Veníte.

Hymnus

Pláude festívo, pia gens, honóre.
Dum Genestáni veneráris aedem,
Qua Dei magnae Genitrícis alma
Splendet imágo.
Haec ubi mira spécie repénte
Obtulit sese pópulis vidéndam,
Multa mox secum bona ferre nostras
Visa per oras.
Ipsa tunc aegris áderat, moléstos
Córporis morbos, animíque pellens,
Longe et aerúmnas Látio imminéntes
Ipsa fugábat.
Virgo, quae magnis decoráta signis
Nunc quoque effúlges, míseris juvámen
Affer, et fusis pátiens cliéntum
Annue votis.
Sit salus illi, decus, atque virtus,
Qui super coeli sólio corúscans
Tótius Mundi sèriemgubérnat
Trinus, et unus. Amen.

IN I. NOCTURNO

Ant. et Psalm. ut in Officio parvo B. M. V.

℣. Spécie tua, et pulchritúdine tua, Allelúja.

℟. Inténde, próspere procéde, et regna, Allelúja.

De Parábolis Salomónis.

Lectio I.

Cap. 2. 10.

Si intráverit sapiéntia cor tuum, et sciéntia ánimae tuae placúerit, consílium custódiet te, et prudéntia servábit te, ut eruáris a via mala, et ab hómine, qui pervérsa lóquitur, qui relínquunt iter rectum, et ámbulant per vias tenebrósas; qui laetántur cum male fécerint, et exúltant in rebus péssimis, quorum viae pervérsae sunt, et infámes gressus eórum.

℟. Sancta et immaculáta virgínitas, quibus te láudibus éfferam, néscio: * Quia quem coeli cápere non póterant, tuo grémio contulísti, Allelúja.

℣. Benedícta tu in muliéribus, et benedíctus fructus ventris tui. Quia.

Lectio II.

Fili mi, ne éffluant haec ab óculis tuis. Custódi legem atque consílium, et erit vita animae tuae, et grátia fáucibus tuis. Tunc ambulábis fiduciáliter in via tua, et pes tuus non impínget. Si dormíeris, non timébis; quiésces et suávis erit somnus tuus. Ne páveas repentíno terróre, et irruéntes tibi poténtias impiórum. Dóminus enim erit in látere tuo, et custódiet pedem tuum, ne capiáris.

℟. Congratulámini mihi omnes, qui dilígitis Dóminum quia cum essem párvula, plácui Altíssimo: * Et de meis viscéribus génui Deum et hóminem, Allelúja.

℣. Beátam me dicent omnes generatiónes, qnia ancíllam húmilem respéxit Deus. Et de meis.

Lectio III.

c. 8.

Ego Sapiéntia hábito in consílio, et erudítis intérsum cogitatiónibus. Timor Dómini odit malum: arrogántiam, et supérbiam, et viam pravam, et os bilíngue detéstor. Meum est consílium, et aequitas, mea est prudéntia, mea est fortitúdo. Per me reges regnant, et legum conditóres justa decérnunt. Per me príncipes ímperant, et poténtes decérnunt justítiam. Ego diligéntes me dílígo: et qui mane vígilant ad me invénient me.

℟. Beáta es, Virgo María, quae Dóminum portásti, creatórem mundi: * Genuísti qui

te fecit, et in aetérnum pérmanes Virgo, Allelúja,

℣. Ave María grátia plena: Dóminus tecum. Genuísti. Glória. Genuísti.

IN II. NOCTURNO

℣. Adjuvábit eam Deus vultu suo, Allelúja.

℟. Deus in médio ejus non commovébitur, Allelúja.

Lectio IV.

De Sermóne sancti Augustíni Epíscopi.

In natali S. Joannis Baptistae.

Hóminem concépit Elísabeth, hóminem María: sed Elísabeth solum hóminem, María Deum, et hóminem. Mira res est, quómodo potúerit concípere creatúra Creatórem. Quid est ergo intelligéndum, fratres mei, nisi quia ipse sibi fecit carnem de sola matre; qui fecit primum hóminem sine patre, et matre? Primum ille noster casus fuit, quando fémina, per quam mórtui sumus, in corde concépit venéna serpéntis. Persuásit, enim serpens peccátum et admíssus est male suádens. Si primus noster casus fuit, cum foemina concépit corde venéna serpéntis, non mirándum, quod salus nostra facta est, cum foemina concépit in útero carnem Omnipoténtis. Utérque cecíderat sexus: utérque fúerat reparándus. Per mulíerem in intéritum missi erámus: per mulíerem nobis réddita est salus.

℟. Sicut cedrus exaltáta sum in Líbano, et sicut cypréssus in monte Sion: quasi myrrha elécta, * dedi suavitátem odóris, Allelúja.

℣. Et sicut cinnamómum, et bálsamum aromatízans. Dedi.

Lectio V.

De Sermóne sancti Fulgéntii Epíscopi

De laudibus Mariae ex partu Salvatoris.

Quóniam diábolus per serpéntem Evae locútus, per Evae áures mundo íntulit mortem, Deus per Angelum ad Maríam pértulit verbum, et cunctis saeculis vitam effúdit, Angelus sermónem ejécit, et Christum Virgo concépit. Hoc splendóre concípitur Dei Fílius: hac mundítia generátur. De coelis médicus tránsiens per Vírginem post tránsitum suum, illaesam fecit Vírginem permanére. Qui e-

nim disrúpta córporum membra in áliis póterat integràre tangéndo, quanto magis in sua matre, quod invénit íntegrum, pótuit non violáre nascéndo? Crevit enim ejus partu intégritas córporis, pótius quam decrévit, et virgínitas ampliáta est, pótius quam fugáta.

℟. Quae est ista quae procéssit sicut Sol, et formósa tamquam Jerúsalem? * Vidérunt eam filiae Sion, et beátam dixérunt, et regínae laudavérunt eam, Allelúja.

℣. Et sicut dies verni circúmdabant eam flores rosárum, et lília convállium. Vidérunt.

Lectio VI.

María, quam praeclaríssimis tribus bonis sublimétur, auscúlta: Salutatiónis Angélicae, benedictiónis divínae, et plenitúdinis grátiae. Sic enim eam légitur salutásse: Ave María, grátia plena, benedícta inter mulíeres. * Et ut nihil non sublíme esset in hac sanctíssima Vírgine, quam Angelus grátia plenam salutávit, non sine divíno consílio factum est, ut ejus étiam imágines summo essent in honóre, et prodígiis, miraculísque claréscerent. Quas inter, ea tribus ab hinc saeculis praecípuo honóre cólitur, quae Pàulo Secúndo sedénte mirabíliter apparuísse in paríete Ecclésiae Patrum Ordinis Eremitárum Sancti Augustìni in óppido Genestáni Praenestínae Dioecésis, ex Pontifíciis diplomátibus, et suppáribus monuméntis comprobátur. Quibus permótus Pius Papa Sextus, praefátis ejúsdem óppidi Coenobítis Offícium próprium concéssit séptimo Kaléndas Majas, ipso scílicet Apparitiónis die, recitándum, ac deínde illud die, quae immediáte subséquitur pro ejus recitatiòne in pósterum assignáta, ad univérsum praedíctum Ordinem sub ritu dúplicis majóris exténdit.

℟. Ornátam monílibus filiam Jerúsalem Dóminus concupívit: * Et vidéntes eam filiae Sion beatíssimam praedicavérunt dicéntes: * Unguéntum effúsum nomen tuum, allelúja.

℣. Astitit Regína a dextris tuis in vestítu deauráto, circúmdata varietáte. Et vidéntes. Glória Patri. Unguéntum.

IN III. NOCTURNO

℣. Elégit eam Deus et praeelégit eam, Allelúja.

℟. In tabernáculo suo habitáre facit eam, Allelúja.

Lectio VII.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthaeum.

Cap. 1.

Liber generatiónis Jesu Christi, Fílii David, Fílii Abraham. Abraham génuit Isaac, Isaac áutem génuit Jacob. Et réliqua.

Homilía sancti Thomae Epíscopi.

In Conc. 2. *Nat. B. M.*

Cogitánti mihi, ac diu haesitánti quid cáusae sit, quod cum Evangelístae de Joánne Baptísta, et áliis Apóstolis tam longum fecére tractátum, de Vírgine María, quae vita et dignitáte omnes antecédit, ita summátim percúrrant históriam. Cur, inquam, non tráditum est memóriae, quómodo concépta, quómodo nata, quómodo nutríta, quibus móribus decoráta, quibus virtútibus ornáta, quid cum Fílio in humánis égerit, quómodo cum illo conversáta sit, quómodo post ejus Ascensiónem cum Apóstolis víxerit? Magna erant haec, et memorátu digna, et quae cum summa devotióne a Fidélibus legeréntur, a pópulis amplecteréntur. Quis enim dúbitat, quin in ejus nativitáte, et puerítia mira multa contígerint, et puélla haec in téneris annis stupéndum saeculis virtútum ómnium monuméntum extíterit?

℟. Felix namque es sacra Virgo Maria, et omni láude digníssima: * Quia ex te ortus est Sol justítiae, Christus Deus noster, Allelúja.

℣. Ora pro pópulo, intérveni pro Clero, intercéde pro devóto foemíneo sexu; séntiant omnes tuum juvámen, quicúmque célebrant tuam sanctam festivitátem. Quia ex.

Benedictio. Cujus festum cólimus, ipsa Virgo vírginum.

Lectio VIII.

Haec mihi haesitánti, cur de áctibus Vírginis, sicut de áctibus Páuli non est compósitus liber: nihil áliud occúrrit, (accusáre enim Evangelístas negligéntiae, sicut ímpium, ita et temerárium júdico) quam ita placuísse Spirítui Sancto, ejúsque providéntia Evangelístas siluísse, proptérea quia Vírgínis glória, sicut in psalmis légitur, omnis intus erat, et magis cogitári póterat, quam descríbi, sufficítque ad ejus plenam

históriam, quia de illa natus est Jesus. Quid ámplius quaeris? Quid ultra requíris in Vírgine? Súfficit tibi, quod Mater Dei est.

℟. Beátam me dicent omnes generatiónes: * Quia fecit mihi Dóminus magna qui potens est, et sanctum nomen ejus. Allelúja.

℣. Et misericórdia ejus a progénie in progénies timéntibus eum. Quia. Glória. Quia.

Lectio IX.

Non eam Spíritus Sanctus líteris descrípsit, sed tibi eam ánimo depingéndam relíquit, ut intélligas, nihil illi grátiae, aut perfectiónis, aut glóriae, quam ánimus in pura creatúra concípere possit, defuísse: immo reípsa intelléctum omnem superásse. Ubi ergo totum erat, pars scribénda non fuit, ne putáres, quod scriptum non fúerat, eídem fórsitan defuísse. Si ancíllas suas, et minístras domus suae potentíssimus Dóminus ita mirífice decorávit ita donis, et grátiis venustávit: qualem exístimas cóndidit Matrem suam; únicam Sposam suam, quam sibi ex ómnibus elégit, et prae ómnibus adamávit? Omnibus eam Altíssimus praepósuit non solum Virgíneis sed étiam Angélicis Choris, quia Mater ejus est, et Matrem Dei decet omnis celsitúdo. Quidquid ígitur de Vírgine scire, aut intellígere cupis, totum in hoc cláuditur breviloquio: DE QUA NATUS EST JESUS. Haec longa, et pleníssima história ejus est.

Te Deum laudámus etc.

AD LAUDES

ET PER HORAS.

Ut in Officio B. M. V. in Sab.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis, Allelúja.

℟. Proptérea benedíxit te Deus in aetérnum, Allelúja.

AD BENEDICTUS

Antiphona

Beáta es María, quae credidísti; perficiéntur in te, quae dicta sunt tibi a Dómino, Allelúja.

ORATIO.

Bonórum ómnium largítor Deus, qui Genitrícis dilécti Fílii tui speciósam Imáginem mira Apparitióne clarificáre voluísti: concéde quaesumus,

ut ejúsdem beátae Maríae Vírginis intercessióne ad coeléstem pátriam felíciter perdúcamur. Per eúmdem Dóminum etc.

In II. Vesperis ut in primis.

AD MAGNIFICAT.

Ant. Beátam me dicent omnes generatiónes, quia ancíllam húmilem respéxit Deus. Allel. *Oratio ut supr.*

DIE XXVII. APRILIS.
ASS. EX PRAECED.

In Festo SS. CLETI ET MARCELLINI PP. ET MM.

Sem. omn. ut in Brev. die praeced.

FESTA MAII.

DOMINICA III. POST PASCHA

Officium de PATROCINIO S. JOSEPH *totius Etruriae Patroni.* Duplex 2. Classis.

AD VESPERAS.

Ant. Jacob áutem *cum reliquis de Laudibus. Psal.* Dixit Dóminus, *cum reliquis de Dominica, et loco ultimi Psal.* Laudáte Dóminum omnes Gentes.

Cap. *Genes.* 49.

Benedictiónes patris tui confortátae sunt benedictiónibus patrum ejus, donec veníret desidérium cóllium aeternórum: fiant in cápite Joseph, et in vértice Nazaraei inter fratres suos.

Hymnus

Te, Joseph, célebrent àgmina coelitum.
Te cuncti résonent Christíadum chori,
Qui clarus méritis, junctus es ínclytae
Casto foedere Vírgini.
Almo cum túmidam gérmine eónjugem
Admírans dúbio tángeris ánxius,
Afflátu súperi fláminis Angelus
Concéptum púerum docet.
Tu natum Dóminum stringis, ad éxteras
Ægypti prófugum tu séqueris plagas;
Amíssum Sólymis quaeris, et ínvenis.
Miscens gáudia flétibus.
Post mortem réliquos mors pia cónsecrat,
Palmámque eméritos glória súscipit:
Tu vivens súperis par, frúeris Deo,
Mira sorte beátior.
Nobis, summa Trias, parce precántibus.

Da Joseph méritis sídera scándere,
Ut tandem líceat nos tibi pérpetim
Gratum prómere cánticum. Amen.

℣. Constítuit eum dóminum domus suae, Allelúja.

℟. Et príncipem omnis possessiónis suae, Allelúja.

AD MAGNIFICAT

Ant. Cum esset desponsáta mater Jesu María Joseph, ántequam convenírent, invénta est in útero habens de Spíritu Sancto, Allelúja.

ORATIO.

Deus, qui ineffábili providéntia beátum Joseph sanctíssimae Genitrícis tuae Sposum elígere dignátus es: praesta quaesumus, ut quem protectórem venerámur in terris, intercessórem habére mereámur in coelis: Qui vivis, et regnas etc.

Et fit commem. Dominicae.

AD MATUTINUM

Invit. Laudémus Deum nostrum: * In veneratióne beáti Joseph protectóris nostri, Allelúja.

Psalm. Veníte, exultémus.

Hymnus Te, Joseph, célebrent etc. *ut supra.*

IN I. NOCTURNO.

Ant. Angelus Dómini appáruit in somnis Joseph, dicens: Surge, et áccipe púerum, et matrem ejus et fuge in Aegyptum, et esto ibi, usque dum dicam tibi, Allelúja.

Psalm. de Communi Confess. non Pontificis, sub una tantum Antiph.

Si hoc fest. celebretur post oct. Pent. Ant. nocturnor. sumantur ex ejus praecipuo Festo die 19. Martii pag. 235.

℣. Confitébor nómini tuo, Allelúja.

℟. Quóniam adjútor, et protéctor factus es mihi, Allelúja.

De libro Génesis:

Lectio I.

Cap. 39.

Igitur Joseph ductus est in Ægyptum, emítque eum Pútiphar Eunúchus Pharaónis, princeps exércitus, vir Ægyptius, de manu Ismaelitárum a quibus perdúctus erat. Fuítque Dóminus cum eo, et erat vir in cunctis próspere agens, habitavítque in domo dómini sui, qui óptime nóverat, Dóminum esse cum eo et ómnia, quae géreret, ab eo dírigi in manu illíus. Invenítque Joseph grátiam coram Dómino suo, et ministrábat

ei, a quo praepósitus ómnibus, gubernábat créditam sibi domum, et univérsa, quae ei trádita fúerant. Benedixítque Dóminus dómui Aegyptii propter Joseph, et multiplicávit tam in aedibus quam in agris cunctam ejus substántiam, nec quidquam áliud nóverat nisi panem quo vescebátur. Erat áutem Joseph pulchra fácie, et decórus aspéctu.

℟. Clamávit pópulus ad regem, aliménta petens. * Quibus ille respóndit: Ite ad Joseph, Allelúja.

℣. Salus nostra in manu tua est; réspice nos tantum, et laeti serviémus Regi. Quibus ille.

Lectio II.

Gen. cap. 41.

Plácuit Pharaóni consílium, et cunctis minístris ejus, locutúsque est ad eos: Num inveníre potérimus talem virum, qui spíritu Dei plenus sit? Dixit ergo ad Joseph: Quia osténdit tibi Deus ómnia, quae locútus es: numquid sapientiórem, et consímilem tui inveníre pótero? Tu eris super domum meam, et ad tui oris impérium cunctus pópulus obédiet; uno tantum regni sólio te praecédam. Dixítque rursus Phárao ad Joseph: Ecce constítui te super univérsam terram Aegypti; tulítque ánnulum de manu sua, et dedit eum in manu ejus, vestivítque eum stola byssina, et collo torquem áuream circumpósuit. Fecitque eum ascéndere super currum suum secúndum clamánte praecóne, ut omnes coram eo genuflécterent, et praepósitum esse scirent univérsae terrae Aegypti.

℟. Fecit me Deus quasi patrem regis, et Dóminum univérsae domus ejus; * Exaltávit me, ut salvos fáceret multos pópulos, Allelúja.

℣. Veníte ad me et ego dabo vobis ómnia bona Ægypti ut comedátis medúllam terrae. Exaltávit.

Lectio III.

Gen. cap. 41.

Dixit quoque rex ad Joseph: Ego sum Phárao; absque tuo império non movébit quisquam manum, aut pedem in omni terra Ægypti. Vertítque nomen ejus et vocávit eum lingua Ægyptíaca salvatórem mundi. Dedítque illi uxórem Aseneth filiam Putipháre sacerdótis Heliopóleos. Egréssus est ítaque Joseph ad terram Ægypti, (trigínta áu-

tem annórum erat, quando stetit in conspéctu regis Pharaónis) et circuívit omnes regiónes Aegypti. Veníique fertílitas septem annórum; et in manípulos redáctae ségetes congregátae sunt in hórrea Ægypti. Omnis étiam frugum abundántia in síngulis úrbibus cóndita est. Tántaque fuit abundántia trítici, ut arénae maris coaequarétur, et cópia mensúram excéderet.

℟. Jam laetus móriar, quia vidi fáciem tuam, et supérstitem te relínquo: Non sum fraudátus aspéctu tuo: * Insuper osténdit mihi Dóminus semen tuum, Allelúja.

℣. Qui pascit me ab adolescéntia mea, benedícat púeris istis, et invocétur super eos nomen meum. Insuper. Glória Patri. Insuper.

IN II. NOCTURNO

Ant. Angelus Dómini appáruit in somnis Joseph, dicens: Surge, et áccipe púerum, et matrem ejus et vade in terram Israel; defúncti sunt enim, qui quaerébant ánimam pueri, Allel.

℣. Réspice de coelo, et vide, et vísita víneam istam, Allelúja.

℟. Et pérfice eam, Allelúja.

Sermo sancti Bernardíni Senénsis.

Sermo 1. de S. Joseph.

Lectio IV.

Omnium singulárum gratiárum alícui rationábili creatúrae communicatárum generális régula est, quod quandocúmque divína grátia éligit áliquem ad áliquam grátiam singulárem, seu ad áliquem sublímem statum, ómnia charísmata donet, quae illi persónae sic eléctae et ejus officio necessária sunt, atque illam copióse decórant. Quod máxime verificátum est in sancto Joseph, putatívo patre Dómini nostri Jesu Christi, et vero sponso Regínae mundi, et Dóminae Angelórum, qui ab aetérno Patre eléctus est fidélis nutrítius, atque custos principálium thesaurórum suórum, scílicet Fílii ejus, et sponsae suae: quod officium fidelíssime prosecútus est. Cui proptérea Dóminus ait: Serve bone, et fidélis, intra in gáudium Dómini tui.

℟. Dedísti mihi protectiónem salútis tuae, et déxtera tua suscépit me: * Protéctor meus, et cornu salútis meae et suscéptor meus, Allelúja.

℣. Ego protéctor tuus sum, et merces tua magna nimis. Protéctor.

Lectio V.

Si cómpares eum ad totam Ecclésiam Christi, nonne iste est homo eléctus et speciális, per quem, et sub quo Christus est ordináte, et honéste introdúctus in mundum? Si ergo Vírgini matri tota Ecclésia sancta débitrix est, quia per eum Christum suscípere digna facta est; sic profécto post eam huic debet grátiam, et reveréntiam singulárem. Ipse enim est clavis véteris Testaménti, in qua Patriarchális, et Prophetális dígnitas promíssum conséquitur fructum. Porro hic est solus, qui corporàliter possédit, quod eis divína dignátio reprómisit. Mérito ígitur figurátur per illum Patriárcham Joseph, qui pópulis fruménta servávit. Sed et hic illum praecéllit, quia non solum Ægyptiis panem corporális vitae, sed ómnibus eléctis panem de coelo, qui coeléstem vitam tríbuit, cum multa solértia enutrívit.

℟. Státuet filios suos sub tégmine illíus, et sub ramis ejus morábitur, protegétur sub tégmine illíus a fervóre * Et in glória ejus requiéscet, Allelúja.

℣. Speráte in eo omnis congregátio pópuli, effúndite coram illo corda vestra. Et in glória.

Lectio VI.

Profécto dubitándum non est, quod Christus familiaritátem, reveréntiam atque sublimìssimam dignitátem, quam sibi exhíbuit, dum ágeret in humánis tamquam filius patri suo, in coelis útique non negávit, quin pótius complévit, et consummávit. Unde non immérito in verbo propósito a Dómino subinfértur: Intra in gáudium Dómini tui. Unde, licet gáudium aetérnae beatitúdinis in cor hóminis intret, máluit tamen Dóminus ei dícere: Intra in gáudium; ut mystice innuátur, quod gáudium illud non solum in eo sit intra, sed úndique illum circúmdans, et absórbens, et ipsum velut abyssus infiníta submérgens. Meménto ígitur nostri, beáte Joseph, et tuae oratiónis suffrágio apud tuum putatívum Fílium intercéde: sed et beatíssimam Vírginem sponsam tuam nobis propítiam redde, quae mater est ejus, qui cum Patre, et Spíritu Sancto vivit, et regnat per infiníta saecula saeculórum, Amen.

℟. Si consístant advérsum me castra, non timébit cor meum: * Si exúrgat advér-

sum me praelium, in hoc ego sperábo, Allelúja.

℣. In te cantátio mea semper, quóniam tu adjútor fortis. Si exúrgat. Glória Patri. Si exúrgat.

IN III. NOCTURNO

Ant. Consúrgens Joseph accépit púerum, et matrem ejus, et venit in terram Israel, et habitávit in civitáte, quae vocátur Názareth, Allelúja.

℣. Invocávi Dóminum Patrem Dómini mei, Allelúja.

℟. Ut non derelínquat me in die tribulatiónis, Allelúja.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio VII.

Cap. 3.

In illo témpore: Factum est áutem, cum baptizarétur omnis pópulus, et Jesu baptizáto, et oránte, apértum est coelum. Et réliqua.

Homilía sancti Augustíni Epíscopi.

Lib. 2. de Consensu Evangelistarum.

Maniféstum est illud, quod ait; ut putabátur fílius Joseph, propter illos dixísse, qui eum ex Joseph, sicut álii hómines nascúntur, natum arbitrántur. Quos áutem movet, quod álios progenitóres Matthaeus enúmerat, descéndens a David usque ad Joseph, álios áutem Lucas, ascéndens a Joseph usque ad David, fácile est, ut advértant, duos patres habére potuísse Joseph: unum, a quo génitus, álterum, a quo fúerit adoptátus. Antíqua est enim consuetúdo adoptándi étiam in illo pópulo Dei, ut sibi fílios fácerent, quos non ipsi genuíssent; unde intellígitur Lucas patrem Joseph, non a quo génitus, sed a quo fúerat adoptátus, suscepísse in Evangélio suo; cujus progenitóres sursum versus commémorat, donec exíret ad David.

℟. Joseph fili David, noli timére accípere Maríam cónjugem tuam, quod enim in ea natum est, de Spíritu Sancto est; páriet áutem fílium * Et vocábis nomen ejus Jesum, Allelúja.

℣. Ipse enim salvum fáciet pópulum suum a peccátis eórum. Et vocábis.

Lectio VIII.

Cum enim necésse sit, utróque Evangelísta vera nar-

ránte, et Matthaeo scílicet et Luca, ut unus eórum ejus patris oríginem teneret, qui genúerat; alter ejus qui adoptáverat Joseph, quem probabílius intellígimus adoptántis oríginem tenuísse, quam eum, qui nóluit Joseph génitum dícere ab illo, cujus eum fílium esse narrabat? Matthaeus áutem dicens: Abraham génuit Isaac, Isaac génuit Jacob, atque ita in hoc verbo, quod est génuit, persevérans, donec in último díceret, Jacob áutem génuit Joseph; satis expréssit, ad eum patrem se perduxísse oríginem generántium a quo Joseph non adoptátus, sed génitus erat. * Quamquam, si étiam Lucas génitum díceret Joseph ab Heli, nec sic nos hoc verbum perturbáre debéret, ut áliud crederémus, quam ab uno Evangelísta gignéntem; ab áltero adoptántem patrem fuisse commemorátum. Neque enim absúrde quisque dícitur non carne, sed charitáte genuísse, quem fílium sibi adoptáverit. At vero étiam nos, quibus dedit Deus potestátem fílios ejus fieri, de natúra, atque substántia sua non nos génuit, sicut únicum Fílium, sed útique dilectióne adoptávit.

℟. Surge et áccipe púerum, et matrem ejus, et fuge in Ægyptum: * Et esto ibi, usque dum dicam tibi Allelúja.

℣. Ut adimplerétur, quod dictum est a Dómino per Prophétam dicentem: Ex Ægypto vocávi Fílium meum. Et esto. Glória Patri. Et esto.

Nona Lectio Hom. 3. *Dom. post Pasch.*

AD LAUDES

ET PER HORAS.

Antiphona.

Jacob áutem génuit Joseph virum Maríae, de qua natus est Jesus, qui vocátur Christus, Allelúja.

Psal. Dóminus regnávit, *cum reliquis de Dom.*

Ant. Missus est Angelus Gábriel a Deo in civitátem Galilaeae, cui nomen Názareth, ad Vírginem desponsátam viro, cui nomen erat Joseph, Allelúja.

Ant. Ascéndit áutem Joseph a Galilaea de civitáte Názareth in Judaeam, in civitátem David, quae vocátur Béthlehem, Allelúja.

Ant. Et venérunt festinántes, et invenérunt Maríam, et Joseph, et Infántem pósitum in praesépio, Allelúia, Allelúja.

Ant. Et ipse Jesus erat incí-

piens quasi annórum trigínta, ut putabátur filius Joseph, Allelúja.

Capit. Gen. 49, Benedictiónes Patris tui. *ut supra.*

Hymnus.

Coelitum Joseph, decus atque nostrae
Certa spes vitae, columènque mundi,
Quas tibi laeti cánimus, benígnus
Súscipe laudes.
Te Sator rerum státuit pudìcae
Vìrginis sponsum, voluítque Verbi
Te patrem dici, dedit et minístrum
Esse salútis.
Tu Redemptórem stábulo jacéntem,
Quem chorus Vatum cécinit futúrum,
Aspicis gáudens, humilísque natum
Numen adóras.
Rex Deus regum, dominátor orbis,
Cujus ad nutum tremit Inferórum
Turba, cui pronus famulátur aether,
Se tibi subdit.
Laus sit excélsae Tríadi perénnis,
Quae tibi praebens súperos honóres.
Det tuis nobis méritis beátae
Gáudia vitae.
Amen.

℣. Dedísti mihi protectiónem salútis tuae, Allelúja.
℟. Et déxtera tua suscépit me, Allelúja.

AD BENEDICTUS

Ant. Joseph fili David, noli timére, accípere Maríam cónjugem tuam: quod enim in ea natum est, de Spíritu Sancto est, Allelúja.

ORATIO

Deus, qui ineffábili providéntia beátum Joseph Sanctíssimae Genitrícis tuae sponsum elígere dignátus es: praesta quaesumus, ut quem protectórem venerámur in terris, intercessórem habére mereámur in coelis. Qui vivis, et regnas.

Et fit commemorat. Dominicae.

℣. In resurrectióne tua Christe, Allelúja.
℟. Coeli et Terra laeténtur. Allelúja.

AD TERTIAM.

Ant. Missus est.

Capitulum, Benedictiònes Patris tui. *ut sup.*

℟. *br.* Constítuit eum dóminum domus suae, * Allelúja, Allelúja. Constítuit eum.

℣. Et príncipem omnis possessiónis suae. Allelúja, Allelúja. Glória Patri. Constítuit.

℣. Confitébor nómini tuo, Allelúja.

℟. Quóniam adjútor, et protéctor factus es mihi, Allelúja.

AD SEXTAM.

Ant. Ascéndit áutem.

Capitulum.

Gen. 49.

Deus patris tui erit adjútor tuus, et Omnípotens benedícet tibi benedictiónibus coeli désuper.

℟. *br.* Confitébor nómini tuo, Allelúja, Allelúja. Confitébor.

℣. Quóniam adjútor, et protéctor factus es mihi. Allelúja. Glória Patri. Confitébor.

℣. Justus germinábit sicut lílium. Allelúja.

℟. Et florébit in aetérnum ante Dóminum. Allelúja.

AD NONAM

Ant. Et ipse Jesus.

Capitulum.

Gen. 49.

Fílius accréscens Joseph, fílius accréscens, et decórus aspéctu: filiae discurrérunt super murum.

br. Justus germinábit sicut lílium, * Allelúja, Allelúja. Justus germinábit.

℣. Et florébit in aetérnum ante Dóminum. Allelúja, Allelúja. Glória Patri. Justus.

℣. Plantátus in domo Dómini, Allelúja.

℟. In átriis domus Dei nostri, Allelúja.

In secundis Vesperis omnia ut in primis.

℣. Sub umbra illíus, quem desideráveram, sedi, Allelúja.

℟. Et fructus ejus dulcis gútturi meo, Allel.

AD MAGNIFICAT.

Ant. Fili, quid fecísti nobis sic? ecce pater tuus, et ego doléntes quaerebámus te, Allelúja.

Oratio. Deus, qui ineffábili providéntia. *ut supra.*

Et fit commem. Dominicae.

DOMINICA I. MAII.

In Festo B. M. V. DIVINI PASTORIS MATRIS. Duplex majus.

AD VESPERAS.

Ant. Sonet vox tua *cum reliq. ut in Laudibus Psalm. ut in Off. parvo B. M. V.*

Capitulum

Eccl. 24.

Ab inítio, et ante saecula creáta sum, et usque ad futúrum saeculum non désinam, et in habitatióne sancta coram ipso ministrávi.

Hymnus. Ave maris stella.

℣. Dignáre me.

℟. Da mihi virtútem.

AD MAGNIFICAT.

Ant. Sicut Pastor gregem suum pascet; in bráchio suo congregábit agnos, et in sinu suo levábit, Allelúja.

ORATIO.

Deus, qui univérsum mundum ineffábili tua providèntia regis, atque gubérnas; praesta nobis fámulis tuis ut intercedénte beáta María semper Vírgine, quae vígili custódia nos pascit, ab hóstibus defénsi, et fructus tui dulcédine satiáti ad coeléstem pátriam secúri perducámur. Per Dóminum.

AD MATUTINUM.

Invit. Sancta María divíni Pastóris Mater * Intercéde pro nobis, Allelúja.

Psalm. Veníte, exultémus.

Hymnus. Quem terra.

IN I. NOCTURNO.

Ant. Mane surgámus ad víneas, videámus si flóruit vínea, si flores fructus partúriunt, ibi dabo tibi úbera mea, Allelúja.

Psalm. ut in Officio B. M. V.

Et si hoc fest. celebret. temp. pasch. unumquodque nocturn. dicit. sub prima tant. Antiph.

Ant. Cor suum tradet ad vigilándum dilúculo.

Ant. Trahe me: post te currémus in odórem unguentórum tuórum.

℣. Spécie tua.

℟. Inténde, próspere.

Lectio I.

De Parábolis Salomónis.

Ego Sapiéntia hábito in consílio, et erudítis intérsum cogitatiónibus. Timor Dómini odit malum, arrogántiam, et supérbiam, et viam pravam, et os bilíngue detéstor. Meum est consílium, et aequitas, mea est prudéntia, mea est fortitúdo. Per me

reges regnant, et legum conditóres justa decérnunt. Per me príncipes ímperant, et poténtes decérnunt justítiam. Ego diligéntes me díligo, et qui mane vígilant ad me, invénient me. Mecum sunt divítiae, et glória, opes supérbae, et justítia. Mélior est enim fructus meus áuro, et lápide pretióso et genímina mea argénto elécto. In viis justítiae ámbulo, in médio semitárum judícii, ut ditem diligéntes me, et thesáuros eórum rémpleam.

℟. Sicut vigilávi super eos, ut evéllerem, et demolírem, et dissipárem, et dispérderem et afflígerem: * Sic vigilábo super eos, ut aedíficem, et plantem, Allelúja.

℣. Erravérunt greges mei in cunctis móntibus, et in univérso colle excélso. Sic.

Lectio II.

Dóminus possédit me in inítio viárum suárum, ántequam quidquam fáceret a princípio. Ab aetérno ordináta sum, et ex antíquis, ántequam terra fieret. Nondum erant abyssi, et ego jam concépta eram: necdum fontes aquárum erúperant, necdum montes gravi mole constíterant, ante colles ego parturiébar. Adhuc terram non fécerat, et flúmina, et cárdines orbis terrae. Quando praeparábat coelos, áderam; quando certa lege, et gyro vallábat abyssos: quando aethera firmábat sursum, et librábat fontes aquárum, quando círcúmdabat mari términum suum, et legem ponébat aquis, ne transírent fines suos, quando appendébat fundaménta terrae. Cum eo eram cuncta compónens, et delectábar per síngulos dies, ludens coram eo omni témpore, ludens in orbe terrárum, et delíciae meae esse cum fíliis hóminum. Nunc ergo fílii audíte me; beáti, qui custódiunt vias meas. Audíte disciplínam, et estòte sapiéntes, et nolíte abjícere eam.

℟. Anima mea desiderávit te in nocte: * Sed et spíritu meo in praecórdiis meis de mane vigilábo ad te, Allelúja.

℣. Ego dórmio et cor meum vígilat: vox dilécti mei pulsántis. Sed et.

Lectio III.

Beátus homo qui áudit me, et qui vígilat ad fores meas quotídie, et obsérvat ad postes óstii mei. Qui me invénerit, invéniet vitam, et háuriet salútem a Dómino. Qui áutem in me peccáverit laedet ánimam suam. Omnes,

qui me odérunt díligunt mortem. Sapiéntia aedificávit sibi domum, excídit colúmnas septem: immolávit víctimas suas, míscuit vinum, et propósuit mensam suam. Misit ancíllas suas, ut vocárent ad arcem, et ad moenia civitátis: si quis est párvulus véniat ad me, et insipiéntibus locúta est: veníte, comédite panem meum, et bíbite vinum, quod míscui vobis.

℟. Sicut vísitat pastor gregem suum in die, * Quando fúerit in médio óvium suárum dissipatárum, Allelúja.

℣. Sic visitábo oves meas et liberábo eas de ómnibus locis in die nubis, et calíginis. Quando fúerit.

Glória Patri. Quando fúerit.

IN II. NOCTURNO.

Ant. Salvábo gregem meum, et non erit ultra in rapínam, Allelúja.

Ant. Congregábit eum, et custódiet eum, sicut pastor gregem suum.

Ant. Laeva ejus sub cápite meo, et déxtera illíus amplexábitur me.

℣. Adjuvábit eam.

℟. Deus in médio ejus.

Lectio IV.

Sermo sancti Bernárdi Abbátis.

Ex Serm. in cap. 12.

Apoc. ant. med.

Amplectámur Maríae vestígia, fratres mei et devotíssima supplicatióne beátis illíus pédibus provolvámur. Teneámus eam, nec dimittámus, donec benedíxerit nobis. Potens est enim. Nempe vellus est médium inter rorem et áream múlier inter solem, et lunam, María inter Christum, et Ecclésiam constitúta. Sed forte miráris non tam vellus opértum rore, quam amíctam sole mulíerem. Magna síquidem familiáritas: sed mira omníno vicínitas solis, et mulíeris. Quómodo enim in tam veheménti fervóre tam frágilis natúra subsístit? Mérito quidem admiráris Móyses sancte, et curiósius desíderas intuéri. Verúmtamen solve calceaménta de pédibus tuis, et involúcra pone carnálium cogitatiónum si accédere concupíscis.

℟. Super omnem fáciem terrae dispérsi sunt greges mei, et non erat qui requíreret * Ecce ego requíram oves meas, et visitábo eas Allelúja.

℣. Custodívit illas ab inimícis, et a seductóribus tutávit illas. Ecce ego.

Lectio V.

Ejusdem in Assumpt. B. M. V. in fin.

Jam te Mater Misericórdiae per ipsum sinceríssimae tuae mentis afféctum, tuis jacens provolúta pédibus Luna, idest Ecclésia, mediatrícem sibi apud solem justítiae constitútam devótis supplicatiónibus interpéllat, ut in lúmine tuo vídeat lumen, et solis grátiam tuo mereátur obténtu, quam vere amávit prae ómnibus, et ornávit, stolam glóriae índuens et corónam pulchritúdinis ponens in cápite tuo. Plena es gratiárum, plena rore coeléstí, inníxa super diléctum, delìciis áffluens. Ciba hódie páuperes tuos, Dómina, ipsi quoque cátuli de micis edant, nec púero Abrahae tantum, sed et camélis potum tríbuas de supereffluénti hydria tua.

℟. Custodívit nos in omni via per quam ambulávimus * Et in cunctis pópulis, per quos transívimus, Allelúja.

℣. Posuérunt me custódem in víneis. Et in cunctis.

Lectio VI.

Sermo sancti Augustíni Epíscopi.

Serm. 18. de Sanctis in med.

O beáta María, áccipe quascúmque méritis tuis ímpares gratiárum actiónes, et cum suscéperis vota, culpas nostras orándo excúsa. Admítte nostras preces intra sacrárium exauditiónis, et repórta nobis antídotum reconciliatiónis. Sit per te excusábile quod per te ingérimus: fiat impetrábile quod fida mente póscimus. Accipe quod offérimus, redóna quod rogàmus, excúsa quod timémus: quia tu es spes única peccatórum. Per te sperámus véniam delictórum, et in te, Beatìssima nostrórum est expectátio praemiórum. Accipe ínsuper obséquium famulórum tuórum, in Etrúria degéntium, qui in multis, magnísque perículis a Te adjúti, in grati ánimi arguméntum, et in memóriam beneficiórum defensiónis, et protectiónis, a Pio Séptimo Pontífice Máximo in tui honórem festivitátem hanc sub título divíni Pastóris Matris consecúti sunt, ut fidéles omnes Te custódem vigilántem, ac coeléstia pábula suppeditántem cognóscant, ínvocent, et revereántur.

℟. Sub umbra illíus, quem

desideráveram, sedi: * Et fructus ejus dulcis gútturi meo, Allelúja.

℣. Quid vidébis in Sunamítide, nisi choros castrórum? Et fructus. Glória Patri.

Et fructus ejus.

IN III. NOCTURNO.

Ant. Favus distíllans lábia tua; mel, et lac sub lingua tua, allelúja.

Ant. Egrédere, et abi post vestígia gregum, et pasce haedos tuos.

Ant. Rigábo hortum meum plantatiónum, et inebriábo prati mei fructum, Allelúja.

℣. Elégit eam Deus.

℟. In tabernáculo suo.

Lectio VII.

Léctio Sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Cap. 19.

In illo témpore: Stabant juxta crucem Jesu mater ejus, et soror matris ejus María Cléophe, et María Magdaléne. Et réliqua.

Homilía sancti Petri Damiáni.

Ex Serm. 1. in Nat. B. M. V. in fine.

Virgo Dei génitrix cujus pulchitúdinem Sol, et Luna mirántur, súbveni, Dómina clamántibus ad te júgiter. Revértere, revértere Sunamítis, revértere revértere, ut intueámur te. Tu benedícta, et superbenedícta revértere primo per natúram. Numquid quia ita deificáta ídeo nostrae humanitátis oblíta es? Nequáquam Dómina. Scis in quo discrímine nos relíqueris, ubi jáceant, quantum delínquant servi tui: non enim cónvenit tantae misericórdiae tantam misériam oblivísci, quia etsi súbtrahit glória, révocat natúra: non enim ita memoráris justítiae Dei solíus, ut misericórdiam non hábeas, neque ita es impassíbilis, ut sis incompassíbilis. Natúram nostram habes, non áliam, et justum est, ut de rore tantae pietátis diffúsius infundámur.

℟. Diléctus meus mihi, et ego illi qui páscitur inter lília * Donec aspíret dies, et inclinéntur umbrae, Allel.

℣. Ego diléctо meo, et ad me convérsio ejus.

Donec.

Lectio VIII.

Revértere secúndo per poténtiam. Fecit in te magna qui potens est, et data est tibi omnis potéstas in coelo, et in terra. Nil tibi impossìbile, cui possíbile est desperátos in spem beatitúdinis releváre. Quómodo enim illa potéstas tuae poténtiae póterit obviáre, quae de carne tua, carnis suscépit oríginem? Accédis enim ante illud áureum humánae reconciliatiónis altáre non solum rogans, sed ímperans, Dómina, non ancílla. Móveat te natúra: poténtia móveat: quia quanto poténtior, tanto misericórdior esse debébis. Potestáti enim cedit ad glóriam, injúrias ulcísci nolle cum possit. Revértere tértio per amórem. Scio, Dómina, quia benigníssima es, et amas nos amòre invincíbili, quos in te, et per te Fílius tuus, et Deus tuus summa dilectióne diléxit. Quis scit quóties refrígeras iram Júdicis, cum justítiae virtus a praeséntia Deitátis egréditur? * Revértere quarto per singularitátem. In mánibus tuis sunt thesáuri miseratiónum Dómini, et sola elécta es, cui grátia concéditur. Absit, ut cesset manus tua cum occasiónem quaeras salvándi míseros, et misericórdiam effundéndi, neque enim tua glória minúitur, sed augétur, cum poeniténtes ad véniam, justificáti ad glóriam assumúntur. Revértere ergo Sunamítis, idest despécta, cujus ánimam pertransívit gládius, quae fabri uxor appelláta fuísti. Ad quid? Ut intueámur te. Summa glória est post Deum te vidére, adhaerére tibi, et in tuae protectiónis munímine demorári. Audi nos, nam et fílius nihil negans honórat te, qui est Deus benedíctus in saecula saeculórum, amen.

℟. Cogregábo oves de terris, et indúcam eas in terram suam * Et pascam eas in móntibus Israel * In rivis, et in cunctis sédibus terrae, Allelúja.

℣. Ego pascam oves meas, et ego eas accubáre fáciam. Et pascam. Glória. In rivis.

Lectio IX. de Hom. Dominicae.

AD LAUDES

ET PER HORAS.

Ant. Sonet vox tua in áuribus meis, vox enim tua dulcis, et fácies tua decóra, Allelúja.

Psalm. Dóminus regnávit *cum reliq. de Dominic.*

Ant. Diléctus meus descéndit in hortum, ut pascátur in hortis, et lília cólligat, Allelúja.

Ant. Veni dilécte mi: egrediámur in agrum, commorémur in villis, Allelúja.

Ant. Fons hortórum, púteus aquárum vivéntium, quae fluunt ímpetu de Líbano, Allelúja.

Ant. In hortis nostris ómnia poma nova, et vétera, diléete mi, servávi tibi, Allelúja.

Cap. Ab inítio. *ut supr.*

Hymnus. O gloriósa Vírginum.

℣. Pulchra es, et decóra filia Jerúsalem, Allelúja.

℟. Terríbilis ut castrórum ácies ordináta, Allelúja.

AD BENEDICTUS

Ant. Indica mihi ubi pascas, ubi cubes in merídie, ne vagári incípiam post greges sodálium tuórum, Allelúja.

ORATIO

Deus qui univérsum mundum ineffàbili tua providéntia regis, atque gubérnas: praesta nobis fámulis tuis, ut intercedénte Beáta María semper Vírgine, quae vígili custódia nos pascit, ab hóstibus defénsi, et fructus tui dulcédine satiáti ad coeléstem pátriam secúri perducámur. Per Dóminum.

Ad Horas Capit. et ℟. brev. ut in Offic. B. M. V. in Sabb.

In secundis Vesperis, ut in primis.

℣. Per te salútem hauriámus, Virgo María, Allel.

℟. Ex charitáte, et passióne Christi filii tui, Allel.

AD MAGNIFICAT

Ant. Cum vidísset ergo Jesus matrem, et discípulum stantem quem diligébat, dicit matri suae: Múlier, ecce filius tuus. Deínde dicit discípulo; ecce mater tua, et ex illa hora accépit eam discípulus in sua, Allelúja.

Oratio. Deus, qui univérsum mundum.

DIE II. MAII.

In Festo S. ANTONINI *Archiep. Florent. Conf. Compatr. Civit. et Dioec. Flor.* Duplex. 2. classis. *Omnia ut in Brev.* 10. *huj. sed lect.* 1. *Noct. de Com. Conf. Pont.* 1. *loco.*

DIE V. MAII.

In Festo S. PII V. *Papae, et Confessoris.* Duplex. *Omnia*

de Communi Confessoris Pontificis, praeter ea quae sequuntur.

ORATIO

Deus, qui ad conteréndos Ecclésiae tuae hostes, et ad divínum cultum reparándum, beátum Pium Pontíficem Máximum elígere dignátus es, fac nos ipsíus deféndi praesídiis, et ita tuis inhaerére obséquiis, ut ómnium hóstium superátis insídiis, perpétua pace laetémur. Per Dóminum.

Et fit commemoratio S. Monicae Viduae.

In I. Noct. Lectiones de Scriptura occurrente.

IN II. NOCTURNO.

Lectio IV.

Pius in óppido Insúbriae, quod Boschum vocant, natus, sed e Bonónia oriúndus ex nóbili Ghisleriórum família, cum quatuórdecim esset annórum, Ordinem Praedicatórum ingrèssus est. Erat in eo admirábilis patiéntia, profúnda humílitas, summa vitae austéritas: contínuum oratiónis stúdium, et reguláris observántiae, ac divíni honóris ardentíssimus zelus. Philosophíae vero, ac Theologíae incúmbens, ádeo in iis excélluit, ut illas docéndi munus magna cum láude per multos annos exercúerit. Sacras conciónes plúribus in locis cum ingénti auditórum fructu hábuit. Inquisitóris offícium inviolábili ánimi fortitúdine diu sustínuit; multásque civitátes, non sine vitae discrímine, ab haeresi tunc grassánte immúnes servávit.

℟. Invéni David.

Lectio V.

A Páulo Quarto, cui ob exímias virtútes charíssimus erat, ad Nepesínum, et Sutrínum Episcopátum promótus, et post biénnium inter Románae Ecclésiae Presbyteros Cardináles adscríptus fuit. Tum ad Ecclésiam Montis Regális in Subalpínis a Pio Quarto translátus, cum plures in eam abúsus irrepsísse cognovísset, totam Dioecésim lustrávit; rebúsque compósitis Romam revérsus, gravíssimis expediéndis negótiis applicátus, quod justum erat, Apostólica libertáte, et constántia decernébat. Mórtuo áutem Pio, praeter ómnium expectatiónem eléctus Póntifex, nihil in vitae ratióne, excépto exterióri hábitu, immutávit.

Fuit in eo Religiónis propagándae perpétuum stúdium, in Ecclesiástica disciplína restituénda indeféssus labor, in extirpándis erróribus assídua vigilántia, in sublevándis egéntium necessitátibus indefíciens beneficéntia, in Sedis Apostólicae júribus vindicándis robur invíctum.

℟. Pósui adjutórium.

Lectio VI.

Selímum Turcárum tyránnum multis elátum victóriis, ingénti comparáta classe, ad Echinadas ínsulas non tam armis, quam fusis ad Deum précibus devícit. Quam victóriam ea ipsa hora, qua obténta fuit, Deo reveláte, cognóvit, suísque familiáribus indicávit. Dum vero novam in ipsos Turcas expeditiónem molirétur, in gravem morbum íncidit, et acerbíssimis dolóribus patientíssime tolerátis, ad extréma devéniens, cum Sacraménta de more suscepísset, ánimam Deo placidíssime réddidit, anno millésimo quingentésimo septuagésimo secúndo, aetátis suae sexagésimo octávo, cum sedísset annos sex, menses tres, dies vigínti quátuor. Corpus ejus in Basílica Sanctae Maríae ad Praesépe summa fidélium veneratióne cólitur, multis a Deo ejus intercessióne patrátis miráculis. Quibus rite probátis a Cleménte Undécimo Pontífice Máximo Sanctórum número adscríptus est.

℟. Iste est.

IN III. NOCTURNO.

Homilia Sancti Gregorii Papae in Evang. Homo péregre, *ut in Communi Confessoris Pontificis.*

Vesperae de Sancto Joanne ante Portam Latinam cum commemorat. S. Pii Quinti. Ant. Dum esset summus.

DIE X. MAII.

In Festo B. Nicolai Albergati *Episcop. et Conf.* Dupl. *Omn. de Comm. Conf. Pont. praeter ea, quae sequuntur.*

Orat. Exáudi quaesumus. *de eod. Communi.*

IN I. NOCTURNO

Lect. de Script.occurr.

IN II. NOCTURNO

Lectio IV.

Nicoláus Albergátus nóbili génere Bonóniae ortus est. Adoléscens, dum juri civíli in

pátria óperam daret, monásticae, ac severióris vitae praestántia captus, Carthusianórum Institútum ampléctitur; in quo brevi ádeo profécit, ut Sacerdótio vix initiátus, pátrio coenóbio praeféctus sit, áliaque subínde monastéria fere decénnio summa cum láude administrávit. Ejus prudéntiae, et sanctitátis opinióne Clerus, populúsque Bononiénsis permótus, ultro sibi in Epíscopum plenis suffrágiis delégit, quem ille honóris gradum diu, constantérque refúgiens, superiórum suórum jussu invítus demum suscépit. Nihil tamen de prióris vitae cultu, atque observatióne remísit; sed verbo, et exémplo forma gregis efféctus Ecclesiásticam disciplínam, et Christiános mores ita in Ecclésia sibi commíssa restítuit, ut álius omníno pópulus, álius Clerus viderétur, et esset.

℟. Invéni David.

Lectio V.

Cívium suórum ad Martínum Quintum Orátor; íterum, ac tértio proféctus, tantam ab eo Pontífice qui exímias illíus virtútes perspéxerat, íniit grátiam, ut conciliándae pacis cáusa inter Anglórum, Francorúmque Reges Legátum in Gállias míserit: ab ea Legatióne réducem sanctae Románae Ecclésiae Cardinálem sub título Sanctae Crucis in Jerúsalem creávit legavítque mox in Insúbriam, ut Mediolanénses, Florentínos, et Vénetos discórdia laborántes compóneret. Post pacem Itáliae ab eo felíciter restitútam, secúnda in Gállias Legatióne áuctus est; ac vita functo Martíno Quinto, Eugénii Quarti jussu in Bélgium proféctus, Philíppum Burgúndiae Ducem Cárolo quarto Francórum Regi in Atrebaténsibus comítiis conciliávit. Ad Germániae quoque Príncipes in Norimbergénsi convéntu Pontifícium Legátum egit; deínde Basileénsi, tum Ferrariénsi intérfuit Concílio, ubi Apostólicae Sedis dignitátem, majestatémqne advérsus Schismáticos egrégie tutátus est.

℟. Pósui adjutórium.

Lectio VI.

In obeúndis tam váriis gravissimísque Legatiónibus incredíbilem sibi apud Reges et Príncipes veneratiónem adéptus, in virtútum suárum admiratiónem rápuit univérsos. Erat enim in eo vel in summis honóribus simplicíssima humílitas, ánimus non

solum firmus ,et excélsus, sed cándidus étiam, prudens, ac moderátus, effúsa in omnes cháritas,, mansuetúdo, atque humánitas cum ardénti religiónis zelo conjúncta. Carthusiáni, quod proféssus fúerat, institúti tenax, ejus asperitátes ad mortem usque retínuit. Famíliam ingénuam áluit, sanctissiméque institútam, ex qua duo Románi Pontífices Nicoláus Quintus, et Pius Secúndus prodiére. Tandem cum Eugénium Quartum honóris ergo comitarétur, Senis in Etrúria renum cálculo oppréssus, sancto fine quiévit. Ejus corpus Floréntiam delátum, apud Carthusiános honorífice cónditum est. Sanctitátis, et miraculórum fama post mortem clarum, Benedíctus Décimus quartus Beatórum ritu coli permísit.

℟. Iste est.

IN III. NOCTURNO

Hom. in Ev. Vigiláte *de Com. Conf. Pont.* 2. *loc.*

DIE XI. MAII

In fest. B. Joannis a Vespiniano *Conf.* Duplex.

Omnia de Communi Conf. non Pontific. praeter ea, quae sequuntur.

In Hymno Iste Conféssor *dicitur*: Méruit suprémos.

In utrisque Vesperis ad Magnif. Ant. Factus est refúgium páuperi, adjútor in opportunitátibus, in tribulatióne, allelúja.

ORATIO

Deus, qui Beátum Joánnem Confessórem tuum singuláris misericórdiae in páuperes, et exímiae poeniténtiae grátia decorásti: ejus méritis et précibus concéde, ut peccáta nostra plángere, et eleemósynis redímere valeámus. Per Dóminum.

LL. 1. *n. de Script. occ.*

IN II. NOCTURNO.

Lectio IV.

Joánnes anno círciter millésimo ducentésimo trigésimo quinto Vespiniáni in agro Mucelláno natus, ab ineúnte aetáte christiánae vitae normam ita sectátus est, ut in eo, quod de veris Ecclésiae fíliis ex Isaíae verbis ipse Christus praenunciávit: Erunt omnes docíbiles Dei, praecípue viderétur implétum. Oratióni quippe, ac rerum divinárum meditatióni addíctus, frequénter in pervetústo Oratório, ut costans fama est

apud loci íncolas, e rerum humanárum consórtio semótus, Deóque único inténtus, spíritum grátiae, et puríssimi in Deum amóris affé-ctum hauriébat. Ita Sanctórum sciéntia praeparáto ánimo majóres in corde suo ascensiónes dispósuit, ac divínae providéntiae consílio Floréntiam se cóntulit, praeclarióra datúrus in magna civitáte virtútum exémpla; praesértim vero illíus erga próximos charitátis quam véluti novum, ac peculiáre suum mandátum, tantópere, ac frequentíssime Christus discípulis commendátam vóluit. Erat enim illis tempóribus Florentína Respública magniscívium dissídiis agitáta, ideóque effraenis grassabátur vitiórum licéntia. Deus vero, qui temporálibus poenis et peccatóres emendatúrus coércet, et justórum virtutes exércet, atque declárat, tum áliis calamitatibus tum vero étiam frequénti annónae caritáte civitátem affligébat.

℟. Honéstum fecit.

Lectio V.

In tanta rerum perturbatióne, hominúmque pravitáte Joánnes vera illa amicítia, quae ex charitáte aeternitátis, te veritátis manat, sibi devínxit Bardúccium Bardúcci, virum antíquae fidei, morum sanctimónia et christiánis virtútibus insígnem. Eo, dum vita supérstes fuit, familiaríssime usus, oratiónibus, jejúniis, carnis maceratióne ad divínam justítiam propitiándam totus incúbuit; atque omni charitátis offício paupéribus úndique confluéntibus ádfuit, in quos consolándos, et aléndos opes suas omnes grandi liberalitáte effúdit. Larga proptérea a Deo mercéde étiam in hac vita est recreátus; plúrimi namque ejus exémplis ac salutáribus mónitis de vitiórum coeno ad viam salútis incedéndam erécti sunt. Ea síquidem sanctitátis opinióne apud omnes florèbat, ut non álio fere, quam viri justi, ac vere sancti título appellarétur; quem Deus ipse confirmávit insígnibus non semel ipsíus précibus in cívium salútem patrátis miráculis. Plenus dénique pietátis opéribus in senectúte bona obdormívit in Dómino, anno millésimo trecentésimo trigésimo primo, et condígno honóre, tota pene prosequénte civitáte, ad sancti Petri Majóris intra Monastérii cláustra, quod ipse máxime desideráverat, elátus est. At Deus qui ponit húmiles in sublíme, quique nóluit sublátam ex óculis tantae virtútis imá-

ginem cum ejus córpore consepelíri, ipsum ejus sepúlchrum gloriósum réddidit, quod cito pictis tabéllis votísque appénsis honestátum fuit; quasi Deo ipso praedicánte et viri sanctitátem, et vivéntem adhuc, vigentémque ipsíus in cives suos charitátem.

℟. Amávit eum.

Lectio VI.

Tot beneficiis ab eo accéptis, ac pópuli pietáte commóti Abbatíssa, et Clerus sacrum corpus íntegrum atque incorrúptum repértum, in Ecclésia, quam coeléstí odóre replévit, ut frequentíssimae plebis devotióni fieret satis, toto tríduo annuénte Epíscopo coléndum exposuérunt, non sine nova miraculórum accessióne. Deínde in Sacéllo ad sinístrum Ecclésiae paríetem, quod póstea pictúris, praecípuas servi Dei virtútes exhibéntibus, ornátum fuit, honoríficе collocátur, et solémnis memória, quotánnis prima mensis Július Domínica renovári coepta est. Sacra étiam lipsána per agrum Mucellánum potíssimum evécta, pátrios fines supplíciter circumdúcta ab ingruéntibus coeli tempestátibus incólumes praestáre solent. Anno dénique millésimo septingentésimo octogesimoquárto, díruto sancti Petri Majóris templo, venerábiles exúvias Antónius Martíni Archiepíscopus contribúlibus beáti viri flagitántibus ad Ecclésiam Plebaníam sancti Joánnis Majóris, non longe ab illíus natáli solo díssitam, transferéndas concéssit; ejúsque immemorábilem et numquam intermíssum cultum Pius Séptimus Póntifex Máximus decréto suo confirmávit, et público offício celebrándum indúlsit.

℟. Iste homo.

IN III. NOCTURNO.

Lectio VII.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Cap. 11. *v.* 37.

In illo témpore: rogávit Jesum quidam Pharisaeus ut prandéret apud se; et ingréssus recúbuit. Et réliqua.

Homilía Venerábilis Bedae Presbyteri.

In Evang. Lucae c. 21.

Quod súperest date eleemósynam, et ecce ómnia munda sunt vobis: quod necessário víctui, et vestiménto súperest, date paupéribus juxta quod

et Joánnes praecipit: Qui habet duas túnicas det non habénti. Neque enim ita faciénda jubètur eleemósyna, ut teípsum consúmas inópia, sed tui cura córporis expléta, ínopem, quantum vales, substéntes. Vel ita intelligéndum quod súperest, quod tam multo scélere praeoccupátis solum remédium restat dare eleemósynam. Qui sermo ad ómnia, quae úlili miseratióne fiunt, valet. Non solum enim qui dat esuriénti cibum, sitiénti potum, nudo vestiméntum, peregrinánti hospítium, et caetera hujúsmodi, verum étiam qui dat véniam peccánti, eleemósynam dat. Et qui eméndat vérbere in quem potéstas datur; vel coércet áliqua disciplína, et tamen peccátum ejus, quo ab illo laesus, aut offénsus est, dimíttit ex corde, vel orat, ut dimittátur, non solum in eo quod dimíttit, atque orat, verum étiam in eo, quod córripit, et áliqua emendatória poena plectit eleemósynam dat, quia misericòrdiam praestat. Multa ítaque génera sunt eleemosynárum, quae, cum fácimus adjuvámur ut dimittántur nobis nostra peccáta, sed ea nihil est majus, qua ex corde dimíttimus, quod in nos quisque peccávit.

℟. Iste est qui.

Lectio VIII.

Qui vult ordinàte dare eleemòsynam, a se ipso debet incípere, et eam sibi primum dare. Est enim eleemósyna opus misericórdiae, verissiméque dictum est: Miserére ánimae tuae placens Deo. Propter hoc et náscimur, ut Deo placeámus, cui mèrito dísplicet quod nascéndo contráximus. Haec est prima eleemósyna quam nobis dédimus, quóniam nos ipsos míseros per miserántis Dei misericórdiam, requisívimus. Propter quem dilectiònis órdinem dictum est: Díliges próximum tuum tamquam teípsum. Cum ergo increpàsset eos quod forínsecus se lavárent, intus áutem rapína et iniquitáte pleni essent, ádmonens quamdam eleemósynam, quam sibi homo debet prímitus dare et interióra mundári. Verúmtamen, inquit, quod súperest, date eleemósynam, et ecce ómnia munda sunt vobis.

℟. Sint lumbi vestri.

Lectio IX.

Deínde ut osténderet quid admonuísset, et quid ipsi fácere non curárent; ne illum putárent eórum eleemósynas

ignoráre. Sed vae vobis, inquit, Pharisaei. Tamquam díceret; ego quidem commónui vos eleemósynam dandam, per quam vobis munda sint ómnia, sed vae vobis, quia decimátis mentam et rutam, et omne ôlus: has enim novi eleemósynas vestras, ne de illis me nunc vos admonuísse arbitrémini. Et praeterítis judícium, et charitátem Dei, qua eleemósyna possétis ab omni inquinaménto interióre mundári, ut vobis munda essent et córpora quae lavátis; hoc est enim ómnia et interióra scílicet, et exterióra, sicut álibi légitur; mundáte quae intus sunt, et quae foris sunt munda erunt. Sed ne istas eleemósynas, quae fiunt de frúctibus terrae, respuísse viderétur: Haec áutem, inquit, opórtuit fácere, idest judícium et charitátem Dei, ut et nos veráciter de nostra miséria judicántes et Dei charitátem, quam donávit ipse, diligéntes, pie rectéque vivámus, justum judícium ejus confiténtes, quo míseri effécti sumus. Haec áutem opórtuit fácere, et illa non omíttere, idest eleemósynas frúctuum terrenórum. Non ergo se fallant, qui per eleemósynas quáslibet largíssimas frúctuum suórum, vel cujúsque pecúniae, impunitátem se émere exístimant in facínorum immanitáte, ac flagitiórum nequítia permanéndo.

Te Deum.

AD BENEDICTUS.

Ant. Exaudíta est orátio tua, et eleemósynae tuae commemorátae sunt in conspéctu Dei, allelúja.

DIE XIII. MAII.
ASS. EX 2. EJUSDEM.

In Festo S. ATHANASII EP. C. D. Duplex.

Omn. ut in Brev. 2. *huj.*

DIE XIV. MAII ASS.

In Festo BEATI GHERARDI A VILLAMAGNA *Confessoris.* Duplex.

Omnia de Communi Confessoris non Pontificis, praeter sequentia.

ORATIO

Deus, qui per jugem Filii tui Passiónis memóriam beátum Gherárdum Confessórem tuum altíssimae contempla-

tiónis, et poeniténtiae stúdio decorásti; da nobis fámulis tuis, ut ejus vestígiis inhaeréntes, redemptiónis praemia cónsequi valeámus. Per eúmdem Dóminum nostrum.

IN I. NOCTURNO.

Lectiones de Scriptura occurr.

IN II. NOCTURNO.

Lectio IV.

Gherárdus húmili génere natus in Oppido Villaemágnae prope Floréntiam duodécimo aere Christiánae verténte saeculo, paréntibus arvis excoléndis addíctis adhuc puer orbátus, Floréntiae ab ipsis arvórum heris domo excéptus pie christianéque fuit educátus. Quum áutem unus ex his Eques Hierosolymitánus navigatúrus esset in Syriam advérsus Infidéles, egrégia Gherárdi índole, et virtútum ornátu captus, vóluit eum, cui jam per aetátem licébat, sócium sibi adscíscere. Sed quum praeliántes ambo in hóstium manus mísere devenfssent, post ingéntes aerúmnas redémpti fuére. Quum vero Eques, quo cum iter fécerat, decessísset, Gherárdus in perlustrándis terrae Sanctae locis ad poeniténtiae stúdium inflammátus in Etrúriam rédiit, et in suum tugúrium apud Villamàgnam sese recépit. Non multo post cum áltero Ordinis Hierosolymitáni Equite íterum Syriam pétiit, et quum navim, qua ipse una cum vigínti Hierosolymáriis milítibus vehebátur, ab immáni piráta víribus multo majóribus oppugnári vidéret, non áliter quam eníxis ad Deum précibus ab imminénti illo discrímine sese, sociósque liberávit.

℟. Honéstum fecit illum.

Lectio V.

Hierosólymis áliquot annos morátus obspectáta ejus virtútum mérita Equitum Hierosolymariórum cruce donátus fuit, atque inter eos cooptátus quos Auxiliáres seu Famulántes appéllant. Ibídem singulári erga infirmos et peregrínos charitáte, et assíduae coeléstis contemplatiónis stúdio máximam sibi sanctitátis famam adéptus est. Ejus ítaque declinándae causa ab Ordinis Praesidibus véniam petit redeúndi in pátriam. Itáliam versus návigans saeva maris procélla suis précibus sedáta, et in Etrúriam appúlsus, a sancto Francísco Assisiénsi Tértii Ordinis Minórum hábitum devotíssime ac-

cépit. Pátriam deínde répetens, domúmculam extra Oppidum secéssit ea mente, ut eremíticam vitam posthac dúceret, ubi flagellatiónibus ásperum, coeléstium tamen contemplatióne suáve vitae genus instítuit. Pane tantum et herbis utebátur ad victum quibus raro legúmina addébat, ac praeter Ordinis Minórum abstinéntias, ter in hebdómada jejunábat. Charitáte in próximum ardens ut juváret aegros, egenósque, stipem ipse quaeritábat, omnésque ad eum confluéntes, vel in rectam salútis viam revócare, vel ad perfectiónem impéllere omni ope, atque ópere studébat.

℟. Amávit eum.

Lectio VI.

Orándi assiduitátem callum génibus obduxísse post ejus óbitum compértum est. Nam praeter diúrnas precatiónes, Ecclésias valde inter se díssitas ter per hebdómadam noctu visitábat, vetústam praesértim in vértice montis qui Incóntrus appellátur, quem locum beátus Leonárdus a Portu Mauritio consúlto ad sui Ordinis recéssum instituéndum selégit, quia eo frequéntius Gherárdus in coeléstium rerum contemplatióne sese recípere consuéverat. Dono tandem prophetíae, scrutatiónis córdium, morbórum sanatiónis, et miraculórum clarus, plenúsque diérum Anno millésimo ducentésimo quadragésimo secúndo, sui óbitus die cuídam Mónacho e sacra sancti Benedícti Família, quo consciéntiae moderatóre utebátur, praenunciáto, et Eccle iae Sacraméntis rite, devotéque munítus, mense Majo plácide obdormívit in Dómino. Statim ejus habitáculo ob miraculórum cópiam in Ecclésiam ei dicatam constrúcto, ejúsque Córpori in lapídea urna recóndito, públicus, et Ecclesiásticus cultus exhibéri coepit, quem per annos fere sexcéntos júgiter continuátum, et áuctum, Summus Póntifex Gregórius Décimus Sextus ex Sacrórum Rituum Congregatiónis consúlto Anno millésimo octingentésimo trígesimo tértio solémni decréto ratum hábuit, et confirmávit, benignéque indúlsit ut ejus festum tam a Clero Florentíno, et Fesuláno, quam ab Ordine tum Hierosolymitáno, tum Minórum sancti Francísci Missa, Officióque próprio celebrarétur.

℟. Iste homo.

IN III. NOCTURNO.

Hom. in Ev. Nolíte timére *ut in eod. comm.* 2. *loc. et* 9. *l. cum com. S.* Bonifacii m.

DIE XV. MAII.
ASS. EX I. HUJ.

In Festo S. PEREGRINI LATIOSI *Conf. Ordinis Servorum B. M. V.* Duplex.

In Hymno Iste Conféssor, *mutatur tertius Versus.*

ORATIO.

Deus, qui beáto Peregríno Angelum cómitem, magístram Deíparam, Jesum tetri últeris médicum mire dedísti, da per mérita ipsíus, obsecrámus, ut sanctum Angelum, Vírginem, Salvatórem, singuláriter et amémus in terris, et collaudémus in coelis. Per eúmdem Dóminum nostrum.

In I. Nocturno Lectiones de Scriptura occurr.

IN II. NOCTURNO.

Lectio IV.

Peregrínus Forolívii ex nóbili Latiosòrum família ortus, sanctíssimae Vírgini Deíparae devótus, quadam die in Ecclésia Cathedráli ante illíus imáginem diútius orans, et petens, ut vias suas dirígeret, eam pretiósis véstibus indútam, sibi, ut ad servos suos se conférret, praecipiéntem audívit. Quare adoléscens, Angelo cómite, Senas proféctus, Prióri Servórum visiónem, mandatúmque Vírginis expósuit, ac récipi humíliter postulávit. In receptióne splendóre quodam coelésti, quo futúra sánctitas ejus praemonstrabátur, caput illíus circumfúlsit. Trigínta annos natus, Forolívium remíssus, ubi diu labóribus, vigíliis, jejúniis, oratiónibus exércitam vitam duxit. Nunquam (mirándum!) per annos trigínta sedére visus: at si quando somno, aut lassitúdine victus stare non posset, saxo pro sede utebátur. Nunquam in lecto, neque infirmus decúbuit, noctes fere omnes insómnes in oratiónibus, et piis meditatiónibus dúcere sólitus. Nulla die consciéntiae exámine, et sacramentáli conféssióne praetermíssis peccáta lácrymis étiam exterióribus deflébat.

℟. Honéstum fecit.

Lectio V.

Admirábili fuit patiéntia. Nam cum crus ex cancri morbo intumuísset, atque putrédine ádeo esset inféctum, ut foetórem ómnibus inférret, sic tamen absque omni querimónia semper fuit, ut cives

illum álterum Job appellárent. Cum áutem crus illud medicórum consílio amputándum esset; Peregrínus nocte praecedénte solus ex loco, in quo jacébat, surgens, et reptans, ut póterat in Capítulum venit, ibíque ante Crucifixi imáginem (quae adhuc manet, et magnam habet apud Foroliviénses veneratiónem) veheméntius orans, et obdormíscens, Christum de Cruce descendéntem, et crus tangéntem vidit. Expergefáctus, ita crus sanátum sensit, ac si nunquam túmidum, ulcerátum, putridúmve fuísset. Médici vero mane, ut crus secárent, adveniéntes, cum illud sanum vidíssent, stupóre affécti, domum tanto miráculo per urbem divulgáto, regréssi sunt.

℟. Amávit eum.

Lectio VI.

Peregrínus piis labóribus, ac aetáte conféctus (erat enim octogenárius), brevi febre corréptus Kaléndis Maji anno salútis millésimo tercentésimo quadragésimo quinto migrávit ad Christum. Ejus ánimam, beáto Philíppo Ordinis Servórum beátae Maríae Vírginis, qui, ut ipse Religiónem ingrederétur, dux fúerat, et beáto Francísco Senénsi ejúsdem Ordinis comitántibus, a Virgínibus in coelum deférri visam, memóriae próditum est. Multa post mortem mirácula sanctitátem ipsíus declarárunt. In quibus coecus, Peregríno manum ex féretro óculis illíus admovénte, lumen recépit. Múlier étiam multis obséssa daemónibus ad sacrum corpus ipsíus perdúcta, liberáta est. Quidam ex árbore procéra in terram delápsus, Peregríni nómine invocáto, sine ulla laesióne repértus fuit. Ad cujus túmulum Kaléndis Maji non tántum cívitas Foroliviénsis, sed finítimi pópuli quotánnis ad illum venerándum conflúere, vótaque ei nuncupáre solent. Páulus Quintus summus Póntifex anno millésimo sexcentésimo nono concéssit, ut Officium divínum in toto Servórum Ordine recitári possit; Benedíctus vero Décimus tértius anno reparátae salútis millésimo septingentésimo vigésimo sexto inter sanctos Coelites ritu solémni recénsuit.

℟. Iste homo.

IN III. NOCTURNO

Homil. in Ev. Nolíte timére, *ut in Comm. Conf. non Pontif.* 2. *loco.*

DIE XVI. MAII

In Festo S. Joannis Nepomuceni *Canonici Pragensis et Martyris.* Duplex.

Omnia de Comm. MM. Temp. Paschal. vel de Comm. unius Mart. extra tempus Paschale, praeter sequentia.

ORATIO.

Deus, qui ob invíctum beáti Joánnis Sacramentále siléntium, nova Ecclésiam tuam Martyrii coróna decorásti; da nobis ejus intercessióne, et exémplo, linguam cáute custodíre, ac ómnia pótius mala, quam ánimae detriméntum in hoc saeculo toleráre. Per Dóminum.

IN I. NOCTURNO

Lectiones de Scriptura occurrente.

IN II. NOCTURNO

Lectio IV.

Joánnes Nepomúci Bohémiae óppido, unde Nepomucéni cognómen duxit, a paréntibus aetáte provéctis non sine futúrae sanctitátis praeságio, flammis supra nascéntis domum mirabíliter collucéntibus, ortus est. Cum infans in gravem morbum incidísset, beátae Vírginis ope, cui natum paréntes referébant accéptum, e vitae perículo evásit incólumis. Egrègia índole, piáque institutióne coeléstibus indíciis obsequénte, inter sanctas, religiosásque exercitatiónes pueritiam egit; nam Ecclésiam frequénter adíre, ac Sacerdótibus ad aras operántibus ministráre in delíciis habébat. Zatécii politióribus lítteris ad humanitátem informátus, Pragae vero gravióribus disciplínis excúltus, Philosophíae, Theologíae, sacrorúmque Cánonum Magistérium, et láuream eméruit. Sacerdótio initiátus, atque a sciéntia Sanctórum ad lucra animárum rite comparátus, ministério verbi Dei se pénitus addíxit. Cum ígitur in vítiis extirpándis, et revocándis in viam salútis errántibus eloquéntia, et pietáte úberes éderet fructus, inter Canónicos Metropolitánae Ecclésiae Pragénsis cooptátus, mox sibi demandátam Evangélii coram Rege Wencesláo Quarto praedicándi provínciam suscépit, eo succéssu, ut Joánnis suásu, multa Rex fáceret, magnóque in honóre ejus virtútes habéret. Conspícuas tamen, quas ille óbtulit dignitátes, Dei Servus, ne a diví-

ni verbi praecónio avocarétur, constantíssime recusávit.

Tempore Paschali ℟. Lux perpétua.

Extra Temp. Pasch. ℟. Honéstum.

Lectio V.

Régiis illum eleemósynis in páuperes erogándis praeféctum Joánna Regína consciéntiae sibi moderatórem adscívit. Cum áutem Wenceslàus ab officio, institutóque decessísset, atque in vítia praeceps abriperétur, piae áutem cónjugis obtestatiónes, et mónita graváte ferret, conténdere áusus est, ut in Sacramentàli judício sacerdóti crédita Regínae arcána sibi a Joánne panderéntur. At Dei minister blandítiis primum, torméntis deínde, et cárceris squalóre tentátus, nefáriae Regis cupiditáti fórtiter óbstitit. Furèntem tamen Wenceslái ánimum cum ab execrándo propósito nec humána, nec divína jura deterrérent, suprémum agónem, quem instáre sibi athléta Christi nóverat, pópulo in concióne de impendéntibus étiam regni calamitátibus admónito, non obscúre praenuntiávit. Mox Bolesláviam proféctus, ad beátae Vírginis Imáginem antíquo cultu célebrem coeléste praesídium ad certándum bonum certámen effúsis précibus implorávit. Inde véspere reverténtem in pervigílio Domínicae Ascensiónis Rex e fenéstra conspicátus arcéssit; cumque veheméntius urgéret, et próximam in aquis, si obluctári pérgeret, submersiónem intentáret, Joánnes invícta constántia terróres, minásque refutávit. Itaque Regis império in Moldávam flumen Pragam intérfluens noctu dejéctus, illústrem martyrii corónam est consecútus.

Tempor. Paschali. ℟. In servis suis.

Extr. Temp. Pasch. ℟. Desidérium ánimae.

Lectio VI.

Sacrílegum fácinus clam patrátum, et mártyris glóriam insígne prodígium divínitus patefécit. Ubi enim exánime corpus secúndo flúmine vehi coepit, ardéntes faces aquis supernatántes, et discurréntes apparuérunt. Quamóbrem ex aréna postrídie mane corpus elátum, Canónici deinde Regis iram nihil timéntes, in Metropolitánam Ecclésiam solémni pompa intulérunt, et sepultúrae mandárunt. Cum áutem in dies invícti Sacerdótis memória miràculis, et

máxima fidélium, eórum praecípue, qui fama periclitàntur, veneratióne crésceret, post annos demum ámplius tercéntos, in jurídica recognitióne córporis, quod sub humo támdiu jacúerat, lingua ejus incorrúpta, et vívida repérta est: quae sexto post anno Judícibus a Sede Apostólica delegátis exhíbita, novo prodígio repénte intúmuit, et subobscúrum rubòrem in purpúreum commutávit. His ítaque, aliísque signis rite probátis, Benedíctus Décimus tértius Póntifex Máximus die décima nona mensis Mártii, anno salútis millésimo septingentésimo vigésimo nono, primum hunc Sacramentális sigìlli assertórem, arcáni fidem sánguine obsignántem, Sanctórum Mártyrum catálogo adscrípsit.

Temp. Paschali ℟. Filiae Jerúsalem.

Extr. Temp. Pasch. ℟. Stola jucunditátis.

IN III. NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthaeum.

Lectio VII. Cap. 10.

In illo témpore: dixit Jesus discípulis suis; Nihil est opértum, quod non revelábitur, et occúltum, quod non sciétur. Et réliqua.

Homilía sancti Hilárii Epíscopi.

Comm. in Matth. Cap. 10. *post med.*

Dóminus diem judícii osténdit, quae abstrúsam voluntátis nostrae consciéntiam prodet, et ea, quae nunc occúlta existimántur, luce cognitiónis públicae déteget. Igitur non minas, non consília, non potestátes insectántium monet esse metuéndas; quia dies judícii nulla haec fuísse atque inánia revelábit. Et quod dico vobis in ténebris, dícite in lúmine, et quod in áure audítis, praedicáte super tecta. Non légimus, Dóminum sólitum fuísse nóctibus sermocinári, et doctrínam in ténebris tradidísse: sed quia omnis sermo ejus carnálibus ténebrae sunt, et verbum ejus infidélibus nox est.

Tempore Paschali. ℟. Ego sum vitis.

Extra Temp. Pasch. ℟. Coróna áurea.

Lectio VIII.

Itaque id, quod a se dictum est, cum libertáte fidei, et confessiónis vult esse loquén-

dum. Idcírco quae in ténebris dicta sunt, praedicári jussit in lúmine; ut quae secréto áurium commíssa sunt, super tecta, id est, excélso loquéntium praecónio audiántur. Constánter enim Dei ingérénda cognítio est, et profúndum doctrínae Evangélicae secrétum in lúmine praedicatiónis Apostólicae revelándum; non timéntes eos, quibus cum sit licéntia in córpora, tamen in ánimam jus nullum est: sed timéntes pótius Deum, cui perdéndae in gehénna et ánimae et córporis sit potéstas,

Tempor. Paschal. ℟. Cándidi facti sunt.

Extra Temp. Pasch. ℟. Hic est vere martyr.

Lectio IX.

Nolíte timére, eos, qui occídunt corpus. Nullus ígitur córporum nostrórum casus est pertimescéndus, neque ullus interiméndae carnis admitténdus est dolor, quando pro natúrae suae atque oríginis conditióne resolúta, in substántiam spirituális ánimae refundátur. Et quia doctrínis tàlibus confirmátos opórtet líberam confiténdi Dei habére constántiam, étiam conditiónem, qua tenerémur adjécit: negatúrum se eum Patri in coélis, qui se homínibus in terra negásset: eum porro, qui conféssus coram homínibus se fuísset, a se in coelis confiténdum: qualésque nos nóminis sui testes homínibus fuissémus, tali nos apud Deum Patrem testimónio ejus usúros.

Te Deum.

DIE XVII. MAII.

In Festo S. Paschalis Baylon *Conf.* Duplex.

Omnia de Communi Conf. non Pontif. praeter ea, quae sequuntur.

ORATIO.

Deus qui beátum Paschálem Confessórem tuum mirífica erga Córporis et Sánguinis tui sacra mystéria dilectióne decorásti: concéde propítius, ut quam ille ex hoc divíno convívio spíritus percépit pinguédinem, eámdem et nos percípere mereámur. Qui vivis et regnas.

IN I. NOCTURNO.

Lect. de Script. occurr.

IN II. NOCTURNO

Paschális Báylon, paupéribus piísque paréntibus in óppido Turris Formósae Se-

guntínae Dioecésis in Aragónia natus, a téneris annis plura dedit futúrae sanctitátis indícia. Sortítus ánimam bonam, ac rerum coeléstium appríme studiósam, puerítiam atque adolescéntiam in gregis custódia transégit: quam ille vivéndi ratiónem ídeo praecípue diligébat, quod humilitáti fovéndae, ac innocéntiae conservándae in primis útilem, atque opportúnam judicáret. Erat in victu módicus, in oratióne assíduus tantáque apud coaevos et sócios florébat auctoritáte et gràtia; ut, eórum lites compónens, erróres córrigens, ignorántiam erúdiens, ac desídiam éxcitans, velut ómnium parens et magíster, máximo stúdio colerétur, ac amarétur; Beátus étiam tum a plerísque appellátus.

℟. Honéstum fecit illum.

Lectio V.

Qui vero in saeculo, terra nempe desérta et inaquósa, ádeo féliciter adoléverat, flos convállium plantátus in domo Dómini, mirum ubíque spársit sanctitátis odórem. Igitur Paschális, arrépto vitae severióris institúto, atque in Ordine Minórum strictióris observántiae Discalceatórum cooptátus, exultávit ut gigas ad curréndam viam suam; totúmque se Dómino excoléndum tradens, dies, noctésque cogitábat, qua se ratióne magis ei magísque conformáret. Ita factum est brevi, ut eum, tamquam Seráphicae perfectiónis exémplar, ipsi quoque provectióres imitándum sibi propónerent. Ipse áutem in húmili serviéntium gradu constitútus, se velut ómnium peripséma réputans, árdua quaeque, et abjécta domus ministéria, véluti jure quodam peculiári sibi débita, summa cum hilaritáte suscipiébat, et exercébat humilitáte ac patiéntia pari. Carnem spirítui quandóque reluctári niténtem jugi maceratióne afflictávit, atque in servitútem redégit; spíritum vero assídua sui abnegatióne ferventiórem in dies ad anterióra exténdebat.

℟. Amávit eum Dóminus.

Lectio VI.

Deíparam Vírginem, cujus clientélae se ab ineúnte aetáte dicáverat, tamquam matrem, quotidiánis colébat obséquiis, atque filiáli exorábat fidúcia. Porro erga sanctíssimum Eucharistíae Sacraméntum, difficile dictu est, quam ardénti tenerétur devotiónis afféctu, quem defúnctus étiam in cadávere retinére visus est; dum jacens in féretro, ad sacrae Hóstiae elevatiónem bis

óculos reserávit et cláusit, magna ómnium, qui áderant, admiratióne. Ejúsdem veritátem inter haeréticos públice palámque proféssus, multa et grávia ob eam cáusam perpéssus est. Crebro étiam ad necem petítus sed singulári Dei providéntia ab impiórum mànibus eréptus. Saepe inter orándum ómnibus destituebátur sénsibus, dulcíque languébat amóris delíquio: quo témpore coeléstem illam sciéntiam hausísse créditus est, qua homo rudis et illitterátus de mystériis Fídei difficíllimis respondére, atque áliquot étiam libros conscríbere pótuit. Dénique méritis plenus, eádem, qua praedíxerat, hora, felíciter migrávit ad Dóminum anno salútis millésimo quingentésimo nonagésimo secúndo, sextodécimo Kaléndas Júnii, eódem, quo natus fúerat, festo Pentecóstes recurrénte, annum agens secúndum supra quinquagésimum. Quibus, aliísque virtútibus insígnem, ac miráculis tam in vita quam post mortem clarum, Páulus quintus Póntifex Máximus illum Beátum appellavit: Alexánder áutem Octávus Sanctórum catálogo adscrípsit.

℟. Iste homo perfécit ómnia.

IN III. NOCTURNO.

Hom. de Com. Conf. non Pont. 1. *loco.*

DIE XIX. MAII.

In Festo B. HUMILIANAE DE CERCHIIS *Vid. Tert. Ord. S. Francisci.* Duplex, *Omnia de Comm. nec Virg. nec Mart. praeter ea, quae sequuntur.*

ORATIO.

Omnípotens sempitérne Deus, dulcédo córdium, et praemium Beátorum, qui beátam Humiliánam tuo amóre succénsam suavíssima contemplatiónis dulcédine replevísti: concéde propítius, ut ejus méritis, et imitatióne tibi júgiter adhaeréntes, tuae celsitúdinis spéciem contemplári perpétuo mereámur. Per Dóminum.

IN I. NOCTURNO.

Lectiones de Script. occur.

IN II. NOCTURNO.

Lectio IV.

Humiliána ex vetustíssima Cerchiórum família Floréntiae nata, ab ineúnte aetáte se totam Deo mancipávit. Cum séxdecim esset annórum, paréntum voluntáti obtémperans, nupsit ejúsdem pátriae civi, nobilitáte quidem pari, índole vero ac móribus

longe ímpari; a quo annos quinque quibus ipsi copuláta fuit, dúrius hábita, insígnia per id tempus exémpla dedit cum própriae mansuetúdinis tum charitátis erga virum: cui in extrémis laboránti, multóque nummi foenore praegraváto, ut illáta damna reficeret, dotem suam heróica liberalitáte dícitur obtulísse. Cónjuge vita functo, patérnam domum rédiit; ibíque secúndis núptiis constantíssime recusátis vetústam, despectámque turrim elégit, in qua réliquum vitae suae tempus transígeret. Atque ut árctius coelésti sponso jungerétur, a Frátribus Minóribus spirituális ejus vitae dúcibus, ac magístris, hábitum tértii Ordinis beáti Francísci ómnium prima Floréntiae in Ecclésia sanctae Crucis pétiit humíliter, et obtínuit,

℟. Propter veritátem.

Lectio V.

Eo in loco atque hábitu, mirum quantum virtúte profécerit. Patiéntia fuit admirábili; bonis enim ómnibus per summam injúriam spoliáta, a patre et consanguíneis contuméliis affécta, a fámula gravi vúlnere in fronte sauciáta, a Deo étiam diútinis infirmitátibus, véluti áurum in igne probáta, ómnia áspera non modo summa oris, et ánimi lenitáte, verum étiam cum gratiárum actióne perférre consuévit. Misericórdia quoque in páuperes singulári; quos ut pásceret atque indúeret, cibos non semel, vestésque sibi ipsi detráxit: neque erúbuit nóbilis matróna pro sacris Virgínibus victum emendicáre. Tanto áutem in Deum fervébat amóre, ut ob ejus glóriam vel sánguinem fúndere, vel igne absúmi, vel álio quovis poenárum génere excruciári veheménter optáret. Quod ardens quidem, sed írritum martyrii desidérium assíduis gravibúsque sui córporis castigatiónibus explévit. Altíssimae contemplatiónis suavitáte divínitus superfúsa quam frequentíssime in éxtasim rapiebátur; nec raro méruit beatórum spírituum, atque ipsíus Christi Dómini tum praeséntia, tum collóquio, tum étiam supérnis revelatiónibus, et favóribus recreári.

℟. Dilexísti justítiam.

Lectio VI.

Deíparam Vírginem, coelitésque omnes impénse cóluit. Dono lacrymárum et prophético spíritu insignita mirácu-

lis étiam cláruit: nam et plures infirmi, ipsa oránte, convaluére: et aqua modo in vinum, modo in óleum convérsa est. Morbum, quo aegrótus quidam afflictabátur, in próprium corpus transférri, fusis ad Deum précibus, impetrávit, fíliam, quam pie educáverat súbita morte extinctam vitae restítuit. Ejus céllula coelésti splendóre saepe visa est collucére. Frequéntes daemonum fráudes, insídias, et vexatiónes, solo crucis signo muníta superávit. Jejúniis dénique, vigíliis, ac letháli morbo conficta, quartodécimo Kaléndas Június anno reparátae salútis millésimo ducentésimo quadragésimo sexto, aetátis suae séptimo supra vigésimum, placidíssime ánimam Deo réddidit; ejúsque corpus Floréntiae in Ecclésia Sanctae Crucis Ordinis Minórum honorífice sepúltum, et percrebrescénte statim miraculórum fama, tértio post mense honorificéntius elátum, non intermíssa fidélium veneratióne, approbánte Innocéntio duodécimo ad haec usque témpora cólitur.

℟. Fallax grátia.

IN III. NOCTURNO.

Hom. in Ev. Thesáuro *de eod. Comm.*

DIE XX. MAII.

In Festo S. Guidi de Gherardesca *C.* Duplex.

Omnia de Comm. Conf. non Pont. praeter ea quae sequunt.

ORATIO

Coeléstium donórum inspirátor, et distribútor miséricors Deus, da nobis fámulis tuis beáti Guidi Confessóris imitatióne, et précibus cadúca mundi despícere, et coeléstia semper inquírere. Per Dóminum.

IN I. NOCTURNO

Lect. de Script. occurr.

IN II. NOCTURNO

Lectio IV.

Guidus ex illústri, ac pervetústa família de Gherardésca, Neapoleóne Patre Pisis in Hetrúria ortus est anno millésimo círciter et sexagésimo. Ab ineúnte aetáte certa dedit indícia futúrae sanctitátis suae, cui ánimum praeparáre conténdit. Revéra solémne illi fuit inter doméstícos paríetes oratióni, jejú-

niis, vigíliis, piisque meditatiónibus vacáre, et sublevándis paupéribus étiam óperam impéndere. Hisce munítus praesídiis, solitáriae, et eremíticae vitae máxime cúpidus genti suae, et pátriae núncium remísit, et quadragésimum annum agens, in campum suo Donoraticénsi Castéllo adjéctum, Populoniénsis, Massanaeque Dioecésis secéssit. Ibi loco pénitus ábdito, ut uni Deo fervéntius inservíret, sibi studióse delécto, et aedícula constrúcta, quam sanctae Maríae ad Glóriam nuncupávit, quaeque nunc extat, réliquum vitae cursum in eremítica austeritáte complévit.

℟. Honéstum fecit.

Lectio V.

Quot Móyses in loco solitúdinis annos transégerat, tot Guidus coeléstium rerum contemplátor exímius explévit: quare aetáte gravis, et méritis, glorióso de antíquo hoste reportáto triúmpho, die vigésima Maji ad coeléstem pátriam est evocátus. Quam vero fúerit mors ejus pretiósa in conspéctu Dómini, porténtum patefécit. Síquidem vix ille vita excéssit, cum vicinárum Ecclesiárum campánae sponte sónitum edidére. Quo signo éxciti finítimi pópuli, et rem novam, atque mirábilem auspicáti, ad venerábilem Castri Donorátici recéssum concurréntes invéntum ibi Guidi corpus honoríﬁce sepeliérunt. Verum cum Beáti sepúlchrum crebris miráculis factum fuísset gloriósum, ut peregrinórum magna frequéntia undequáque confluéntium devotióni fíeret satis, quod erémi angústiae non patiebántur, ad Donorátici Castri Ecclésiam anno millésimo ducentésimo duodécimo translátum est.

℟. Amávit eum.

Lectio VI.

Bellis póstmodum ingruéntibus Pisános inter, et Florentínos, díruto Castro, et Ecclésia, mirábilis Deus in Sanctis suis beáti Guidi memóriam forsan peritúram áltero prodígio renovávit. Die namque Epiphaníae copiosióri delápsa nive, obrigescénte terra, exúrgere visa sunt arbúscula quaedam, vulgo scopae, suavíssimum late odórem fundéntia; cujus rei exquiréndae cáusa arca lapídea sursum versa invénta est, in qua ex uno repósiti córporis osse humeráli, arbústa illa fóliis redimíta oriebántur. His rite probátis, ut Civem suum Pi-

sánus pópulus vindicáret, apud Callístum Tértium Pontíficem Máximum summo ínstitit stúdio. Petro de Urso Epíscopo tamen, et Gherardésca Gente primo obsisténtibus, deínde vero assentiéntibus sacrae Guidi exúviae ad majòrem Pisárum Ecclésiam, Clero univérso, urbis procéribus, ingentíque pópulo comitántibus solémni magnificéntia translátae sunt, relíctis in próxima Castanéti Ecclésia crure, maxílla, et relíquiis, quae in summa veneratióne habéntur, anno millésimo quadringentésimo quinquagésimo nono, die sextadécima Júnii. Ita beáti Guidi sánctitas adolévit, miráculis crevit, et Summi Pontíficis oráculo est confirmáta.

℟. Iste homo.

IN III. NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio VII. Cap. 12.

In illo témpore; dixit Jesus discípulis suis: Sint lumbi vestri praecíncti, et lucérnae ardéntes in mánibus vestris. Et réliqua,

Homilía sancti Gregórii Papae.

Hom. 13. *in Ev.*

Véniens Dóminus, quid vigilántibus servis exhíbeat, audiámus. Amen dico vobis, quod praecínget se, et fáciet illos discúmbere, et trànsiens ministrábit illis. Praecínget se, idest, ad retributiónem praeparat. Et fáciet illos discúmbere, idest in aetérna réquie refovèri: discúmbere quippe nostrum, in regno quiéscere est. Unde rursus Dóminus dicit: Vénient, et recúmbent cum Abraham, Isaac, et Jacob. Tránsiens áutem Dóminus minístrat, quia lucis suae illustratióne nos sátiat: transíre vero dictum est, cum de judício ad regnum redit.

℟. Iste est.

Lectio VIII.

Sed quid, si servi in prima vigília negligéntes exístunt. Prima quippe vigília, primaevae aetátis custódia est. Sed neque sic desperándum est, et a bono ópere cessándum; nam longanimitátis suae patiéntiam insínuans Dóminus, subdit: Et si vénerit in secúnda vigília, et si in tértia vigília vénerit, et ita invénerit, beáti sunt servi illi. Prima quippe vigília primaevum

tempus est, idest pueritia, secúnda adolescéntia, vel juvéntus, quae auctoritáte sacri elòquii unum sunt, dicénte Salomóne: Laetáre júvenis in adolescéntia tua: tértia áutem senéctus accípitur.

℟. Sint lumbi vestri.

Lectio IX.

Qui ergo vigiláre in prima vigília nóluit, custódiat vel secúndam: ut qui convérti a pravitátibus suis in pueritia negléxit, ad vias vitae saltem in témpore juventútis evígilet: et qui in secúnda evigiláre nóluit, tértiae vigíliae remédia non amíttat, ut qui in juventúte ad vias vitae non vígilat, saltem in senectúte resipíscat. Non est jam, quid homo excusatiónis invéniat. Deus despícitur, et expéctat: contémni se videt, et révocat; injúriam de contémptu suo súscipit, et tamen quandóque reverténtibus étiam praemia promíttit.

Te Deum.

DIE XXI. MAII.

In Festo S. Felicis a Cantalicio *Conf.* Semiduplex.

Omnia de Communi Conf. non Pontific. praeter ea, quae hic ponuntur.

In Hymno Iste Conféssor, *mutatur tertius versus.*

ORATIO

Fac nos, Dómine Jesu, in simplicitáte, et innocéntia cordis nostri ambuláre; quarum amóre de sinu Matris inter beáti Felícis Confessóris tui bráchia descendísti. Qui vivis et regnas.

In I. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

IN II. NOCTURNO.

Lectio IV.

Felix a Cantalício in Sabínis humílibus, sed piis paréntibus natus, a púero pascéndis grégibus, mox et agro coléndo addíctus, multo impénsius rerum coeléstium meditatióne ánimum nutríre, et corpus assíduis vigíliis, ac jejúniis domáre coepit, eremíticam agens vitam pótius, quam rústicam. Ferventióre áutem in Deum pietáte incénsus, cum non posset quotídie, ut optábat, sacris mystériis interésse, grege ad loca solitária compúlso: ipse ante Crucem, árborum cortícibus incísam diu oráre, seque áriter flagelláre consuéverat;

sed et aliquándo glebas in agro vértere, simúlque sacris in templo adésse visus est. Alias inter arándum furéntibus, quos júnxerat, indómitis juvéncis humi stratus, et arátro superdúcto plane proscindéndus, laceráta dumtáxat veste, surréxit illaesus. Quo perículo, ut ad tutiórem reguláris disciplínae palaestram vocánti jam pridem Deo paréret, admónitus; rústica suppelléctili paupéribus distríbui jussa, ad Fratres Minóres, quos Capuccínos vocant, própere se cóntulit.

℟. Honéstum fecit.

Lectio V.

Adhuc tyro, necdum vota solémnia profésssus religiósae perfectiónis ápicem jam attigísse videbátur. Obediéntiae sédulus cultor, ad praecipiéntis non modo verbum, sed étiam nutum praesto erat; seque Coenóbii juméntum díctitans, vilíssima quaeque ministéria semper arrípuit; ac ludíbria, et contumélias hílari vultu excipiébat. Paupertátis quam esset studiósus, illústri documénto Deus ipse declarávit. Ostiátim enim per vicos, et platéas aléndis Frátribus mendìcans, (quod ille munus per annos quadragínta nudis fere semper pédibus obívit) cum die quadam inusitáto póndere se ópprimi sentíret, mánticam scrutátus, injéctum clam nummum deprehéndit; quo projécto, nec sine indignatióne proculcáto, álacer, et levis inde ábiit. Castitátem, quam usque ad óbitum servávit illibátam , sanctus córpore, et spíritu a Paulo quinto proptérea appellátus; vígili oculórum custódia, et voluntário córporis cruciátu communívit; aspérrimo flagéllo se quotídie cruéntans, ac férreo cilício constríctus, septem étiam Urbis Basílicas idéntidem invísens; jejúnia Ordinis inédia quandóque cumulávit. Lectus ejus dolóris pótius quam quiétis erat: brevem quippe somnum, flexis nuda super tábula génibus, ac fasce sarmentórum cápiti suppósito, carpébat.

℟. Amávit eum.

Lectio VI.

Vitae austeritáte sibi asper, áliis charus, acceptúsque, sanctis praesértim Cárolo, et Philíppo Nério, simplicitáte, atque innocéntia semper fuit. In oratióne pernóctans, dulcíssimam frequénter éxtasim est passus; et aliquándo in ulnis suis reclinátum a Vírgine Ma-

tre púerum Jesum suavíssime compléctì méruit. Prophetíae grátia et miraculórum clarus demórtuum étiam filium matri vivum restítuit. Méritis tandem in bona senectúte cumulátus, secúnda, (ut praedíxerat), féria Pentecóstes ad coeléstem pátriam, Deípara invitánte, laetus ábiit. Ejus corpus in Ecclésia sui Ordinis summa Urbis veneratióne cólitur; Dómino crebris miráculis servi sui sanctitátem illustránte, quem proptérea Urbánus Papa octávus Beatórum, Clemens vero undécimus Sanctórum fastis adscrípsit.

℟. Iste homo.

IN III. NOCTURNO

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthaeum.

Lectio VII. Cap. 11.

In illo témpore respóndens Jesus dixit: Confiteor tibi Pater, Dómine coeli et terrae, quia abscondísti haec a sapiéntibus et prudéntibus, et revelásti ea párvulis. Et réliqua.

Homilía sancti Augustíni Epíscopi.

Sermo 9. de verbis Dom.

Omnia saeva et immánia, prorsus facília, et prope nulla éfficit ámor. Quanto ergo cértius, ac facílius ad veram beatitúdinem cháritas facit, quod ad misériam, quantum pótuit, cupíditas fecit? Quam fácile tolerátur quaelibet advérsitas temporális, ut aetérna poena vitétur, aetérna réquies comparétur? Non immérito ille vas electiónis cum ingénti laetítia dixit: Non sunt condígnae passiónes hujus témporis ad superventúram glóriam, quae revelábitur in nobis. Ecce unde illud jugum suáve est, et sárcina levis; et si angústa est paucis eligéntibus, fácilis tamen ómnibus diligéntibus. Dicit Psalmísta: Propter verba labiórum tuórum ego custodívi vias duras.

℟. Iste est.

Lectio VIII.

Sed quae dura sunt laborántibus, eísdem ipsis miléscunt amántibus. Propter quod ita divínae pietátis dispensatióne actum est, ut intérior homo, qui renovátur de die in diem, non adhuc sub lege pósitus, sed jam sub grátia exonerátus sárcinis innumerabílium

observatiónum, quod erat revéra grave jugum, sed durae cervíci conveniénter impósitum, facilitáte símplicis fidei, et bonae spei, et sanctae charitátis, quidquid molestiárum exterióri hómini forínsecus intulísset ille princeps, qui missus est foras, interióri gáudio fieret leve.

℟. Sint lumbi.

Lectio IX.

Nibil enim tam fácile bonae voluntáti est, quam ipsa sibi, et haec súfficit Deo. Quantúmlibet ergo saeviat iste mundus, veríssime Angeli, nato in carne Dómino, clamavérunt: Glória in excélsis Deo, et in terra pax homínibus bonae voluntátis. Quia ejus, qui natus erat, suáve jugum est, et sárcina levis. Et sicut dicit Apóstolus: Fidélis Deus, qui nos non sinit tentári supra id, quod póssumus ferre, sed facit cum tentatióne étiam éxitum, ut possímus sustinére.

Te Deum.

DIE XXII. MAII.

In Festo S. HUMILITATIS *Abbatissae vid.* Duplex.

Omnia de Comm. nec Virg. nec Mart. praeter sequentia.

ORATIO.

Deus, qui per beátam Humilitátem sacris Virgínibus vitae normam, et exemplum praebuísti: concéde nobis, ipsa interveniénte, ut ejus vestigia sequéndo, quae verbo, et ópere dócuit, compleámus. Per Dóminum.

Lect. I. Nocturni de Script. occur.

IN II. NOCTURNO.

Lectio IV.

Humílitas, ántea Rosanénsis, Faventiae in Æmília ex nobílibus paréntibus orta, patre Elimónte, matre vero Richélda, a primis usque aetátis annis non páuca praebuit virtútum specímina. Puerília síquidem rejíciens, ita oratiónibus vacábat assíduis, ac Passiónis Domínicae meditatióni, ut in Dei amóre tota viderétur liquéscere. Patre intérea amísso, matre máxime urgénte, Ugolótto Caccianimíco civi aeque nóbili, ac pio, matrimónio conjúngitur. Cui cum géminam prolem peperísset, utráque sibi immatúra morte subláta, hortári virum coepit, suaeque pietátis exémplis praeíre viam, ut abdicá-

tis saeculi vanitátibus monásticum Institútum capésseret. Voti compos facta, ipsa ad suburbánum sanctárum Perpétuae, et Felicitátis Coenóbium convolávit, ibíque novum nomen, et Religiónis hábitum sub sancti Augustíni régula assúmpsit.

℟. Propter veritátem.

Lectio V.

Mira fuit Humilitátis, et ad christiánae virtútis normam exácta inter sacras Vírgines conversátio; exímia modéstia, mansuetúdo, cháritas, sed ardens praesértim oratiónis stúdium, cujus suavitátis amóre capta, singuláris benefícii loco obtínuit, ut ad campéstrem Ecclésiam sanctae Maríae in Crispíno, ejúsque Abbáti Ordinis Vallisumbrósae subjécta erat, angústae céllulae pariétibus includerétur; ubi duódecim annos in cínere, et cilício, símplici pane, et aqua, vel páucis quandóque olèribus víctitans, aspérrimam córpori, sed ánimo dulcíssimam vitam transégit. Verum illíus sanctimóniae fama longe latéque diffúsa, pluribúsque piis virgínibus in illíus disciplínam se trádere cupiéntibus, cívium rogátu, et superiórum auctoritáte, e voluntário cárcere tandem egréssa, novum Moniálium Congregatiónis Vallisumbrósae Ascetérium sub invocatióne Beátae Maríae Vírginis prope Favéntiae muros fundávit, cui tráditis perfectióris vitae régulis, iísdemque per se ipsam implétis, diu laudabíliter praefuit.

℟. Dilexísti justítiam.

Lectio VI.

Floréntiam inde accersíta, ut públicis votis, et piae devotióni plurimárum vírginum coeléstis Sponsi núptias ambiéntium pari ratióne satisfáceret: supérnis favóribus in itínere comitáta; et honorífica ómnium órdinum frequéntia in urbem excépta, álterum Moniálium ejúsdem institúti Monastérium ibi constítuit, quod et coeléstis sapiéntiae praecéptis, et mirabílium virtútum exémplis gubernávit usque ad éxitum ipsíus vitae, qui fuit undécimo Kaléndas Június, anno salútis millésimo tercentésimo décimo, aetátis suae octogésimo. Sanctitátis, et miraculórum famam, qua Humílitas in vita, et post mortem cláruit, pública, et antíqua monuménta testántur, ex quibus ea potíssimum ipsíus própria laus erúitur, quod cum Salvatóris nostri Jesu Christi

Passiónem meditándo recóleret, sanguíneis aliquándo lácrymis sudárium aspérserit. Ecclesiásticum cultum illíus memóriae, sacróque córpori Floréntiae quiescénti, tum étiam Faventíae ab immemorábili témpore praestitum, Clemens Undécimus Póntifex Máximus decréto suo confirmávit.

℟. Fallax grátia.

IN III. NOCTURNO.

Hom. in Ev. Thesáuro *de eodem Comm.*

DIE XXIII. MAII.

In festo S. PETRI COELESTINI *Papae et Conf.* Duplex.

Omn. ut in Brev. 19 *Maii. omiss. l. et com. S. Pudentianae v.*

DIE XXIV. MAII.

In festo B. M. V. sub titulo AUXILIUM CHRISTIANORUM. Duplex majus.

Omnia, ut in festo S. Mariae ad Nives praeter ea quae sequuntur.

Si fiat tempore Paschali additur. Allel. Antiph. Vers. et Resp.

Ad Vesp. et Matut.

Hymnus

Saepe dum Christi pópulus cruéntis
Hostis infénsi premerétur armis,
Venit adjútrix pia Virgo coelo
Lapsa seréno.
Prisca sic Patrum monuménta narrant,
Templa testántur spóliis opímis,
Clara, votívo repetíta cultu
Festa quotánnis.
En novi grates líceat Maríae
Cántici laetis módulis reférre
Pro novis donis, resonánte pláusu
Urbis, et Orbis.
O dies felix, memoránda fastis,
Qua Petri sedes Fídei magístrum
Triste post lustrum réducem beáta
Sorte recépit.
Vírgines castae, pueríque puri,
Géstiens Clerus, populúsque grato
Corde Regínae celebráre coeli
Múnera certent.
Vírginum Virgo, benedícta Jesu
Mater, haec áuge bona; fac, precámur,
Ut gregem Pastor pius ad salútis
Páscua ducat.

Te per aetérnos venerémur annos,
Trínitas, summo celebránda pláusu,
Te fide mentes, resonóque linguae
Cármine láudent.
Amen.

AD MAGNIFICAT.

Ant. Ecce María erat spes nostra, ad quam confúgimus in auxílium, ut liberáret nos, et venit in adjutórium nobis.

ORATIO

Omnípotens, et miséricors Deus, qui ad defensiónem pópuli Christiáni in beatissíma Vírgine María perpétuum auxílium mirabíliter constítuísti: concéde propítius; ut tali praesídio muníti certántes in vita, victóriam de hoste malígno cónsequi valeámus in morte. Per Dóminum.

AD MATUTINUM

Hymnus. Saepe dum Christi etc. *ut in Vesperis.*

IN I. NOCTURNO.

Lect. Ego sapiéntia etc. *ut in Festo ad Nives.*

IN II. NOCTURNO.

Lectio IV.

Sermo santi Bernárdi Abbátis.

Ex Sermone de 12. Stellis.

Veheménter quidem nobis, dilectíssimi, vir unus, et múlier una nocuére: sed grátias Deo per unum nihilóminus virum, et mulíerem unam, ómnia restaurántur, nec sine magno foenore gratiárum. Et quidem sufficere póterat Christus: síquidem et nunc omnis sufficiéntia nostra ex eo est: sed nobis bonum non erat, esse hóminem solum. Cóngruum magis, ut adésset nostrae reparatióni sexus utérque. Jam ítaque nec ipsa múlier benedícta in muliéribus vidébitur otiósa: inveniétur équidem locus ejus in hac reconciliatióne. Opus est enim mediatóre ad mediatórem Christum; nec alter nobis utílior, quam María. Crudélis nímium mediátrix Eva, per quam serpens antíquus pestíferum étiam ipsi viro virus infúdit: sed fidélis María, quae salútis antídotum et viris, et muliéribus propinávit. Illa enim minístra seductiónis, haec propitiatiónis, illa

suggéssit praevaricatiónem, haec ingéssit redemptiónem. Quid ad Maríam accédere trépidet humána fragílitas? Nihil austérum in ea, nihil terríbile; tota suávis est, ómnibus ófferens lac, et lanam. Revólve diligéntius Evangélicae históriae sériem univérsam: et si quid forte increpatórium, si quid durum, si quod dénique signum vel levis indignatiónis occúrrerit in María, de caetero suspéctam hábeas, et accédere vereáris.

℟. Sicut cedrus exaltáta sum in Líbano, et sicut cypréssus in monte Sion: quasi myrra elécta, * Dedi suavitátem odóris.

℣. Et sicut cinnamómum, et bálsamum aromatízans. Dedi.

Lectio V.

Quod si, ut vere sunt, plena magis ómnia pietátis, et grátiae, plena mansuetúdinis, et misericórdiae, quae ed eam pértinent, invéneris, age grátias ei, qui talem mediatrícem benigníssima miseratióne provídit, in qua nihil possit esse suspéctum. Dénique ómnibus ómnia facta est, sapiéntibus, et insipiéntibus copiosíssima charitáte debitrícem se fecit. Omnibus misericórdiae sinum áperit, ut de plenitúdine ejus accípiant univérsi; captívus redemptiónem, aeger curatiónem, tristis consolatiónem, peccátor véniam, justus grátiam, Angelus laetítiam. Ipsa praetérita non díscutit mérita, sed ómnibus sese exorábilem, ómnibus clementíssimam praebet, ómnium dénique necessitátes amplíssimo quodam miserátur afféctu. Ipsa est quondam a Deo promíssa múlier, serpéntis antíqui caput virtútis pede contritúra; cujus plane calcáneo in multis versútiis insidiátus est, sed sine cáusa. Sola enim contrívit univérsam haeréticam pravitátem. Contríti sunt insidiántes, conculcáti supplantatóres, confutáti derogatóres, et beátam eam dicunt omnes generatiónes. Jam si Ecclésia Lunae intelligénda vidétur vocábulo, habes mediatrícem evidénter expréssam: Múlier, inquit, amícta sole, et luna sub pédibus ejus. Amplectámur Maríae vestígia, et devotíssima supplicatióne beátis illíus pédibus provolvámur. Teneámus eam, nec dimittámus, donec benedíxerit nobis; potens est enim.

℟. Quae est ista, quae procéssit sicut sol, et formósa tamquam Jerúsalem? * Vidérunt eam fíliae Sion, et beátam dixérunt, et reginae laudavérunt eam.

℟. Et sicut dies verni cir-

cúmdabant eam flores rosárum, et lília convállium. Vidérunt.

Ex publicis Monumentis.

Lectio VI.

Praesentíssimum Deíparae auxílium ad Religiónis hostes profligándos saepe pópulus Christiánus mirum in modum expértus est; ex quo factum, ut Sanctíssimus Pontifex Pius Quintus post insígnem victóriam, intercedénte beatíssima Vírgine, a Christiánis de Turcárum Tyránno apud Echínadas ínsulas reportátam, in Litaníis Lauretánis eámdem Regínam coelórum inter ália praecónia Auxílium Christianórum appellári constitúerit. Sed illud in primis memorábile est, atque exploráti miráculi loco habéndum, quod cum Románus Póntifex Pius séptimus impiórum consíliis, et armis ex Apostólica Petri Sede exturbátus, et arcta custódia, praesértim Savónae per annos quinque, eóque ámplius fuísset deténtus, viis ómnibus pénitus interclúsis, ne Dei Ecclésiam régere posset, nullo símilis persecutiónis in priscis annálibus exémplo, inopináto, et praeter ómnium expectatiónem cóntigit, ut ingénti pláusu, ac véluti univérsi orbis mánibus Pontifício sólio restituerétur. Quod et secúndo áccidit, dum íterum commóto túrbine, ab Urbe discédens, Sacro comitánte Cardinálium Collégio, Ligúriam conténdit. Verum praesentíssimo Dei beneficio, cessánte procélla, quae grave minabátur excídium, Romam, plaudéntibus prae novo gáudio pópulis, revérsus est. Antea tamen, quod in votis habúerat, et captivitáte deténtus éxequi nequíverat, áurea coróna insígnem Savónae Imáginem Deíparae Vírginis sub título Matris Misericórdiae solémni ritu, propriísque mánibus decorávit. Quam mirábilem rerum vicissitúdinem idem Póntifex Máximus Pius séptimus totíus evéntus íntime cónscius, cum intercessióne Sanctíssimae Dei Genitrícis, cujus poténtem opem, et ipse impénse imploráverat, et ab ómnibus Christi fidélibus implorári curáverat; accéptam mérito reférret, in ejúsdem Vírginis Matris honórem sub appellatióne Auxílii Christianórum solémne festum indíxit perpétuo celebrándum die mensis Maji vigésimo quarto, faustíssimi sui in Urbem réditus anniversàrio, approbáto étiam Officio próprio, ut tanti benefícii distíncta, et perénnis extet memória, et gratiárum áctio.

℟. Ornátam monílibus fíliam Jerúsalem Dóminus concupívit; * Et vidéntes eam fíliae Sion beatíssimam praedicavérunt, dicéntes: * Unguéntum effúsum nomen tuum.

℣. Astitit Regína a dextris tuis in vestítu deauráto circúmdata varietáte. Et vidéntes. Glória Patri. Unguéntum.

IN III. NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio VII.

cap. 11. *d.*

In illo témpore: Loquénte Jesu ad turbas, extóllens vocem quaedam múlier de turba, dixit illi: Beátus venter, qui te portávit. Et réliqua.

Homilía sancti Bernárdi Abbátis.

In Nativitate B. M. V.

Intuére, o Homo, consílium Dei; agnósce consílium sapièntiae, consílium pietátis. Coelésti rore áream rigatúrus, totum vellus prius infúdit. Redemptúrus humánum genus, prétium univérsum cóntulit in Maríam. Altius ergo intuémini quanto devotiónis afféctu a nobis eam volúerit honorári, qui totíus boni plenitúdinem pósuit in María: ut proínde si quid spei in nobis est, si quid grátiae, si quid salútis, ab ea novérimus redundáre, quae ascéndit delíciis áffluens. Totis ergo medúllis córdium, totis praecordiórum afféctibus, et votis ómnibus Maríam hanc venerémur, quia sic est volúntas ejus, qui totum nos habére vóluit per Maríam. Haec, inquam, volúntas ejus est, sed pro nobis.

℟. Felix, namque es, sacra Virgo María, et omni láude digníssima: * Quia ex te ortus est sol justítiae, Christus Deus noster.

℣. Ora pro pópulo, intérveni pro Clero, intercéde pro devóto foemíneo sexu: séntiant omnes tuum juvámen quicúmque tuum sanctum implórant auxílium. Quia.

Lectio VIII.

In ómnibus síquidem, et per ómnia próvidens míseris, trepidatiónem nostram solátur, fidem éxcitat, spem róborat, diffidéntiam ábigit, érigit pusillanimitátem. Ad Patrem verebáris accédere, solo audítu térritus, ad fólia fugiébas; Jesum tibi dedit mediatórem. Quid non apud talem Patrem Fílius talis obtíneat?

Exaudiétur útique pro reveréntia sua; Pater enim diligit Filium. Sed fórsitan et in ipso majestátem vereáre divínam, quod licet factus sit homo, mánserit tamen Deus. Advocátum hábére vis et ad ipsum? Ad Maríam recúrre. Pura síquidem humánitas in María, non modo pura ab omni contaminatióne, sed pura singularitáte natúrae. Nec dúbius díxerim exaudiétur et ipsa pro reveréntia sua. Exáudiet útique Matrem Fílius, et exáudiet Fílium Pater.

℟. Beátam me dicent omnes generatiónes: * Quia fecit mihi Dóminus magna qui potens est, et sanctum nomen ejus.

℣. Et misericórdia ejus a progénie in progénies timéntibus eum. Quia. Glória Patri. Quia.

Lectio IX.

Filíoli, haec peccatórum scala, haec mea máxima fidúcia est, haec tota rátio spei meae. Quid enim? Potestne Fílius aut repéllere, aut sustinére repúlsam? Non audíre, aut non audíri Fílius potest? Néutrum plane. Invenísti, ait Angelus, grátiam apud Deum: felíciter. Semper haec invéniet grátiam, et sola est grátia, qua egémus: nimírum sola est grátia, qua salvámur. Quid nos ália concupíscimus fratres? Quaerámus grátiam, et per Maríam quaerámus, quia quod quaerit ínvenit, et frustrári non potest. Quaerámus grátiam apud Deum: nam apud hómines grátia fallax. Quaerant álii méritum, nos inveníre grátiam studeámus. Quid enim? Non grátiae est quod hic sumus? Proféclo misericórdiae Dómini est, quod non sumus consúmpti nos.

Te Deum.

AD LAUDES

Hymnus.

Te Redemptóris, Dominíque nostri
Dìcimus Matrem, speciósa Virgo,
Christianórum decus, et levámen
Rebus in arctis.

Saeviant portae licet inferórum,
Hostis antíquus fremat, et mináces
Ut Deo sacrum populétur agmen,
Súscitet iras.

Nil truces possunt fúriae nocére
Méntibus castis, prece quas vocáta

Annuens Virgo fovet, et supérno
Róbore firmat.
Tanta si nobis fáveat patróna,
Béllici cessat scéleris tumúltus,
Mille sternúntur, fugiúntve turmae,
Mille cohórtes.
Tollit ut sancta caput in Sióne
Turris, arx firmo fabricáta muro,
Cívitas David, clypeis, et acri
Mílite tuta.
Virgo sic fortis Dómini poténti
Déxtera, coeli cumuláta donis,
A piis longe fámulis repéllit
Daemonis ictus.
Te per aetérnos venerémur annos
Trínitas, summo celebránda pláusu,
Te fide mentes, resonóque linguae
Cármine laudent.
Amen.

AD BENEDICTUS

Ant. Ad Te, o Sancta Dei Génitrix, clamávimus, et per te venit Dómini auxílium nobis.

Vesperae de S Zenobio Ep. Fl. absque ulla comm., sed si ob aliquam causam contingat dici Vesp. de hoc Festo, omn. ut in I. hymn. Saepe *etc.*

AD MAGNIFICAT

Ant. Sancta María, succúrje míseris, juva pusillánimes, réfove flèbiles, ora pro pópulo, intérveni pro Clero, intercéde pro devòto foemíneo sexu: séntiant omnes tuum juvámen quicúmque sanctum tuum implórant auxílium.

DIE XXV. MAII.

IN FESTO

S. ZENOBII EPISC. FLOREN. ET CONF.

TOTIUS DIOECESIS PATRONI PRINCIPAL.

Duplex 1. Class. cum Octava.

IN I. VESPERIS

Antiphona

Ecce Sacérdos magnus, qui in vita sua suffúlsit domum, et in diébus suis corroborávit templum.

Psalm. Dixit Dóminus *cum reliq. de Dominica et loco, ult. Psalm.* Laudáte Dóminum omnes gentes.

Ant. Qui curávit gentem suam, et liberávit eam a perditióne, et adéptus est glóriam in conversatióne gentis.

Ant. In diébus ipsíus emanavérunt pútei aquárum, et quasi mare adimpléti sunt supra modum.

Ant. Ipse est diréctus divínitus in poeniténtiam gentis suae, et tulit abominatiónes impietátis.

Ant. Et gubernávit ad Dóminum cor ipsíus, et in diébus peccatórum corroborávit pietátem.

Capitul. Ad Hebr. Cap. 51.

Omnis Póntifex ex homínibus assúmptus pro homínibus constitúitur in iis, quae sunt ad Deum, ut ófferat dona, et sacrifícia pro peccátis.

Hymnus

O Flos colénde Praesulum
Fidélium cor récrea,
Reple tuam coeléstibus
Odóribus Floréntiam.

Praeclára postquam díxerat
Te cívitas Antístitem,
Spernis, fugísque pátrias
Desiderátus ínfulas.
Sed sacra Pastor múnera
Obíre jussus, íncolis
Virtúte praestas ómnibus
Gratus Deo, et mortálibus.
Divína praebes pábula
Potu, cibóque témperans,
Fidémque conciónibus,
Miraculísque próvehis.
Posséssa dudum crímine
Tu voce corda líberas,
Et vita quos relíquerat
Vocas in áuras lúminis.
Deo Patri sit glória,
Ejúsque soli Fílio,
Cum Spíritu Paráclyto
Nunc, et per omne saeculum. Amen.

℣. Elégit illum Dóminus Sacerdótem sibi.

℟. Ad sacrificándum ei hóstiam láudis.

AD MAGNIFICAT.

Ant. Factus forma gregis ex ánimo, semetípsum exhíbuit operárium in confusíbilem, et recte tractántem verbum Dei.

ORATIO

Deus, qui beátum Zenóbium Confessórem tuum, atque Pontíficem, praedicatiónis grátia, virtútum et miraculórum glória sublimásti: da fámulis tuis, quae dócuit intelléctu conspícere, et quae egit imitatióne complére. Per Dóminum nostrum.

AD MATUTINUM

Invit. Christum Pastórum Príncipem, qui beátum hódie glorificávit Zenóbium: * Veníte, adorémus.

Psal. Veníte, exultémus.

Hymnus.

Quae tantae mémoras prolis oríginem
Gáude, Flora parens: vos date déxteri
Pláusus Arnícolae, sídera dum petit.
Gentis glória Póntifex.
Tot clarum méritis dícite Coelitem;
Late conspícuum, qui sibi crédito
Praefúlsit pópulo, fax velut hóspitem
Noctúrna regit in via.
Coetus, voce potens, dispúlit ímpios,
Et coelo sóbolem progénuit novam:
Ingens unde sibi robur, et ádditum
Sensit Rellígio decus.
Quis digne egrégii péctoris índolem,

Quis mile ingénium scrípserit? aut opes,
Quas clemens húmili sub lare páuperum
Dextra dístulit ímpigra?
Vos ergo exímiis pláudite móribus,
Quorum pura carent corda cúpidine:
Vos canis víolas júngite líliis,
Integro et cíneri date.
Te summa o Déitas, únaque póscimus
Ut culpas ábigas, nóxia súbtrahas,
Des pacem fámulis, ut tibi glóriam
Annórum in sériem canant. Amen.

IN I. NOCTURNO.

Ant. Dabo vobis Pastórem juxta cor meum, et pascet vos sciéntia, et doctrína.

Psalm. Beátus vir *cum rel. de Commun. Conf. Pontif.*

Ant. Speculatórem dedi eum dómui Israel, et áudiet ex ore meo verbum, et annuntiábit eis ex me.

Ant. Probatórem dedi eum in pópulo meo robústum, et sciet, et probábit viam eórum.

℣. Elégit illum Dóminus Sacerdótem sibi.

℟. Ad sacrificándum ei hóstiam láudis.

De Epístola beáti Páuli Apóstoli ad Hebraeos.

Lectio I.

Cap. 5.

Omnis Póntifex ex homínibus assúmptus, pro homínibus constitúitur in iis, quae sunt ad Deum, ut ófferat dona, et sacrificia pro peccátis; qui condolére possit iis qui ignórant, et errant: quóniam et ipse circúmdatus est infirmitáte, et proptérea debet quemádmodum pro pópulo, ita étiam pro semetípso offérre pro peccátis. Nec quisquam sumit sibi honórem, sed qui vocátur a Deo tamquam Aaron. Sic et Christus non semetípsum clarificávit, ut Póntifex fieret; sed qui locútus est ad eum: Fílius meus es tu, ego hódie génui te. Quemádmodum, et in álio loco dicit: Tu es Sacérdos in aetérnum secúndum órdinem Melchísedech.

℟. Suscitábo mihi Sacerdótem fidélem, qui juxta cor meum, et ánimam meam fáciet; * Et ambulábit coram Christo meo cunctis diébus.

℣. Effúndet in fundaménto altáris odórem divínum excélso Príncipi. Et ambulábit.

Lectio II.

Ex ead. Ep. 7.

Hic enim Melchísedech, Rex Salem, Sacérdos Dei summi, qui obviávit Abrahae regrésso a caede regum, et benedíxit ei: cui et décimas ómnium divísit Abraham: primum quidem, qui interpretátur Rex justítiae: deínde áutem et Rex Salem, quod est Rex pacis, sine patre, sine matre, sine genealogía, neque inítium diérum, neque finem vitae habens, assimilàtus áutem Fílio Dei, manet Sacèrdos in perpétuum. Intuémini áutem quantus sit hic, cui et décimas dedit de praecípuis Abraham Patriárcha. Et quidem de filiis Levi Sacerdótium accipiéntes, mandátum habent décimas súmere a pópulo secúndum legem, idest a frátribus suis: quamquam et ipsi exíerint de lumbis Abrahae. Cujus áutem generátio non annumerátur in eis, décimas sumpsit ab Abraham, et hunc, qui habébat repromissiónes, benedíxit.

℟. Elégit eum Dóminus ex ómnibus sibi in Sacerdótem, ut ascénderet ad altáre suum, et adoléret illi incénsum, et portáret Ephod coram eo: * Erat enim Sacérdos Dei Altíssimi.

℣. Unxit eum Dóminus óleo sancto suo, et sacrificia ejus consúmpta sunt igne quotídie. Erat enim.

Lectio III.

Ex ead. Ep. C. 8.

Talem ergo habémus Pontíficem, qui consédit in déxtera sedis magnitúdinis in coelis, Sanctórum minister, et tabernáculi veri, quod fixit Dóminus, et non homo. Omnis enim Póntifex ad offeréndum múnera, et hóstias constitúitur, unde necésse est, et hunc habére áliquid, quod ófferat. Si ergo esset super terram, nec esset Sacérdos: cum essent qui offérrent secúndum legem múnera, qui exemplári, et umbrae desérviunt coeléstium. Sicut respónsum est Móysi cum consummáret Tabernáculum: Vide, inquit, ómnia fácito secúndum exémplar, quod tibi osténsum est in monte. Nunc áutem mélius sortítus est ministérium, quanto, et melióris testaménti mediátor est, quod in melióribus repromissiónibus sancítum est.

℟. Ecce dedi tibi linguam erudítam, et potestátem docére Jacob testimónia: * Et in lege mea lucem dare Israel.

℣. Constítui te ut evéllas, et déstruas, et dispérdas, et díssipes, aedífices, et plantes. Et in lege mea. Glória Patri. Et in lege mea.

IN II. NOCTURNO.

Ant. Ingréssus sine mácula Ecclésiam Dei, operátus est justítiam, et sapiéntia ejus facta est sánitas multórum.

Ant. Vir consílii non despéxit intelligéntiam, et vígilans invénit benedictiónem.

Ant. Sacérdos doctus atque perféctus, cor suum dedit in consummatiònem óperum.

℣. Sápiens in pópulo haereditábit honórem.

℟. Et nomen illíus erit vivens in aetérnum.

Lectio IV.

Zenóbius ex nóbili Hieronymórum família Floréntiae natus, ubi cum puerítiam sancte in humanióribus líteris transegísset, inter Cathecúmenos fuit adscríptus. Biénnio post, praecláris núptiis recusátis Christo se coelésti sponso per Baptísmi Sacraméntum, et castitátis votum obstrínxit. Quamóbrem Theodóro Florentíno Epíscopo in primis carus, per omnes órdinum gradus ad Archidiáconi munus in Ecclésia Cathedráli assúmptus, Ariános nonnúllos singulári doctrína, et eloquéntia ad fidei veritátem convértit, dignus proptérea qui a sancto Ambrósio saepius inviserétur. Cujus testimónio a Dámaso Papa probátus, Romam primo accítus, mox Apostólicae Sedis Diáconus renunciátus fuit, ubi praeter ália mirácula, Praefécti filium paralyticum, solo signo Crucis prístinae restítuit sanitáti.

℟. Vigilávit die noctúque super gregem suum, et in ómnibus laborávit: * Ut ministérium suum diligénter impléret.

℣. Potens in Scriptúris, edóctus erat viam Dómini, et fervens spíritu loquebátur ea, quae sunt Jesu. Ut ministérium.

Lectio V.

Constantinópolim deínde legátus ad novam ibi surgéntem haeresim suppriméndam míttitur; quod ille doctrína, sanctitáte, miráculis, praesértim duóbus energúmenis liberátis, felíciter confécit. Romam revérsus, Theodóro jam defúncto, ad componéndas pátriae cíviles discórdias profíciscitur; mox Florentínis cí-

vibus postulántibus, invítus a Dámaso Póntifice Floréntiae Epíscopus consecrátur. At ille novos honóres, et opes, majóris réputans incitaménta virtútis, impénsius sese totum divíno obséquio mancipàvit. Omnes Ecclesiásticos provéntus (relícta sibi módica summa ad famíliae substentatiónem) paupéribus erogábat. Carnem jejúniis, vigíliis, et áspero cilício edomábat. mentem oratióne, sacrárum literárum lectióne, ac meditatióne exercébat. In salúte animárum procuránda assíduus versabátur, nec tamen a divíni verbi praedicatióne desistébat. Haereticórum fuit acérrimus insectátor, et Cathólicae fidei propugnátor insígnis.

℟. Bonum depósitum custodívit sanctus Antístes, et praebuit seípsum in ómnibus exémplum bonórum óperum; * Ideo non erúbuit testimónium Dòmini.

℣. Sectátus est justítiam, fidem, charitátem, et pacem cum iis, qui ínvocant Dóminum de corde puro. Ideo non erúbuit.

Lectio VI.

Mórtuis parèntibus, cum patrimónium in egénos distribútum Christo totum donásset, accépit et ipse vicíssim a Dómino mira dona gratiàrum. Ejiciébat daemones, sanábat aegrótos, caeco étiam eleemósynam peténti, ac se fore Christiánum spondénti, si sanitàtem recuperáret, et fidei, et oculórum lumen a Dómino impetrávit. Mórtuos étiam áliquot ad vitam revocávit, inter quos Gállicae matrónae filium, quem, dum Romam pietátis cáusa profícíscitur, Floréntiae amíserat, matri mirabíliter restítuit. Dénique pro Ecclèsia sua magnis labóribus, curísque perfúnctus, fere nonagenárius vicínam mortem praenúncians, adstánte Clero, ómnibus benedícens, tum vicinárum Urbium Epíscopos ad sibi benedicéndum invítans, octávo Kaléndas Június obdormívit in Dómino.

℟. Quod infirmum fuit, consolidávit; quod aegrótum, sanávit; quod confráctum, alligávit; quod abjéctum, redúxit; quaesívit áutem quod períerat: Ideo memória ejus in benedictióne erit.

℣. Sápiens in prophétis vacávit, et occúlta proverbiórum exquisívit. Ideo memória. Glória Patri. Ideo memòria.

IN III. NOCTURNO.

Ant, Orávit ad Dóminum

sanctus Antístes, et coelum dedit plúviam tempóribus suis.

Ant. Et de rore coeli, et de pinguédine terrae facta est abundántia fruménti, et vini.

Ant. Verbo Dómini addúxit spíritum super terram, et prohíbitae sunt aquae de coelo.

℣. Tu es Sacérdos in aetérnum.

℟. Secúndum órdinem Melchísedech.

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Lectio VII.

Cap. 10.

In illo témpore: Dixit Jesus Pharisaeis: Ego sum Pastor bonus. Bonus pastor ánimam suam dat pro óvibus suis. Et réliqua.

Homilía sancti Gregórii Papae.

Homil. 14. *in Joann.*

Audístis, fratres charíssimi, ex lectióne Evangélica eruditiónem vestram, et perículum nostrum. Ecce enim, is qui non ex accidénti dono, sed essentiáliter bonus est dicit: Ego sum pastor bonus. Atque ejúsdem bonitátis formam, quam nos imitémur, adjúngit, dicens: Bonus pastor ánimam suam ponit pro óvibus suis. Fecit quod mónuit, osténdit quod jussit. Bonus pastor pro óvibus suis ánimam suam pósuit, ut in Sacraménto nostro corpus suum, et sánguinem vérteret, et oves quas redémerat, carnis suae aliménto satiáret. Osténsa nobis est de contémptu mortis via quam sequámur, appósita est forma cui imprimámur. Primum nobis est exterióra nostra misericórditer óvibus ejus impéndere: postrémum vero, si necésse sit, étiam mortem nostram pro eísdem óvibus ministráre.

℟. Sápiens apéruit os suum in oratióne: * Et Dóminus magnus spíritu intelligéntiae replévit illum.

℣. Vir perítus erudívit multos, et avértit illos ab iniquitáte. Et Dóminus.

Lectio VIII.

Non pastor, sed mercenárius vocátur, qui non pro amóre íntimo oves Domínicas, sed ad temporáles mercédes pascit. Mercenárius quippe

est, qui locum quidem pastóris tenet, sed lucra animárum non quaerit: terrénis cómmodis inhiat, honóre praelatiónis gáudet, temporálibus lucris páscitur, impénsa sibi ab homínibus reveréntia laetátur. Istae sunt ètenim mercédes mercenárii, ut pro eo ipso quod in regímine labórat, hic quod quaerit invéniat, et ab haereditáte gregis in pósterum aliénus exístat. Utrum vero pastor sit, an mercenárius, cognósci veráciter non potest, si occásio necessitátis deest. Tranquillitátis enim témpore, plerúmque ad gregis custódiam sicut verus pastor, sic étiam mercenárius stat: sed lupus véniens, índicat quo quisque ánimo super gregis custódiam stabat.

℟. Cháritas Dei diffúsa erat in corde ipsíus per Spíritum Sanctum, qui habitábat in illo: * Proptérea effúdit esuriénti ánimam suam, et ánimam afflíctam replévit.

℣. Et eleemósynas ipsíus enarrábit omnis Ecclésia Sanctórum. Proptérea. Glória Patri. Proptérea.

Lectio IX.

Lupus étenim super oves venit, cum quílibet injústus, et raptor fidéles quosque, atque húmiles ópprimit. Sed is, qui pastor esse videbátur, et non erat, relínquit oves, et fugit, quia dum sibi ab eo perículum métuit, resístere ejus injustítiae non praesúmit. Fugit áutem non mutándo locum, sed subtrahéndo solátium. Fugit, quia injustítiam vidit, et tácuit, fugit, quia se sub siléntio abscóndit. Quibus bene per Prophétam dícitur: Non ascendístis ex advérso, neque opposuístis murum pro domo Israel, ut starétis in praelio in die Dómini. Ex advérso quippe ascéndere, est quibúslibet potestátibus prave agéntibus, ratiónis líbera voce contraíre. Et in die Dómini pro domo Israel in praelio stamus, ac murum oppónimus, si fidéles innocéntes, contra perversórum injustítiam ex justítiae auctoritáte vindicámus. Quod quia mercenárius non facit, cum veniéntem lupum víderit, fugit.

Te Deum laudámus.

AD LAUDES

ET PER HORAS.

Ant. Amplificátus est Zenóbius in mirabílibus suis, et in morte mirabília operátus est. *Psalm.* Dóminus regnávit. *cum reliq. de Domin.*

Ant. Potens in verbis, et in

opéribus suis, quasi sol effúlsit in templo Dei.

Ant. Sústulit mórtuos ab ínferis, de sorte mortis in verbo Dòmini Dei.

Ant. Quaesívit bona gentis suae, et plácuit ómnibus potéstas ejus, et nominátum est nomen glóriae ejus usque ad extrémum terrae.

Ant. Prótegam urbem hanc, et salvábo eam propter me, et propter Zenóbium servum meum, dicit Dóminus.

Capitulum

Ad Heb. cap. 5.

Omnis Póntifex ex homínibus assúmptus pro homínibus constitúitur in iis, quae sunt ad Deum, ut ófferat dona, et sacrificia pro peccátis.

Hymnus

Póntifex claris decoráta signis.
Gesta, quem celsum super astra tollunt,
Quas tibi supplex pia turba fundit
Accipe láudes.

Tu potens visu récreas cupìto
Lucis expértes: téneris paréntum
Flétibus praesens púeros aváro
Súbripis Orco.

Te per Aegaei vada longa vectum
Mira patrántem stupuére Thraces,
Quos minax circum fremit aestuósa
Bósphorus unda.

Quin et exúltans rútili potíto
Sédibus coeli, tibi pláusit ulmus
Induens vernae per acùta brumae
Frondis honórem.

Saeviant nimbi reboánte vento,
Spemque matúri miniténtur anni,
Dexter affúlges pópulo, et levámen
Prótinus affers.

Saepe depúlsa précibus procélla
Astra pacáto rediére coelo:
Saepe foecúndi cecidére jussis
Núbibus imbres.

Sit salus illi, decus, atque virtus,
Qui super coeli sòlio corúscans,
Tótius mundi fériem gubérnat
Trinus, et unus. Amen.

℣. Sapiéntiam ejus enarrábunt gentes.

℟. Et láudem ejus enuntiábit Ecclésia.

AD BENEDICTUS

Ant. Ossa illíus visitáta

sunt, et post mortem prophetavérunt.

ORATIO

Deus, qui beátum Zenóbium Confessórem tuum, atque Pontíficem, praedicatiónis, grátia, virtútum et miraculórum glória sublimásti; da fámulis tuis, quae dócuit intelléctu conspícere, et quae egit imitatióne complére. Per Dóminum nostrum.

AD TERTIAM.

Ant. Potens in verbis.

Cap. Omnis Póntifex. *ut supr.*

℟. *br.* Elégit illum Dòminus: * Sacerdótem sibi. Elégit illum.

℣. Ad sacrificándum ei hóstiam láudis. Sacerdótem.

℣. Glória Patri, et Fílio, et Spirítui Sancto. Elégit illum.

℣. Sápiens in pópulo haereditávit honórem

℟. Et nomen illíus erit vivens in aetérnum.

AD SEXTAM

Ant. Sústulit mórtuos.

Capitulum

Ad Hebr. 5. 4.

Nec quisquam sumit sibi honórem, sed qui vocátur a Deo tamquam Aaron.

℟. *br.* Sápiens in pópulo: * Haereditávit honórem. Sápiens.

℣. Et nomen illíus erit vivens in aetérnum. Haereditávit.

℣. Glória Patri. Sápiens in pópulo.

℣. Tu es Sacérdos in aetérnum.

℟. Secúndum órdinem Melchísedech.

AD NONAM

Ant. Prótegam urbem hanc.

Capitulum

Ad Hebr. 8. 4. 2.

Talem habémus Pontíficem qui consédit in déxtera magnitúdinis in coelis, Sanctórum minìster, et tabernáculi veri, quod fixit Dóminus, et non homo.

℟. *br.* Tu es Sacérdos: * In aetérnum, Tu es Sacérdos.

℣. Secúndum órdinem Melchísedech. In aetérnum.

℣. Glória Patri. Tu es Sacérdos.

℣. Sapiéntiam ejus enarrábunt gentes.

℟. Et láudem ejus enuntiábit Ecclésia.

IN II. VESPERIS.

Omnia ut in primis. Psalm.

de Domin. et loc. ultim. Psal. Meménto Dómine David.

℣. Sapiéntiam ejus enarrábunt gentes.

℟. Et láudem ejus enuntiábit Ecclésia.

AD MAGNIFICAT.

Ant. Hic est fratrum amátor, et pópuli; hic est qui multum orat pro pópulo, et pro univérsa civitáte sua.

ORATIO.

Deus, qui beátum Zenóbium. *ut supr.*

Deinde fit com. seq. tant. or. ut in Brev.

Si hoc Festum venerit Tempore Paschali, Antiphon's, ℣℣. *et* ℟℟. *additur* Allelúja, *et unumquodque Nocturn. dicit sub.* 1. *tantum Antiphona.*

DIE XXVI. MAII.

Secunda infr. oct. S. ZENOBII EP. C.

In Festo S. PHILIPPI NERII *Conf. Flor.* Duplex 2. cl.

Ut in Brev. sed in 1. *n. ll. de Com.* 2. *loc.* Beátus vir, 9. *l. et com. S. Eleutherii Pp. m. De oct. nihil. In Vesp. com. seq. et S. Ioannis Pp. m. tant. ut in Brev.*

DIE XXVII. MAII.

Tertia infr. oct. S. ZENOBII *Ep. C.*

In Festo S. M. MAGDALENAE DE PAZZIS *Virg. Flor.* Duplex 2. cl.

Ut in Brev. sed ll. 1. *n. de Com. vv.* 1. *loc.* 3. *n. Hom. in Ev.* Confiteor *ut supr. in Festo S. Felicis a Cantalic. pag.* 315. *jx. l. et com. S. Joannis Pp. m. tant. ut in Brev. De oct. nihil. In Vesp. com. seq. or.* Da, quaesumus *tant.*

DIE XXVIII. MAII.

Quarta infr. oct. S. ZENOBII *Ep. C.*

In Festo S. PODII EP. C. FLOR. Duplex majus.

Omn. de Com. 1. *loc. com. oct.* S. ZENOBII. *In Vesp. com. seq. et oct.*

DIE XXIX. MAII ASS. EX XXV. EIUSD.

Quinta infr. oct. S. Zenobii.

In Festo S. GREGORII SEPTIMI *Papae et Conf.* Duplex.

Omnia de Commun. Conf. Pont. praeter sequentia.

ORATIO.

Deus in te sperántium fortitúdo, qui beátum Gregórium Confessórem tuum, atque Pontíficem, pro tuénda Ecclésiae libertáte, virtúte constántiae roborásti: da nobis ejus exémplo et intercessióne, ómnia adversántia fórtiter superáre. Per Dóminum.

In hymno Iste Conféssor *dicatur* Méruit suprémos.

IN I. NOCTURNO.

Lectiones de Scriptura occurrente.

IN II. NOCTURNO.

Lectio IV.

Gregórius Papa Séptimus, ántea Hildebrándus, Soánae in Hetrúria natus, doctrína, sanctitáte, omníque virtútum génere cum primis nóbilis, mirífice univérsam Dei illustrávit Ecclésiam. Cum párvulus ad fabri ligna edolántis pedes, jam literárum ínscius, lúderet, ex rejéctis tamen segméntis illa Davídici eleménta oráculi: Dominábitur a mari usque ad mare, casu formásse narrátur, manum púeri ductánte Númine, quo significarétur, ejus fore amplíssimam in mundo auctoritátem. Romam deínde proféctus sub protectióne sancti Petri educátus est. Júvenis Ecclésiae libertátem a láicis oppréssam, ac depravátos Ecclesiasticórum mores veheméntius dolens, in Cluniacénsi monastério, ubi sub Régula sancti Benedícti austerióris vitae observántia eo témpore máxime vigébat, mónachi hábitum índuens, tanto pietàtis ardóre divínae Majestáti deserviébat, ut a sanctis ejúsdem Coenóbii Pátribus Prior sit eléctus. Sed divína providéntia majóra de eo disponénte in salútem plurimórum, Cluníaco edúctus Hildebrándus, Abbas primum monastérii sancti Pauli extra muros Urbis eléctus, ac póstmodum Románae Ecclésiae Cardinális creátus, sub summis Pontifícibus, Leóne nono, Victóre secúndo, Stéphano nono, Nicoláo secúndo, et Alexándro secúndo, praecípuis munéribus, et legatiónibus perfúnctus est, sanctíssimi, et puríssimi consílii vir a beáto Petro Damiáno nuncupátus. A Victóre Papa secúndo Legátus a látere in Gálliam missus, Lugdúni Epíscopum simoníaca labe inféctum ad sui críminis confessiónem miráculo adégit. Berengárium

in Concílio Turonénsi ad iterátam haeresis abjuratiónem cómpulit; Cadolái quoque schisma sua virtúte compréssit.
℟. Invéni David.

Lectio V.

Mórtuo Alexándro secúndo invítus et moerens, unánimi ómnium consénsu, décimo Kaléndas Maii, anno Christi millésimo septuagésimo tértio, summus Póntifex eléctus, sicut sol effúlsit in domo Dei: nam potens ópere, et sermóne, Ecclesiásticae disciplínae reparándae, fidei propagándae, libertáti Ecclésiae restituéndae, extirpándis erróribus, et corruptélis tanto stúdio incúbuit; ut ex Apostolórum aetáte nullus Pontíficum fuísse tradátur, qui majóres pro Ecclésia Dei labóres, molestiásque pertúlerit, aut qui pro ejus libertáte ácrius pugnáverit. Aliquot Províncias a simoníaca labe expurgávit. Contra Henríci Imperatóris ímpios conátus, fortis per ómnia athléta, impávidus permánsit, seque pro muro dómui Israel pónere non tímuit; ac eúmdem Henrícum in profúndum malórum prolápsum fidélium communióne, regnóque privávit, atque súbditos pópulos fide ei data liberávit.
℟. Pósui adjutórium.

Lectio VI.

Dum Missárum solémnia perágeret, visa est viris piis colúmba e coelo delápsa húmero ejus dextro ínsidens, alis exténsis caput ejus veláre, quo significátum est, Spíritus Sancti afflátu, non humánae prudéntiae ratiónibus ipsum duci in Ecclésiae regímine. Cum ab iníqui Henríci exércitu Romae gravi obsidióne premerétur, excitátum ab hóstibus incéndium signo Crucis extínxit. De ejus manu tandem a Robérto Guiscárdo Duce Northmánno eréptus, Cassínum se cóntulit; atque inde Salérnum ad dedicándam Ecclésiam sancti Matthaei Apóstoli conténdit. Cum aliquándo in ea civitáte sermónem habuísset ad pópulum, aerúmnis conféctus, in morbum íncidit, quo se interitúrum praescívit. Postréma moriéntis Gregórii verba fuére: Diléxi justítiam, et odívi iniquitátem, proptérea mórior in exílio. Innumerabília sunt, quae vel fórtiter sustínuit, vel, multis coáctis in urbe Synodis, sapiénter constítuit, vir vere sanctus, críminum vindex, et acérrimus Ecclésiae defénsor. Exáctis ítaque in Pontificátu annis duódecim, migrávit in coelum, anno salútis millési-

mo octuagésimo quinto, plúribus in vita, et post mortem miráculis clarus, ejúsque sacrum corpus in Cathedráli Basílica Salernitána est honorífice cónditum.

℞. Iste est, qui ante.

IN III. NOCTURNO.

Homil. in Evang. Vigiláte, *de Comm. Conf. Pontif.* 2. *loco cum com. oct.*

In Vesp. ad Magn. Ant. Dum esset summus *com. seq. oct. et S. Felicis Pp. m. or. ut in Brev.*

DIE XXX. MAII.
ASS. EX 20. EIUSD.

Sexta infr. oct. S. ZENOBII *Ep. C.*

In Festo S. BERNARDINI SENENS. *Confess.* sem.

Ut in Brev. 20. *huj.* 9. *l. S. Felicis Pp. m. com. oct. et S. Felicis. Vesp. a cap. de seq. or.* Exaudi *de Com. et dicatur* Translatióne *com. praec., oct. et S. Petronillae Virg.*

Pro S. Petronilla quando non tranfertur Off. Translat. S. M. Magd. de Pazz., variatur Antiph. cum ℣. et dicitur sequens.

ORATIO

Indulgéntiam nobis, quaesumus Dómine, beáta Petronílla Virgo implóret: quae tibi grata semper éxtitit, et mérito castitátis et tuae professióne virtútis. Per Dóminum.

DIE XXXI. MAII.

Septima infr. oct. S. ZENOBII *Ep. C.*

In Festo Translat. S. M. MAGDALENAE DE PAZZ. *Virg. Flor.* sem.

Off. de Com. vv. ll. 1. *n. de Scr. occurr.*

IN II. NOCTURNO

Ex Libro S. Cypriani Nunc nobis *de* 2. *loco.*

IN III. NOCTURNO.

Hom. in Ev. Thesàuro *de Com. nec Virg. nec Mart.* ℟℟. *de Com. Virg. com. oct. et S. Petronillae ut supr. Vesperae de seq. die Octava* S. Zenobii Ep. C. *ut in* 1. *Vesp. Festi com. Translat. S. M. Magd.*

FESTA JUNII

FERIA VI.

Post Octavam SS. Corporis Christi.

Offic. SACRATISSIMI CORDIS JESU. Duplex majus.

In Vesp. omnia de die octava SS. Corp. Chr., sine ulla comm. Sed si offic. Cord. Jesu transferatur, vel celebretur sub ritu dup. 1. sive 2. cl. tunc in 1. Vesp. omnia dicuntur ut infra.

AD VESPERAS.

Ant. Díscite a me, *cum reliquis ut infra ad Laudes.*

Psalm. Dixit Dóminus *cum reliquis ut in Vesp. Festi Sanctissimi Corporis Christi.*

Capitulum

Isaiae 12.

Ecce Deus Salvátor meus, fiduciáliter agam, et non timébo, quia fortitúdo mea, et laus mea Dóminus, et factus est mihi in salútem. Hauriétis aquas in gáudio de fóntibus Salvatóris.

Hymnus

Auctor beáte saeculi,
Christe Redémptor ómnium,
Lumen Patris de lúmine,
Deúsque verus de Deo.
Amor coégit te tuus
Mortále corpus súmere:
Ut novus Adam rédderes,
Quod vetus ille abstúlerat.
Ille Amor almus Artifex
Terrae, marísque, et síderum,
Erráta Patrum míserans,
Et nostra rumpens víncula.
Non Corde discédat tuo
Vis illa amóris ínclyti:
Hoc fonte gentes háuriant
Remissiónis grátiam.
Percússum ad hoc est láncea,
Passúmque ad hoc est vúlnera:
Ut nos laváret sórdibus
Unda fluénte, et sánguine.
Decus Parénti, et Fílio,
Sanctóque sit Spirítui,
Quibus potéstas, glória,
Regnúmque in omne est saeculum. Amen.

℣. Ignem veni míttere in terram.
℟. Et quid volo, nisi ut accendátur?

AD MAGNIFICAT.

Ant. Impropérium expectávit cor meum et misériam: et sustínui qui simul contristarétur, et non fuit; et qui consolarétur, et non invéni.

ORATIO.

Concéde quaesumus, Omnípotens Deus, ut qui in sanctíssimo dilécti Fílii tui Corde gloriántes, praecípua in nos Charitátis ejus beneficia recólimus: eórum páriter et actu delectémur, et fructu. Per eúmdem Dóminum.

AD MATUTINUM.

Invitator. Christum pro nobis passum. * Veníte, adorémus.

Psalm. Veníte, exultémus Dómino.

Hymnus.

En, ut supérba críminum,
Et saeva nostrórum cohors
Cor sauciávit ínnocens
Meréntis haud tale Dei!
Vibrántis hastam mílitis
Peccáta nostra dírigunt,
Ferrúmque dirae cúspidis
Mortále crimen ácuit;
Ex Corde scisso Ecclésia
Christo jugáta náscitur;
Hoc óstium Arcae in látere est
Genti ad salútem pósitum.
Ex hoc perénnis grátia,
Ceu septifórmis flúvius;
Stolas ut illic sórdidas
Lavémus Agni in sánguine.
Turpe est redíre ad crímina,
Quae Cor beátum lácerent,
Sed aemulémur córdibus
Flammas amóris índices.
Hoc, Christe nobis, hoc Pater,
Hoc Sancte dona Spíritus,
Quibus potéstas, glória,
Regnúmque in omne est saeculum. Amen.

IN I. NOCTURNO

Ant. Quid est homo, quia magnìficas eum, aut quid appónis erga eum cor tuum?

Psalm. Dómine Dóminus noster, *cum reliquis, ut in Officio parvo B. M. V.*

Ant. Meditátio cordis mei in conspéctu tuo semper.

Ant. Elevámini portae aeternáles, et introíbit Rex glóriae.

℣. Dómine dabis pacem nobis.

℟. Omnia enim ópera nostra operátus es nobis.

De Isaía Propheta.

Lectio I.

c. 12.

Confitébor Tibi Dómine, quóniam irátus es mihi: convérsus est furor tuus, et consolátus es me. Ecce Deus Salvátor meus: fiduciáliter agam, et non timébo, quia fortitúdo mea, et laus mea Dóminus, et factus est mihi in salútem. Hauriétis aquas in gáudio de fóntibus Salvatóris. Et dicétis in die illa: Confitémini Dómino, et invocáte nomen ejus, mementóte quóniam excélsum est Nomen ejus. Cantáte Dómino, quóniam mirífice fecit: annuntiáte hoc in univérsa terra. Exúlta, et lauda habitátio Sion, quia magnus in médio tui Sanctus Israel.

℟. Ego sum panis vitae: Patres vestri manducavérunt manna in desérto, et mórtui

sunt: * Hic est panis de coelo descéndens, ut si quis ex ipso mandúcet, non moriátur.

℣. Ego sum panis vivus, qui de coelo discéndi, si quis manducáverit ex hoc pane, vivet in aetérnum. Hic est.

Lectio II.

Cap. 26.

In die illa cantábitur cánticum istud in terra Juda. Urbs fortitúdinis nostrae Sion, Salvàtor ponétur in ea murus, et antemurále. Aperíte portas, et ingrediátur gens justa, custódiens veritátem. Vetus error ábiit, servábis pacem, pacem quia in te sperávimus. Sperástis in Dómino in saeculis aetérnis, in Dómino Deo forti in perpétuum. Quia incurvábit habitántes in excélso, civitátem sublímem humiliábit, humiliábit eam usque ad terram.

℟. Ecce vídimus eum non habéntem spéciem, neque decórem: aspéctus ejus in eo non est: hic peccáta nostra portávit, et pro nobis dolet, ipse áutem vulnerátus est propter iniquitátes nostras, * Cujus livóre sanáti sumus.

℣. Vere languóres nostros ipse tulit, et dolóres nostros ipse portávit. Cujus livóre.

Lectio III.

Sémita justi recta est, rectus callis justi ad ambulándum: et in sémita judiciórum tuórum Dómine, sustinúimus te: Nomen tuum, et memoriále tuum, in desidério ánimae. Anima mea desiderávit te in nocte, sed et spíritu meo in praecórdiis meis de mane vigilábo ad te. Cum féceris judícia tua in terra, justítiam discent habitatóres orbis.

℟. Benedíctus Dóminus Deus Israel qui facit mirabília magna solus, * Et benedíctum nomen majestátis ejus in aetérnum.

℣. Replébitur majestáte ejus omnis terra, fiat, fiat. Et benedíctum. Glória Patri. Et benedíctum.

IN II. NOCTURNO.

Ant. Afferéntur in laetítia, et exultatióne: adducéntur in templum regis.

Ant. Sanctificávit tabernáculum suum Altíssimus.

Ant. Sicut laetántium ómnium habitátio est in te.

℣. Convérsus est furor tuus.

℟. Et consolátus es me.

De Sermóne sancti Bernárdi Abbátis.

Serm. 3. de Pass.

Lectio IV.

Quia semel vénimus ad Cor dulcíssimum Jesu, et bonum est nos hic esse, ne sinámus nos fácile avélli ab eo, de quo scriptum est: recedéntes ad te in terra scribéntur. Quid áutem accedéntes? Tu ipse doces nos; Tu dixísti accedéntibus ad te; gaudéte quia nómina vestra scripta sunt in coelo. Accedámus ergo ad te, et exultábimus, et laetábimur in te, mémores Cordis tui. O quam bonum, et quam jucundum, habitáre in Corde hoc! Quin pótius dabo ómnia, omnes cogitátiónes et afféctus mentis commutábo, jactans omne cogitátum meum in Cor Dómini Jesu, et sine fallácia illud me enútriet.

℟. Qui mandúcat meam carnem, et bibit meum sánguinem * In me manet, et ego in eo.

℣. Non est ália nátio tam grandis, quae hábeat Deos appropinquántes sibi, sicut Deus noster adest nobis. In me manet.

Lectio V.

Ad hoc templum, ad haec Sancta Sanctórum, ad hanc Arcam Testaménti adorábo, et laudábo nomen Dómini, dicens cum David: Invénit cor meum, ut orem Deum meum. Et ego invéni Cor Regis, Fratris, et Amíci benígni Jesu. Et numquid non adorábo? Hoc ígitur Corde tuo, et meo dulcíssime Jesu, invénto, orábo te Deum meum: admítte tantum in sacrárium exauditiónis tuae preces meas: immo me totum trahe in Cor tuum. O ómnium pulchritúdine speciosíssime Jesu, ámplius lava me ab iniquitáte mea, et a peccáto meo munda me; ut purificátus per te puríssimum, possim accédere, et in Corde tuo ómnibus diébus vitae meae mérear habitáre, et ut vidére simul, et fácere tuam váleam voluntátem.

℟. Sicut ovis ad occisiónem ductus est, et dum male tractarétur, non apéruit os suum: tráditus est ad mortem, * Ut vivificáret pópulum suum.

℣. Trádidit in mortem ánimam suam, et inter scelerátos reputátus est. Ut vivificáret.

Lectio VI.

Ad hoc enim perforátum est latus tuum, ut nobis patéscat intróitus, Ad hoc vulnerátum est Cor tuum, ut in illo, et in te ab exterióribus perturbatiónibus absolúti habítare

possímus. Nihilóminus et proptérea vulnerátum est, ut per vulnus visíbile, vulnus amóris invisíbile videámus. Quómodo hic ardor mélius osténdi potest, nisi quod non solum Corpus, verum étiam ipsum Cor láncea vulnerári permísit? Carnále ergo vulnus, vulnus spirituále osténdit. Quis illud Cor tam vulnerátum non díligat? quis tam amans non rédamet? Quis tam castum non amplectátur? Nos ígitur adhuc in córpore manéntes, quantum póssumus amémus, redamémus, amplectámur vulnerátum nostrum, cujus ímpii agrícolae fodérunt manus, et pedes, latus, et cor: steamúsque, ut cor nostrum durum adhuc et impoenitens, amóris sui vínculo constríngere, et jáculo vulneráre dignétur. Quam charitátem Christi patiéntis, et pro géneris humáni Redemptióne moriéntis, atque in suae mortis commemoratiónem instituéntis Sacraméntum Córporis, et Sánguinis sui, ut Fidéles sub sanctíssimi Cordis symbolo devótius, ac fervéntius récolant, ejusdémque fructus ubérius percípiant, Clemens Décimus tértius Póntifex Máximus ejúsdem sanctíssimi Cordis festum quibúsdam peténtibus Ecclésiis celebrári permísit.

℟. Magnus Dóminus et laudábilis nimis: * Et sapiéntiae ejus non est númerus.
℣. Magnus Dóminus, et magna virtus ejus, et sapiéntiae ejus non est finis. Et sapiéntiae. Glória Patri. Et sapiéntiae,

IN III. NOCTURNO.

Ant. Annuntiáte de die in diem salutáre ejus.

Ant. Adoráte eum omnes Angeli ejus: audìvit, et laetáta est Sion.

Ant. Vidérunt omnes términi terrae salutáre Dei nostri.

℣. Ex Sion spécies decóris ejus.
℟. Deus noster manifésto véniet.

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Lectio VII.

Cap. 19. 31.

In illo témpore Judaei, quóniam Parascéve erat, ut non remanérent in cruce córpora Sábbato (erat enim magnus dies ille Sábbati) rogavérunt Pilátum, ut frangeréntur eórum crura, et tolleréntur. Et réliqua.

Homilía Sancti Augustíni Epíscopi.

Tract. 120. *in Joann.*

Unus mílitum láncea latus ejus apéruit, et contínuo exívit sanguis, et aqua. Vigilánti verbo Evangelísta usus est, ut non díceret latus ejus percússit, aut vulnerávit aut quid áliud; sed apéruit, ut illud quodámmodo vitae óstium panderétur, unde Sacraménta manavérunt, sine quibus ad vitam, quae vera vita est, non intrátur. Ille sanguis, qui fusus est, in remissiónem fusus est peccatórum. Aqua illa salutáre témperat póculum, haec et lavácrum praestat, et potum. Hoc praenuntiábat quod Noe in látere Arcae óstium fácere jussus est, quo intrárent animália, quae non eránt dilúvio peritúra, quibus figurabátur Ecclésia.

℟. Misit me vivens Pater, et ego vivo propter Patrém: * Et qui mandúcat me vivet propter me.

℣. Cibávit illum Dóminus pane vitae, et intelléctus. Et qui mandúcat.

De Homilía Sancti Joánnis Chrysóstomi.

Homil. 84.

Lectio VIII.

Vides quanti sit véritas? per ea quae Judaei fáciunt, prophetía implétur; ália enim ex hoc manifestáta est. Venérunt ergo mílites, et aliòrum fregérunt crura, non Christi; sed ad Judaeórum grátiam conciliándam, latus ejus láncea aperuérunt, et mórtuo adhuc insúltant. O péssimam voluntátem, ac scelestíssimam! Noli tamen perturbári, o dilectíssime; quae enim malo illi ánimo patrárunt, veritáti consentiébant, prophetía hinc impléta est, ínquiens: vidébunt in quem transfixérunt. Neque hoc tantum, sed non creditúris fuit fídei arguméntum, ut Thomae et qui cum eo erant. Ad haec et arcánum mistérium confirmàtum est; exívit enim sanguis, et aqua. Non casu, et simplíciter hi fontes scaturiérunt, sed quóniam ex ambóbus Ecclésia constitúta est.

℟. Recéssit Pastor noster, fons aquae vivae, ad cujus tránsitum sol obscurátus est. * Portas mortis, et seras páriter Salvátor noster disrúpit.

℣. Destrúxit quidem claústra inférnj, et subvértit poténtias diáboli. Portas. Glória Patri. Portas.

De Homilía sancti Bonaventúrae Epíscopi.

Lib. de ling. Vitae.

Lectio IX.

Porro ut de látere Christi dormiéntis formarétur Ecclésia, divína est ordinatióne indúltum, ut unus mílitum láncea latus sacrum illud aperiéndo perfóderet, quátenus sánguine cum aqua manánte, prétium effunderétur nostrae salútis, quod a fonte scílicet cordis arcáno profúsum, vim daret Sacraméntis Ecclésiae, ad vitam grátiae conferéndam; essétque jam in Christo vivéntibus póculum fontis vivi, saliéntis in vitam aetérnam. Surge ígitur ánima amíca Christi, vigiláre non cesses, ibi os appóne, ut haúrias aquas de fóntibus Salvatóris. Te Deum.

AD LAUDES

ET PER HORAS.

Ant. Díscite a me quia mitis sum, et húmilis corde.

Psalm. Dóminus regnávit, *cum reliquis de Dominica.*

Ant. Sanctificávi locum istum, ut sit nomen meum ibi in sempitérnum; et permáneant óculi mei, et cor meum ibi cunctis diébus.

Ant. Et dixi: Ergo sine cáusa justificávi cor meum, et lavi inter innocéntes manus meas, et fui flagellátus tota die.

Ant. Secúndum multitúdinem dolórum meórum in corde meo, consolatiónes tuae laetificavérunt ánimam meam.

Ant. Pone me ut signáculum super cor tuum, ut signáculum super bráchium tuum.

Capitulum

Isaiae 12.

Ecce Deus Salvátor meus, fiduciáliter agam, et non timébo, quia fortitúdo mea, et laus mea Dóminus, et factus est mihi in salútem. Hauriétis aquas in gáudio de fóntibus Salvatóris.

Hymnus.

Cor, Arca legem cóntinens
Non servitútis véteris:
Sed grátiae, sed véniae,
Sed et misericórdiae.
Cor, Sanctuárium novi
Intemerátum foederis,
Templum vetústo sánctius,
Velúmque scissum utílius.
Te vulnerátum cháritas,
Ictu paténti vóluit;
Amóris invisíbilis
Ut venerémur vúlnera.
Hoc sub amóris symbolo
Passus cruénta, et mystica,
Utrúmque sacrificium

Christus Saeérdos óbtulit.
Quis non amántem rédamet?
Quis non redémptus díligat,
Et Corde in isto séligat,
Aetérna tabernácula?
Decus Parénti, et Fílio,
Sanctóque sit Spirítui,
Quibus potéstas, glória,
Regnúmque in omne est saeculum. Amen.

℣. Vere languóres nostros ipse tulit.

℟. Et dolóres nosros ipse portávit.

AD BENEDICTUS

Ant. Vulnerátus est propter iniquitátes nostras; attrítus est propter scélera nostra: disciplína pacis nostrae super eum, et livóre ejus sanáti sumus.

ORATIO.

Concéde, quaesumus, omnípotens Deus, ut qui in sanctíssimo diléeti Fílii tui Corde gloriántes, praecípua in nos charitátis ejus beneficia recólimus: eórum páriter et actu delectémur, et fructu. Per eúmdém Dóminum.

AD PRIMAM.

Ant. Díscite a me.

℟. *brev.* Christe Fili Dei vivi * miserére nobis. Christe Fili Dei vivi * miserére nobis.

℣. Qui passus es pro nobis. Miserére nobis.

AD TERTIAM

Ant. Sanctificávi locum istum.

Capitulum. Ecce Deus Salvátor.

℟. *brev.* Vere * languóres nostros ipse tulit. Vere.

℣. Et dolóres nostros ipse portávit.

Languóres nostros ipse tulit.

Glória Patri. Vere.

℣. Pósuit fines tuos pacem.

℟. Et ádipe fruménti sátiat te.

AD SEXTAM.

Ant. Et dixi.

Capitulum

Isaiae 12.

Dicétis in illa die: Confitémini Dómino, et invocáte nomen ejus; et mementóte quoniam excélsum est nomen ejus.

℟. *brev.* Pósuit * fines tuos pacem. Pósuit.

℣. Ed ádipe fruménti sátiat te.

Fines tuos pacem.

Glória Patri. Pósuit.

℣. Dirupísti, Dómine, víncula mea.
℟. Tibi sacrificábo hóstiam láudis.

AD NONAM

Ant. Pone me.

Capitulum

Isaiae 12.

Cantáte Dómino, quóniam mirífice fecit, annuntiáte hoc in univérsa terra. Exúlta et láuda habitátio Sion, quia magnus in médio tui Sanctus Israel.

℟. *brev.* Dirupísti, Dómine, * víncula mea. Dirupísti.
℣. Tibi sacrificábo hóstiam láudis.
Víncula mea.
Glória Patri. Dirupísti.
℣. Erit Dóminus nominátus in signum aetérnum.
℟. Quod non auferétur.

IN II. VESPERIS.

Omnia ut in primis praeter sequentia.

℣. Hauriétis aquas in gáudio.
℟. De fóntibus Salvatóris.

AD MAGNIFICAT.

Ant. Ad Jesum áutem cum veníssent, ut vidérunt eum mórtuum, non fregérunt ejus crura ; sed unus mílitum lánceа latus ejus apéruit, et contínuo exívit sanguis, et aqua.

Oratio. Concéde, quaesumus, omnípotens Deus *ut supra.*

DOMENICA III. *post. Pentecost.*

In Festo Purissimi Cordis Beatae Mariae Virginis Duplex majus.

AD VESPERAS.

Ant. Trahe me *cum reliq. de Laudib.* Psalm. ut in *Officio parvo B. M. V.* Cap. de laud. *Hymnus* Ave Maris Stella.

℣. Exúlta in omni corde, filia Jerúsalem :
℟. Rex Israel Dóminus in mèdio tui.

AD MAGNIFICAT.

Ant. Exultávit cor meum in Dómino, et exaltátum est cornu meum in Deo meo, quia laetáta sum in salutári tuo.

ORATIO

Omnípotens sempitérne Deus, qui in Corde Beátae Maríae Vírginis dignum Spíritus Sancti habitáculum praeparásti, concéde propítius, ut ejúsdem puríssimi Cordis festivitátem devóta mente recoléntes, secúndum cor tuum

vívere valeámus. Per Dóminum.

Et fit com. Dom. 3. post Pent.

AD MATUTINUM

Invitat. Ave María grátia plena * Dóminus tecum. *Psalm.* Veníte. *Hymn.* Quem terra, pontus sídera etc.

IN I. NOCTURNO

Ant. Benedícta tu inter mulíeres, et benedíctus fructus ventris tui.

Psalm. ut in Officio parvo B. M. V.

Ant. Et ait María: Magníficat ánima mea Dóminum, et exultávit spíritus meus in Deo salutári meo.

Ant. Quia respéxit humilitátem ancíllae suae: ecce enim ex hoc beátam me dicent omnes generatiónes.

℣. Anima mea liquefácta est.

℟. Ut locútus est diléctus.

De Cánticis Canticórum.

Lectio I.

Cap. 4.

Quam pulchra es, amíca mea, quam pulchra es! óculi tui columbàrum, absque eo, quod intrínsecus latet. Sicut vitta coccínea lábia tua; et elóquium tuum dulce. Sicut fragmen mali púnici, ita genae tuae, absque eo, quod intrínsecus latet. Sicut turris David collum tuum, quae aedificáta est cum propugnáculis: mille clypei pendent ex ea, omnis armatúra fórtium. Vulnerásti cor meum, soror mea sponsa, vulnerásti cor meum in uno oculórum tuórum, in uno crine colli tui. Favus distíllans lábia tua, sponsa, mel et lac sub lingua tua. Hortus conclúsus, fons signátus.

℟. Deduc me, Dómine, in via tua, et ingrédiar in veritáte tua: laetétur cor meum * Ut tímeat nomen tuum.

℣. Pone me ut signáculum super cor tuum, ut signáculum super bráchium tuum. Ut tímeat.

Lectio II.

Cap. 5.

Veni in hortum meum soror mea sponsa: méssui myrrham meam cum aromátibus meis: comédi favum cum melle meo. Vox dilécti mei pulsántis: áperi mihi soror mea, amíca mea, colúmba mea, immaculáta mea, quia caput meum plenum est rore, et cincínni mei guttis nóctium. Surréxi ut aperírem diléčto meo, manus meae

stillavérunt myrrham, et digiti mei pleni myrrha probatíssima. Apérui dilécto meo, at ille declináverat atque transíerat. Anima mea liquefácta est, ut locutus est.

℟. In Dómino gaudébo, et exultábo in Deo Jesu meo: Deus Dóminus fortitúdo mea * Super excélsa dedúcet me.

℣. Laeva ejus sub cápite meo, et déxtera illíus amplexábitur me. Super.

Lectio III.

Cap. 5. *et* 6.

Qualis est diléctus tuus ex dilécto, o pulchérrima mulíerum: qualis est diléctus tuus ex dilécto, quia sic adjurásti nos? Diléctus meus cándidus et rubicúndus, eléctus ex míllibus, totus desiderábilis. Talis est diléctus meus, et ipse est amícus meus, filiae Jerúsalem. Quo ábiit diléctus tuus o pulchérrima mulíerum? Quo declinávit diléctus tuus? et quaerémus eum tecum. Pulchra es amíca mea, suávis et decóra sicut Jerúsalem, terríbilis ut castrórum ácies ordináta. Una est colúmba mea, perfécta mea, una est matris suae, elécta genitrícis suae. Vidérunt eam filiae, et beatíssimam praedicavérunt et Regínae laudavérunt eam.

℟. Invéni grátiam apud óculos tuos, Dómine mi, * Qui consolátus es me, et locútus es ad cor ancíllae tuae.

℣. In toto corde meo exquisívi te, ne repéllas me a mandátis tuis. Qui consolátus. Glória Patri. Qui consolátus.

IN II. NOCTURNO

Ant. Beáta, quae credidísti, quóniam perficiéntur ea, quae dicta sunt tibi a Dómino.

Ant. Fecit mihi magna, qui potens est, et sanctum nomen ejus.

Ant. Fecit poténtiam in bráchio suo, dispérsit supérbos mente cordis sui.

℣. Fortis est ut mors diléctio

℟. Dura sicut inférnus aemulátio.

Sermo sancti Bernardíni Senénsis.

Ex Serm. 9. *de Visitatione.*

Lectio IV.

Quis mortálium, nisi divíno fretus oráculo, de vera Dei et hóminis Genitríce quidquam módicum, sive grande praesúmat pollútis lábiis nomináre; quam Pater ante saecula Deus perpétuam praedestinávit in Vírginem dignissimam: Fílius elégit in Matrem: Spíritus Sanctus om-

nis grátiae domicílium praeparávit? Quibus verbis ego homúnculus sensus altíssimos Virgínei Cordis, sanctíssimo ore prolátos ésseram : quibus non sússicit lingua ómnium hóminum, et etiam angelórum? Dóminus enim ait : bonus homo de bono thesáuro cordis sui profert bona. Quis áutem inter puros hómines mélior homo potest excogitári, quam illa, quae méruit éffici Mater Dei, quae in Corde et in útero suo ipsum Deum hospitáta est? Quis thesáurus mélior, quam ipse divínus amor, quo Cor Vírginis ardens erat?

℟. Ego diligéntes me díligo, et qui mane vígilant ad me, invénient me. Mecum sunt divítiae et glória: * Opes supérbae et justítia.

℣. Ut ditem diligéntes me et thesáuros eórum répleam. Opes.

Lectio V.

De hoc ígitur Corde quasi fornáce divíni ardóris Virgo beáta prótulit verba bona, idest verba ardentíssimae charitátis. Sicut enim a vase óptimo vino pleno, non potest exíre nisi óptimum vinum: aut sicut a fornáce summi ardóris non egréditur nisi incéndium fervens: sic de Corde Matris Christi exíre non pótuit verbum, nisi summi, summéque divíni amóris atque ardóris. Septem verba tantum mirae senténtiae et virtútis a Christi benedictíssima Matre legúntur dicta. Cum Angelo bis tantum locúta est. Cum Elísabeth, bis etiam. Cum Fílio étiam bis. Cum minístris in núptiis semel. Haec septem verba, secúndum septem amóris actus, sub miro gradu et órdine prolátа, quasi sunt septem flammae Cordis ejus.

℟. Ego Mater pulchrae dilectiónis, et timóris, et agnitiónis et sanctae spei. In me grátia omnis viae et veritátis. * In me omnis spes vitae et virtútis.

℣. Transíte ad me omnes, qui concupíscitis me, et a generatiónibus meis impleémini. In me omnis.

Lectio VI.

Quae verba consíderans mens devóta, cum ipso Prophéta ait: Quam dúlcia fáucibus meis, idest ómnibus affectiónibus elóquia tua! Porro dulcédo haec quam in verbis Beátae Vírginis devóta mens sentit, est ardor piae devotiónis quam in eis ánima experimentáliter probat. Distin-

guámus ígitur per órdinem has septem flammas amóris, verbórum Vírginis benedíctae. Prima est flamma amóris separántis. Secúnda amóris transformántis. Tértia amóris communicántis. Quarta amóris jubilántis. Quinta amóris sopor·ántis. Sexta amóris compatiéntis. Séptima amóris consummántis.

℟. Beátus homo, qui áudit me, et qui vígilat ad fores meas quotídie et obsérvat ad postes óstii mei. * Qui me invénerit invéniet vitam, et háuriet salútem a Dómino.

℣. Qui áutem in me peccáverit laedet ánimam suam: omnes, qui me odérunt díligunt mortem. Qui me. Glória Patri. Qui me.

IN III. NOCTURNO.

Ant. Unde hoc mihi, ut véniat Mater Dómini mei ad me?

Ant. Misericórdia ejus a progénie in progénies timéntibus eum.

Ant. Suscépit Israel púerum suum, recordátus misericórdiae suae.

℣. Ego dilécto meo.

℟. Et ad me convérsio ejus.

Léctio Sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio VII. Cap. 2.

In illo témpore: Dixit Mater Jesu ad illum; Fili quid fecísti nobis sic? Ecce Pater tuus et ego doléntes quaerebámus te. Et réliqua.

De Homilía Venerábilis Bedae Praesbyteri.

In Hom. Hyem. de temp. Dom. 1. post Epiph.

Mater ejus, inquit Evangelísta, conservábat ómnia verba haec in Corde suo. Omnia, quae de Dómino vel a Dómino dicta, sive acta cognóverat Mater Virgo, diligéntius in Corde retinébat, sollícite cuncta memóriae commendábat, ut cum demum tempus praedicándae, sive scribéndae Incarnatiónis ejus adveníret, sufficiénter univérsa, prout essent gesta, posset explicáre quaeréntibus. Imitémur et nos, fratres mei, piam Dómini Matrem, ipsi quoque ómnia verba et facta Dómini ac Salvatóris nostri fixa in corde conservándo.

℟. Aquae multae non potuérunt extínguere charitátem: * Neque flúmina óbruent illam.

℣. Si déderit homo omnem

substántiam domus suae pro dilectióne, quasi nihil despíciet eam. Neque.

Lectio VIII.

Horum Dómini verbórum et actórum meditatióne diúrna et noctúrna importúnos inánium nocentiúmque cogitatiónum repellámus incúrsus: horum crebra collatióne et nos et próximos nostros a fábulis supervácuis, et male dulcorátis detractiónum collóquiis castigáre, atque ad divínae frequéntiam laudis accéndere curémus. * Si enim fratres caríssimi, in futúri beatitúdine saeculi habitáre in domo Dómini, ac perpétuo illum laudáre desiderámus, opórtet nimírum et in hoc saeculo, quod in futúro quaerámus, sollícite praemonstrémus: frequentándo vidélicet Ecclésiae límina, et non solum in ea laudes Dómini canéndo, sed et in omni loco dominatiónis ejus ea, quae ad laudem gloriámque conditóris nostri profíciant, verbis páriter ac factis ostendéndo.

℟. Spíritus meus super mel dulcis et haeréditas mea super mel et favum. Qui áudit me non confundétur. * Et qui operántur in me non peccábunt.

℣. Qui elúcidant me vitam aetérnam habébunt. Et qui. Glória Patri. Et qui.

IX. lect. de Hom. Dom. 3. *post Pent. deinde* Te Deum laudámus. *Sed si extra Dominicam agi de hoc Festo contingat, tunc Lectio IX. incipiet ab asterisco posito supra Lectione VIII.*

AD LAUDES

ET PER HORAS

Ant. Trahe me post te, currémus in odórem unguentórum tuorum. *psal.* Dóminus regnávit. *cum reliquis de Dominica.*

Ant. Diléctus meus lóquitur mihi: Surge, própera, amíca mea.

Ant. Fulcíte me flóribus, stipáte me malis: quia amóre lángueo.

Ant. Adjúro vos, filiae Jerúsalem, ne suscitètis diléctam quoadúsque ipsa velit.

Ant. Ego dórmio, et cor meum vígilat.

Capitulum

Cant. c. 8.

Pone me ut signáculum super Cor tuum, ut signáculum super bráchium tuum, quia fortis est ut mors diléctio, du-

ra sicut inférnus aemulátio. Lámpades ejus, lámpades ignis, atque flammárum.

Hymnus. O gloriósa Vírginum *etc.*

℣. Qui me invénerit invéniet vitam.

℟. Et háuriet salútem a Dómino.

AD BENEDICTUS.

Ant. Extóllens vocem quaedam múlier de turba dixit illi: beátus venter, qui te portávit et úbera, quae suxísti.

ORATIO

Omnípotens sempitérne Deus, qui in Corde Beátae Maríae Vírginis dignum Spíritus Sancti habitáculum praeparásti, concéde propítius, ut ejúsdem puríssimi Cordis festivitátem devóta mente recoléntes, secúndum Cor tuum vívere valeámus. Per Dóminum.

Et fit com. Dom.

AD PRIMAM

℣. Qui natus es de María Vírgine.

AD TERTIAM

Ant. Diléctus meus.

Capit. Pone me *ut supra in Laudibus.*

℟. *br.* Anima mea * Liquefácta est. Anima.

℣. Ut locútus est diléctus. Liquefácta est. Glória Patri. Anima mea.

℣. Fortis est ut mors diléctio.

℟. Dura sicut inférnus aemulátio.

AD SEXTAM

Ant. Fulcíte me.

Capit.

Eccl. 24.

Ego ex ore Altíssimi prodívi, primogénita ante omnem creatúram, ego feci in coelis, ut orirétur lumen indeficiens, et sicut nébula texi omnem terram.

℟. *br.* Fortis est * Ut mors diléctio. Fortis est.

℣. Dura sicut inférnus aemulátio. Ut mors. Glória Patri. Fortis est.

℣. Ego dilécto meo.

℟. Et ad me convérsio ejus.

AD NONAM

Eccl. 24.

In omni terra steti, et in omni pópulo, et in ómnibus réquiem quaesívi, et in haereditáte Dómini morábor.

℟. Ego * Dilécto meo. Ego.

℣. Et ad me convérsio ejus. Dilécto meo. Glória Patri. Ego.

℣. Qui me invénerit invéniet vitam.

℟. Et háuriet salútem a Dómino.

IN II. VESPERIS.

Omnia ut in primis.

℣. Viam mandatórum tuórum cucúrri.

℟. Cum dilatásti Cor meum.

AD MAGNIFICAT

Ant. Exultávit Cor meum in Deo salutári meo: quia fecit mihi magna, qui potens est.

Et fit com. Dom.

DIE I. JUNII

Octava S. Zenobii *Ep. Conf.* Duplex. *Omn. ut in festo exceptis iis quae sequunt.*

IN I. NOCTURNO.

Lect. de Script. occurr.

IN II. NOCTURNO.

Lectio IV.

Sermo Sancti Gregórii Papae.

Pastor. par. ij. c. 1.

Tantum debet actiónem pópuli áctio transcéndere Praesulis, quantum distáre solet a grege vita pastóris. Opórtet namque, ut metíri se solícite stúdeat, quanta tenéndae rectitúdinis necessitáte constríngitur, sub cujus aestimatióne pópulus grex vocátur. Sit ergo, necesse est, cogitatióne mundus, actióne praecípuus, discrétus in siléntio, útilis in verbo, síngulis compassióne próximus, prae cunctis contemplatióne suspénsus, bene agéntibus per humilitátem sócius, contra delinquéntium vítia per zelum justítiae eréctus, internórum curam in exteriórum occupatióne non mínuens, exteriórum providéntiam in internórum solicitúdine non relínquens.

℟ Vigilávit die.

Lectio V.

Part. 1 c. 9. et 10. Considerándum quoque est, quia cum curam pópuli eléctus Praesul súscipit, quasi ad aegrum médicus accédit. Si ergo adhuc in ejus córpore passiónes vivunt, qua praesumptióne percússum medéri próperat, qui in fácie vulnus portat? Ille ígitur modis óm-

nibus debet ad exémplum bene vivéndi pértrahi, qui cunctis carnis passiónibus móriens, jam spirituáliter vivit, qui próspera mundi postpónit, qui nulla advérsa pertiméscit, qui sola intérna desíderat. Cujus intentióni bene cóngruens, nec omníno per imbecillitátem corpus, nec valde per contumáciam repúgnat spíritus. Qui ad aliéna cupiénda non dúcitur, sed própria largítur.

℟. Bonum depósitum.

Lectio VI.

Cap. 8.

Unde ipsum quoque Episcopátus officium boni óperis expressióne definítur, cum dícitur: Si quis Episcopátum desíderat, bonum opus desíderat. Ipse ergo sibi testis est, quia Episcopátum non áppetit, qui non per hunc boni óperis ministérium, sed honóris glóriam, quaerit. Sacrum quippe officium non solum non díligit omníno, sed nescit, qui ad culmen regíminis anhélans in occúlta meditatióne cogitatiónis, caeterórum subjectióne páscitur, láude própria laetátur, ad honórem cor élevat, rerum affluéntium abundántia exúltat. Mundi ergo lucrum quaeritur sub ejus honóris spécie, quo mundi déstrui lucra debúerant.

℟. Quod infirmum fuit.

IN III. NOCTURNO

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Lectio VII.

Cap. 10.

In illo témpore: Dixit Jesus Pharisaeis: Ego sum Pastor bonus. Bonus pastor ánimam suam dat pro óvibus suis. Et réliqua.

Homilía sancti Gregórii Papae.

Homil. 10. in Joann.

Quia ergo audístis, fratres charíssimi, perículum nostrum, pensáte in verbis Dómini étiam perículum vestrum. Vidéte si oves ejus estis, vidéte si eum cognóscitis, vidéte si lumen veritátis scitis. Scitis áutem dico, non per fidem, sed per amórem. Scitis dico, non ex credulitáte, sed ex operatióne. Nam idem ipse, qui hoc lóquitur Joánnes Evangelísta testátur, dicens: Qui dicit se nosse Deum, et mandáta ejus non custódit, mendax est. Unde et in hoc loco Dóminus prótinus subdit: Sicut novit me Pater, et ego agnósco Patrem, et ánimam meam pono pro óvibus meis. Ac si apérte di-

cat: In hoc constat quia et ego agnósco Patrem, et cognóscor a Patre, quia ánimam meam pono pro óvibus meis: idest, ea charitáte qua pro óvibus mórior, quantum Patrem díligam osténdo.

℟. Sápiens apéruit.

Lectio VIII.

De quibus profécto óvibus rursum dicit: Oves meae vocem meam áudiunt, et ego cognósco eas, et sequúntur me, et ego vitam aetérnam do eis. De quibus et páulo supérius dicit: Per me si quis introíerit, salvábitur, et ingrediétur. et egrediétur, et páscua invéniet. Ingrediétur quippe ad fidem, egrediétur vero a fide ad spéciem, a credulitáte ad contemplatiónem: páscua áutem invéniet in aetérna refectióne. Oves ergo ejus páscua invéniunt: quia quisquis illum corde símplici séquitur, aetérnae viriditátis pábulo nutrítur. Quae áutem sunt istárum óvium páscua, nisi intérna gáudia semper viréntis Paradísi? Páscua namque electórum sunt vultus praesens Dei, qui dum sine deféctu conspícitur, sine fine mens vitae cibo satiátur. In istis páscuis de aeternitátis satietáte laetáti sunt, qui jam láqueos voluptuósae temporalitátis evasérunt.

℟. Chàritas Dei diffúsa.

Lectio IX.

Quaerámus ergo, fratres charíssimi, haec páscua, in quibus cum tantórum cívium solemnitáte gaudeámus. Ipsa nos laetántium festívitas invítet. Certe sícubi pópulus núndinas celebráret, si ad alicújus Ecclésiae dedicatiónem denuntiáta solemnitáte concúrreret, festinarémus omnes simul inveníri, et interésse unusquísque satágeret; gravi se damno afflíctum créderet, si solemnitátem commúnis laetítiae non vidéret. Ecce in coeléstibus electórum cívium laetítia ágitur, vicíssim de se omnes in suo convéntu gratulántur: et tamen nos ab amóre aeternitátis tépidi, nullo desidério ardémus, interésse tantae solemnitáti non quaerimus: privámur gáudiis, et laeti sumus. Accendámus ergo ánimum, fratres, recaléscat fides in id quod crédidit, inardéscant ad supérna nostra desidéria: et sic amáre jam ire est. Ab intérnae solemnitátis gáudiis nulla nos advérsitas révocet; quia etsi quis ad locum propósitum ire desíderat, ejus desidé-

rium quaelibet vitae aspéritas non immútat. Nulla nos prospéritas blándiens sedúcat: quia stultus viátor est, qui in itínere amoena prata conspíciens, oblivíscitur ire quo tendébat. Toto ergo desidério ad supérnam pátriam ánimus anhélet, nihil in hoc mundo áppetat, quod constat quia cítius relínquat: ut si coeléstis Pastóris veráciter oves sumus, quia in viae delectatióne non fígimur, aetérnis páscuis in perventióne satiémur.

Te Deum laudámus.

DIE II. JUNII.

In Festo B. M. BARTHOLOMAEAE DE BAGNESIS *Virg. Flor. Tertii Ordinis S. Domínici.* Duplex. majus.

Omnia de Commun. Virg. praeter sequentia.

ORATIO.

Amátor animárum Deus, qui in beáta María Bartholomaea Vírgine tua miram aegritúdinum toleránliam pari cum innocéntia sociásti; concéde, ut qui ex mérito nostrae actiónis afflígimur, tuae grátiae consolatióne respirémus. Per Dóminum.

IN I. NOCTURNO.

Lection. De Virgínibus. *de Comm.*

IN II. NOCTURNO.

Lectio IV.

María Bartholomaea nóbili Bagnesiórum stirpe Floréntiae nata, Vírginum Sponsi amóre praevénta, sacro ejus thálamo inter ipsa vocis primórdia se pródidit deputátam. De ineúndis enim cum Jesu núptiis tanto devóti ánimi sensu loquebátur, ut si quis puéllulae eam spem desperátam crédere simuláret, ubérrimis ipsa lácrymis ánxie difflúeret. Postquam matri moriénti hortátrix efficacíssima ádstitit, domus curam praecóci prudéntia ímpigre gessit, piis aeque officiis, precibúsque inténta, et de religióso ínterim statu cógitans. A Patre mónita, ut terréno connúbio consentíret, totis repénte ártubus contrémuit válida háctenus, et praeclárae formae adolescéntula, ac facto morbórum véluti ágmine, febri, nervórum distentióne, propriísque singulárum pártium dolóribus una saepe, aut per vices occurréntibus, ita ad annos ferme quadragínta quinque excruciáta fuit, ut

zelótes Virginis Sponsus intentándam deínde ejus fidem perénni visus sit martyrio consecrásse. In léctulo ígitur dolóris per dies, noctésque quaesívit illa diléctum: is vero qui líliis delectátur, et myrrha, sponsae non défuit; quam invícta patiéntia laborántem larvis quoque daemonum térritam, et hóminum dictériis onerátam suis refécit ineffabílibus gáudiis, cui et mentem a supernórum contemplatióne inter mortáles angústias indivúlsam raro múnere tríbuit.

℟. Propter.

Lectio V.

Diu expetíto Sorórum de Poeniténtia sancti Domínici hábitu trigésimo tértio aetátis anno donáta, eumdémque órdinem post tyrocínium proféssa, brévibus recreáta est indúciis martyrii sui, ut casti amóris víctima religiónis amíctu palam redimíta prodíret ad aedes sacras sui máxime órdinis. Statim áutem morbis graváta prióribus, et donibus potióribus áucta: e lecto solabátur afflíctos, infirma sanábat aegros, subsídio erat egénis, dissidéntes paci, virtúti errántes Deóque reddébat. Arcána cernens, futúra praedícens; voce, ac scripto charitátis ignículos córdibus inserébat. Sui láudes horrébat, obséquia vitábat, celábat écstases, seque amaríssimi cálicis faecibus vere dignam commiserántibus praedicábat. Immúndae labis ignára prorsus, et lethális culpae ádeo expers, ut vel ipso peccáti nómine stratum, et cubículum decumbéntis frémitu quaterétur, adhíbitis tamen poenárum instruméntis; ac vix cessánte jejúnio, afflictiónem afflicto córpori júgiter addébat. Sacram étiam expiatiónis hóstiam coram se domi offérri sátagens, quod ei ex privilégio licébat, Eucharistíam plerúmque, confessióne praemíssa, aestuánti desidério sumébat.

℟. Dilexísti justítiam.

Lectio VI.

Pulchrae dilectiónis matrem Maríam praecípuo semper afféctu prósequens, et Sanctórum cúltui, atque imitatióni incúmbens, Senénsis cum primis Catharínae patiéntiam obediéntiam, virtútes caeteras pie aemuláta, jam ócties infirmórum sancto óleo inúncta, Domínica passióne perlécta, consummáto aegritúdinum martyrio, repósitam sibi in coelis justítiae corónam accépit quinto Kaléndas Június anno millésimo quinquagésimo septuagésimo séptimo.

Corpus Vírginis, sicut Frater Timótheus Sanctae Catharínae de Riccis germánus Coenóbii Sanctae Maríae Novéllae Praeses rogánti ante concésserat, ad Sanctae Maríae Angelórum Sanctimoniáles Carmelítas Maríae Bartholomaeae caríssimas, frequénti pópulo plaudénte, Fratrum Praedicatórum gestiéntibus húmeris delátum est; in quarum Coenóbio non intermíssa veneratióne cólitur, et íntegrum adhuc a Viris Princípibus, Ecclesiaeque praesúlibus ósculo, múnere, et devòto obséquio donátum, praesens aegris remédium habétur, testimónio praesértim Sanctae Maríae Magdalénae de Pazzis, quae visitándi sacri córporis voto facto, ab imminénti tabe repénte sanáta, Maríae Bartholomaeae ánimam Christi throno recéptam vidit, et Seráphicae Catharínae parem, summéque poténtem, ac beatíssimam praedicáverit, et in militánte Ecclésia sublímius tandem exaltándam. Quod Pius Séptimus Póntifex Máximus pie, ac benígne praestans, de beáta María Bartholomaea recitándi Officii, et Missae anniversário ejus dormitiónis die celebrándae Praedicatórum Ordini, et Florentíno utríque Clero fecit potestátem.

℟. Afferéntur Regi.

IN III. NOCTURNO.

Hom. in Ev. de Com. Virg. 1. loc.

DIE III. JUNII.

ASS. EX 16. MAJI.

In Festo S. UBALDI *Episc. Conf.* sem.

Omn. ut in brev. die 16. *Maji.*

DIE IV. JUNII.

In Festo S. FRANCISCI CARACCIOLO *Conf. et Congregationis Cleric. Regular. Minor. Fundatoris.* Duplex.

Omnia de Comm. Conf. non Pontif. praeter ea quae sequuntur.

ORATIO.

Deus, qui beátum Francíscum novi Ordinis Institutórem, orándi stúdio, et poeniténtiae amóre decorásti: da fámulis tuis in ejus imitatióne ita profícere, ut semper orántes, et corpus in servitútem redigéntes ad coeléstem glóriam perveníre mereántur. Per Dóminum.

IN I. NOCTURNO.

Lectiones de Script. occurr.

IN II. NOCTURNO.

Lectio IV.

Franciscus dictus ántea Ascánius, ex nóbili família Carácciolo in óppido sanctae Maríae de Villa in Aprútio ortus, a primis annis eximio enítuit pietátis cultu. Adoléscens gráviter aegrótans státuit sese prorsus Dei, proximíque mancipáre servítio. Neápolim proféctus, Sacerdótio initiátus, sacróque adscríptus sodalítio, contemplatióni lucrandísque animábus se totum devóvit, ac extrémo supplício damnátis hortatórem se praebuit assíduum. Contigit áutem, ut epistólium álteri destinátum ei per errórem redderétur quo a piissimis viris Joánne Augustíno Adórno, et Fabrício Carácciolo ad novi Religiósi Institúti fundatiónem vocabátur: rei novitáte captus, et divínae voluntátis demirátus consília, álacri ánimo sese illis adjúnxit. Cónditis áutem in Camalduléusium erémo, quo secésserant, novi Ordinis légibus, inde Romam simul profécti, confirmatiónem a Sixto Quinto impetrárunt, qui eósdem Cléricos Reguláres Minóres appellári vóluit, áddito ad tria consuéta áltero de non ambiéndis dignitátibus voto.

℟. Honéstum.

Lectio V.

Solémni emíssa professióne, ob singulárem ejus in divum Francíscum Assisinátem cultum, Francísci nomen assúmpsit. Adórno, biénnio post, vita functo ipse toti religióni quamquam invítus, praeficitur quo in múnere virtútum ómnium praeclára praebuit exémpla. Institúti amplificándi studiosíssimus, id assíduis oratiónibus, lácrymis, et jugi córporis maceratióne enixe a Deo postulábat. Quamóbrem tértio in Hispániam se cóntulit peregríni hábitu indútus, victúmque ostiátim mendícans. In itínere aspérrima quaeque perpéssus, Omnipoténtis auxílium mirum in modum expértus, navim, quam conscénderat ab imminénti naufrágio oratiónis praesídio servávit incólumem. Ut in Regnis illis voti compos fíeret plúrimum laborávit, sed ejus sanctitátis fama praelucénte, amplissimáque Cathólicorum Regum Philíppi Secúndi, et Philíppi Tértii munificéntia, adversariórum co-

nátibus singulári ánimi fortitúdine superátis, plura sui Ordinis domícilia fundávit; quod pari evéntu per Itáliam praestitit.

℟. Amávit eum.

Lectio VI.

Humilitáte ádeo excélluit, ut Romam véniens in páuperum hospítio recéptus se lepróso sociáverit, et Ecclesiásticas dignitátes a Páulo Quinto sibi oblátas constantíssime recusáverit. Illibátam perpétuo servávit virginitátem, effrontésque mulíeres ejus castimóniae insidiántes Christo lucrifécit. Erga diviníssimum Eucharistíae mystérium ardénti aestuans amóre, noctes pene íntegras in ejus adoratióne insómnes ducébat, quod pium exercítium véluti sui Ordinis tésseram in eo perpétuo servándum constítuit. Deíparae Vírginis cultum impénse fovit. In próximum exímia exársit charitáte. Prophetíae dono, et córdium scrutatióne ditátus fuit. Quadragésimum quartum aetátis suae annum agens, dum in sacra Lauretána Æde in oratióne persísteret, sibi vitae finem imminére cognóvit. Aprútium statim defléxit, et Agnóni apud alúmnos sancti Philíppi Nérii letháli febre corréptus, Sacraméntis Ecclésiae devotíssime suscéptis, prídie nonas Júnii anni millésimi sexcentésimi octávi in pervigílio festi Córporis Christi placidíssime obdormívit in Dòmino. Sacrum ejus Corpus Neápolim delátum in Ecclésia sanctae Maríae Majóris, ubi prima sui Ordinis jécerat fundaménta honorífice cónditum fuit. Eum póstea miráculis clarum Clemens Décimus Quartus Póntifex Máximus solémni ritu inter beátos, Pius vero Séptimus Póntifex Máximus novis fulgéntem signis anno millésimo octigentésimo séptimo Sanctórum albo adscrípsit.

℟. Iste homo.

IN III. NOCTURNO.

Hom. in Ev. Sint. lumbi *ut in Com.* 1. *loc.*

DIE XII. JUNII.

In Festo S. JOANNIS A S. FACUNDO *Conf.* Duplex.

Omnia de Communi Conf. non Pont. praeter ea, quae sequuntur.

ORATIO.

Deus áuctor pacis, et amátor charitátis, qui beátum Joánnem Confessórem tuum mirífica dissidéntes componéndi grátia decorásti: ejus

méritis, et intercessióne concéde, ut in tua charitáte firmáti, nullis a te tentatiónibus separémur. Per Dóminum.

Deinde fit comm. SS. Basilidis, et Sociorum Martyrum ut in Breviar.

IN I. NOCTURNO.

Lect. de Script. occur.

IN II. NOCTURNO.

Lectio IV.

Joánnem Sahagúni in Hispánia nóbili génere natum, paréntes cum diu prole caruíssent, piis opéribus, et oratiónibus a Deo impetrárunt. Ab ineúnte aetáte egrégium futúrae sanctitátis spécimen dedit; nam e loco superióri ad caeteros púeros crebro verba faciébat, quibus eos ad virtútem, et Dei cultum hortabátur, eorúmque dissídia componébat. In pátria Mónachis sancti Facúndi Ordinis sancti Benedícti primis litterárum rudiméntis inbuéndus tráditur. Dum iis óperam daret, curávit pater, ut Párochus Ecclésiam administráret; quod munus júvenis nullis ratiónibus addúci pótuit, ut retinéret. Inter familiáres Epíscopi Burgénsis adscríptus, ob spectátam ipsíus probitátem íntimus ei fuit, ab eóque Presbyter, et Canónicus factus, multis beneficiis áuctus est. Sed relícta áula Epíscopi, ut Deo quiétius servíret, ómnibus Ecclésiae provéntibus abdicátis, se cuídam Sacéllo addíxit, ubi sacrum quotídie faciébat, ac de rebus divínis magna cum auditórum aedificatióne frequénter concionabátur.

℟. Honéstum fecit.

Lectio V.

Póstea studiórum cáusa Salmánticam profèctus, in célebre Collégium divi Bartholomaei cooptátus, Sacerdótis munus ita exércuit, ut simul optátis stúdiis incúmberet, et in sacris étiam conciónibus assídue versarétur. Cum vero in gravíssimum morbum incidísset, arctióris disciplínae voto se obstrínxit; quod ut rédderet, cum prius cuídam páuperi pene nudo ex duábus, quas tantum habébat vestes, melιórem dedísset, ad Coenóbium sancti Augustíni, severióri disciplína tum máxime florens, se cóntulit: in quo admíssus, obediéntia, ánimi demissióne, vigíliis, ac oratióne, provectióres anteíbat. Triclínii cura cum ipsi demandáta esset, vini dolíolum, ipso attingénte, ómnibus Mónachis per annum abúnde suf-

fécit. Exácto tyrocínii anno, Praeſécti jussu, munus concionándi suscépit. Salmánticae id témporis ádeo cruéntis factiónibus divína, humánaque ómnia permíxta erant, ut síngulis propémodum horis caedes fíerent, et ómnium órdinum, ac praesértim nobílium sánguine non viae solum et fora, sed templa étiam redundárent.

℟. Amávit eum.

Lectio VI.

At Joánnes tum conciónibus, tum privátis collóquiis cívium ánimos demúlcens, ad tranquillitátem urbem redúxit. Virum Príncipem gráviter offéndit, quod illíus in súbditos saevítiam increpásset: qua de cáusa équites duos immísit, qui eum in itínere confóderent: jamque ad ipsum propinquáverant, cum stupóre divínitus immísso, simul cum equis immóbiles stetérunt, donec ad pedes sancti viri provolúti, scéleris véniam precaréntur. Ipse quoque Princeps repentíno terróre percússus, jam de salúte desperáverat, cum revocáto Joánne, facti poenitens, incolumitáti rédditus est. Factiósi étiam hómines, dum eum fústibus péterent, bráchiis diriguére, nec ante rédditae vires, quam delícti véniam precaréntur. Christum Dóminum, dum Sacrum fáceret, praeséntem contuéri, atque ex ipso divinitátis fonte coeléstia mystéria hauríre sólitus. Abdita cordis inspícere, ac futúra raro evéntu praesagíre frequens illi fuit; fratrísque filiam septénnem mórtuam excitávit. Dénique mortis die praenunciáto, et Ecclésiae Sacraméntis devotíssime suscéptis, extrémum diem cláusit, multis ante et post óbitum miráculis gloriósus. Quibus rite probátis, Alexánder Octávus Sanctórum número eum adscrípsit.

℟. Iste homo.

IN III. NOCTURNO.

Hom. in Evang. Sint lumbi *ut in Comm. Conf. non Pont.*

Sedix. Lectio SS. Martyrum Basilidis, et sociorum, ut in Breviario.

In Laudibus fit commemoratio eorumdem Sanctorum Martyrum Basilidis etc.

In 2. *Vesperis a Capitulo fit de S. Antonio de Padua, cum comm. S. Joannis a S. Facundo.*

DIE XVII. JUNII

In Festo S. Raynerii *Conf.* Duplex.

Omnia de Commun. Conf. non Pont. praeter ea, quae sequuntur. In utrisque Vesp.

AD MAGNIFICAT.

Ant. Convertísti planctum meum in gáudium mihi: conscidísti saccum meum, et circumdedísti me laetítia. Allelúja.

ORATIO.

Deus, qui nos beáti Raynérii Confessóris tui ánnua solemnitáte laetíficas: concéde propítius, ut ejus in coelis mereámur habére consórtium, cujus in terris patrocínio adjuvámur. Per Dóminum.

IN I. NOCTURNO.

De Libro Ecclesiástici.

Lectio I.

Cap. 4.

Fili eleemósynam páuperis ne defráudes, et óculos tuos ne transvértas a páupere. Animam esuriéntem ne despéxeris, et non exásperes páuperem in inópia sua. Cor ínopis ne afflíxeris, et non prótrahas datum angustiánti. Rogatiónem contribuláti non abjícias; et non avértas fáciem tuam ab egéno.

℟. Euge.

Lectio II.

Ab ínope ne avértas óculos tuos propter iram; et non relínquas quaeréntibus tibi retro maledícere. Maledicéntis enim tibi in amaritúdine ánimae, exaudiétur deprecátio illius: exáudiet áutem eum, qui fecit illum. Congregatióni páuperum affábilem te fácito, et presbytero humília ánimam tuam, et magnáto humília caput tuum.

℟. Justus.

Lectio III.

Declína páuperi sine tristítia áurem tuam, et redde débitum tuum, et respónde illi pacífica in mansuetúdine. Líbera eum, qui injúriam pátitur de manu supérbi: et non ácide feras in ánima tua. In judicándo esto pupíllis miséricors ut pater, et pro viro matri illórum. Et eris tu velut fílius Altíssimi obédiens, et miserébitur tui magis quam mater.

℟. Iste cognóvit.

IN II. NOCTURNO.

Lectio IV.

Raynérius, Patre Gandúlpho

e claríssima Scaccéria gente Pisis natus, a prima aetáte educátus in delíciis, saeculi illécebris aliquándiu indúlsit. Sed cum in pium virum nómine Albértum incidisset, Dei aspiránte grátia, ad meliórem frugem convérsus est. Relíctis ítaque saeculi voluptátibus, delícta juventútis suae Sacramentáli Confessióne prímitus expiávit: tum mutátus in novum hóminem, lácrymis, jejúniis, et áliis poeniténtiae opéribus magno fervóre incúbuit. Paréntibus áutem sciscitántibus quae tanti moeróris, et fletus cáusa esset: peccáta respóndit; nec se umquam a lácrymis temperatúrum dixit, donec illa sibi a Deo dimíssa sciret. Cum ergo assídue lugéret, nec cibum cáperet, ex contínuo fletu lumen oculórum amísit, quod póstea fusis ad Deum précibus recuperávit.

℟. Honéstum fecit.

Lectio V.

Sic vere ad Deum convérsus, Ecclésias frequentáre coepit, egéntibus subveníre, peccatóres ad poeniténtiam excitáre, diu noctúque in oratióne persístere, sanctísque móribus, atque angélica conversatióne ómnibus praelucére. Hinc Hierosólymam se cóntulit, ubi in páuperes distribúta pecúnia, quam pro viático secum túlerat, summa vixit inópia. Sacris áutem locis, in quibus Christi memória cólitur, devóte visitátis in pátriam rédiit: et quia paréntibus jam vita functis ampla sibi haeréditas deláta fúerat, ea se prótinus abdicávit. Mox ingens eum ardor invásit in sanctam Civitátem íterum proficiscéndi: quo cum pervenísset, exútis saeculáribus vestiméntis, eísque, in páuperes erogátis, poeniténtium hábitu a Sacerdóte indútus est, et cum libro Psalmórum ábiit in solitúdinem, ubi solo pane, et aqua bis dumtáxat in hebdómada corpus suum reficiébat.

℟. Amávit eum.

Lectio VI.

Divínitus tandem admónitus, e Syria in pátriam revérsus est, máxima cívium, et Cleri laetítia ob famam sanctitátis suae longe, latéque diffúsam excéptus. Vitae áutem asperióris, et solitúdinis amóre captus, in sancti Viti Coenóbium se recépit, ac in eo resíduum vitae perégit. Ibi plúrimos exémplo suo, et mira, qua pollébat, sermónis efficácia in viam salútis redúxit, et cívibus ad eum con-

tínuo properántibus ómnia factus, multa, éaque praeclára, ex aqua praesértim ab ipso benedícta, unde Raynérius ab aquis dicebátur, patrávit miràcula; multa prophético spíritu praedíxit, quae súbsequens evéntus confirmávit. Assíduis dénique jejúniis, et aspérrima córporis maceratióne pene exánimis, praenunciáta mortis die, septénnio postquam e Hierosólymis redíerat, evolávit in coelum décimo quinto Kaléndas Júlii anno Dómini millésimo centésimo sexagésimo primo. Corpus ejus Pisis in majóri Ecclésia honórifice cónditum fuit, ac ibídem religióse asservátur summa urbis veneratióne, quae clementíssimum ejus patrocínium in omni necessitáte experítur.

℟. Iste homo.

IN III. NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthaeum.

Lectio VII. Cap. 19.

In illo témpore: Ecce unus accédens, ait Jesu: Magíster bone, quid boni fáciam, ut hábeam vitam aetérnam? Et réliqua.

Homilía sancti Joánnis Chrysóstomi.

In Cap. 19. *Evang. Matth.*

Quóniam magnum quidem injunctúrus erat, magnitúdinem prius praemii Christus pósuit, dicens: si vis perféctus esse, vade, et vende ómnia, quae habes, et da paupéribus, et habébis thesáurum in coelis. Pérspicis quot bravía quot corónas huic stádio propónat? Et rursum íterum praemia incúlcat: et séquere me. Non enim parva retribútio est diligénter Dóminum sequi. Et habébis, iniquit, thesáurum in coelis; nam quandóquidem cunctis denudári rebus consulébat, ut osténdat, non amissúrum bona sua, sed tanto plura, majóraque inventúrum, quantum terra coelum praestabílius est, retributiónis praestántiam thesáurum appellávit, et simul stabilitátem, atque incorruptibilitátem praemii, ut fieri póterat humáno verbo, signánter expréssit. Non ergo, satis est pecúniam spérnere, verúmtamen opórtet paupéribus opem ferre, et ante ómnia ipsum Christum sequi diligénter.

℟. Iste est qui.

Lectio VIII.

O magna bónitas, cui cum pro conditióne réddere de-

beámus obséquia, útpote servi Dómino, fámuli Deo, subjécti Poténti, mancípia Redemptóri, amicitiárum tamen nobis praemia repromíttat, ut a nobis obséquia débita servitútis extórqueat, ut quos sibi servíre cónspicit sponte, ad beneficiórum possit promissiónes invitáre, et quorum voluntátes a se cónspicit aliénas, mentes eórum praemiórum liberalitátibus constítuat suas! Nam unde frequénter aut invítat praemio, aut terrét supplicio, nisi ut benignitátis consílio a se formáto hómini cónsulat? Redémpto próvidet, ut qui non terrétur supplício, invitétur praemio, et quem metus a peccáto revocáre non potest, promissiónum benígnitas possit. Cupit enim étiam nocéntibus subveníre, desíderat miseréri peccántibus. Si quis peccáverit, dignos fructus exhíbeat poeniténtiae. Invítus in reos vindicat, etiámsi Dei indulgéntiam miserántis contémnant. Amat córrigi peccatóres, qui in vitam, non in mortem, a princípio constítuit hómines. Ipse enim sibi infert intéritum qui medéntis Dómini contémpsit consílium.

℟. Sit lumbi vestri.

Lectio IX.

Ecce relíquit patrem, et elégit sibi patrem Deum. Nonne plus céntuplum ei constábit, quam pater carnális, ut illi obsequátur diébus, ac nóctibus, illíus fáciat voluntátem, illíus haereditátem expéctet? Qui matrem relíquit, ut díligat matrem Ecclésiam, non plus est ei céntuplum quam mater carnális? Illa enim carnem ejus péperit corporálem, haec áutem ánimam ejus regenerávit aetérnam. Qui relíquit soróres, statim eum recípiunt grátiae Dei. Non ulla soror sic dúlciter compléctitur fratrem suum, quómodo grátiae Dei complectúntur ánimam sanctam. Si dimíttit substántiam ab ómnibus dilígitur, ab ómnibus honorátur, a quibúsdam áutem et timétur. Nam ipse Deus, cui se tradit, dat ei grátiam coram homínibus. Nonne mélius est ei hoc quam univérsa terra? Aut quae substántia tantam glóriam praestat hómini super terram, quantum opínio sanctitátis? Haec ígitur cogitántes aemulémur ea, quae nostra digna sunt aemulatióne. Non magníficas aedes, non ubérrima praedia, non caetera hujúsmodi, sed eos viros, qui magnam apud Deum fidúciam consequúti sunt, qui divítias in coelo ingéntes póssident, quorum thesáuri ibi reservántur, qui paupertátem lon-

go divítiis intervállo praeponéntes, vere dívites sunt.

Te Deum laudámus.

AD BENEDICTUS

Ant. Sancte Rayneri, réspice in nos de coelo, et deprecáre pro nobis Deum, ut de manu inimicórum nostrórum liberáti, in sanctitáte, et justítia serviámus illi òmnibus diébus nostris.

DIE XVIII. JUNII.

ASS. EX PRAECED.

In Festo B. PETRI DE PISIS *Conf.* Duplex.

ORATIO.

Deus, qui in Ecclésia tua nova semper instáuras exémpla virtútum: da nobis beáti Petri Confessóris tui ita inhaerére vestígiis, ut assequámur et praemia. Per Dóminum.

Com. praec. et SS. Marci etc. ut in Brev.

IN I. NOCTURNO.

Lectiones de Scriptura occurrente.

IN II. NOCTURNO.

Lectio IV.

Petrus Gambacúrta, Pisis in Etrúria nóbili génere natus, in ipso juventútis flore pátriam, paréntes, atque dívitias propter Christum relínquens in erémum secéssit, ac in Cessánae Monte Agri Urbinátis aliquándiu inténtam divínis rebus vitam duxit; ubi ex pia Christi fidélium stipe anno Dómini millésimo trecentésimo octogésimo coenóbio cum parva Ecclésia in honórem Sanctíssimae Trinitátis extrúcto, una cum duódecim sóciis, ad mundi contémptum et eremíticae vitae cultum incénsis, prima suae congregatiónis jecit fundaménta; quam a sancto Hierónymo (in quem praecípua veneratióne afféctus vixit) nuncupávit, ejúsque virtútes imitáre conténdit. In idem propósitum pios sodáles potíssimum est adhortátus, profecítque in dies morum sanctimónia.

℞. Honéstum fecit illum.

Lectio V.

Charitáte in Deum flagrábat quam máxime, ita vero proximórum salúti stúduit,

ut ob illórum multitúdinem, qui ad meliórem frugem ipsíus ópera se recéperant, brevi multa monastéria sint constrúcta. Dei Genitrícem singuláriter cóluit, ejúsque patrocínium non uno obséquii génere méruit. In divinórum meditatióne assídue incúmbens, média étiam nocte ad Deum laudándum surgébat. Corpus fere quotídie jejúniis et flagéllis macerábat, super páleas vel humi cubans dúriter, ac vix necessárium carpébat somnum. Ad nudam carnem vestem ásperam instar cilícii adhíbuit. Paupertátis amans et cultor, nec quidquam hábuit próprium; et institúti sui ásseclas páuperes propter Christum appellári vóluit. Suas et fratrum calamitátes patiénter tolerábat, benignitáte et ánimi demissióne emícuit singulórum vero indigéntiae famulári, tum áutem vilíssima quaeque obíre múnia in delíciis hábuit.

℟. Amávit eum Dóminus.

Lectio VI.

Donis a Deo ob sanctitátem áuctus, quamplúrimos morbis grávibus afflictátos sanitáti restítuit. Daemones ab humánis corpóribus misérrime oppréssis et cruciátis discédere cómpulit: multis in extrémo discrímine opitulátus est. Futúra quoque praedíxit. Románi Pontifícibus virtútum mérito carus, et in prétio hábitus, et ab ipsis multis cumulátus est benefíciis, quae in institútam a se religiósam famíliam redundárunt. Dénique octogésimum annum agens, Venétiis quo coetus sui cáusa convénerat, praenunciáto mortis die, ac Sacraméntis Ecclésiae suscéptis, décimo quinto Kaléndas Júlii anno Dómini millésimo quadringentésimo trigésimo quinto migrávit in coelum, mirácnlis multis post óbitum clarus.

℟. Iste homo.

IN III. NOCTURNO

Homil. in Evang. Sint lumbi vestri, *ut in Communi Confessor. non Pontific.* 9. *l. et com. SS. ut in Brev.*

DIE XIX. JUNII.

In Festo S. JULIANAE FALCONERIAE *Virginis.* Duplex. 2. cl.

Omnia de Commun. Virg. praeter ea, quae sequuntur.

Ad Vesperas, et ad Matutinum.

Hymnus.

Coeléstis Agni núptias,
O Juliána dum petis,
Domum patérnam déseris,
Chorúmque ducis Vírginum.
Sponsúmque suffixum Cruci
Noctes, diésque dum gemis,
Dolóris icta cúspide,
Sponsi refers imáginem.
Quin septifórmi vúlnere
Flés ad genu Deíparae;
Sed crescit infúsa fletu,
Flammásque tollit cháritas
Hinc morte fessam próxima
Non usitáto te modo
Solátur, et nutrit Deus,
Dapem supérnam pórrigens.
Ætérne rerum Cónditor,
Ætérne Fili par Patri,
Et par utríque Spíritus
Soli tibi sit glória. Amen.

ORATIO.

Deus qui beátam Juliánam Vírginem tuam extrémo morbo laborántem pretióso Fílii tui Córpore mirabíliter recreáre dignátus es; concéde quaesumus, ut ejus intercedéntibus méritis, nos quoque eódem in mortis agóne reféci, ac roboráti, ad coeléstem pátriam perducámur. Per eúmdem Dóminum.

IN I. NOCTURNO.

Lect. de Com. 1. *loc.*

IN II. NOCTURNO.

Lectio IV.

Juliána ex nóbil Falconéria família, Claríssimo patre qui templum Deíparae ab Angelo salutátae aere suo magnífice a fundaméntis Floréntiae, ut nunc vísitur, eréxit, matre Reguardáta, ambóbus jam senescéntibus, ac ad id tempus sterílibus, nata est anno millésimo ducentésimo septuagésimo. Ab incunábulis non exíguum futúrae sanctitátis spécimen dedit: vagiéntibus quippe lábiis suavíssima Jesu, et Maríae nómina ultro proférre audita est. Pueritia póstmodum ingréssa, totam se Christiánis virtútibus mancipávit, in quibus ádeo excélluit, ut beátus Aléxius pátruus, cujus institútis ac exémplis instruebátur, matri dícere non dubitáverit, ipsam non foeminam peperísse, sed ángelum. Nam ita modésto vultu, animóque ab omni vel levíssima erróris mácula pura fuit, ut óculos nunquam in toto vitae cursu ad hóminis fáciem intuéndam eréxerit, auditóque peccáti

vocábulo contremúerit, imo scéleris narratióne percúlsa, íllico prope exánimis corrúerit. Expléto nondum décimo quinto aetátis suae anno, re familiári, licet opulénta, terrenísque posthábitis núptiis, Deo virginitátem in mánibus divi Philíppi Benítii solémniter vovit, ab eóque ómnium prima religiósum Mantellatárum hábitum ut dicunt, sumpsit.

℟. Propter veritátem.

Lectio V.

Juliánae exémplum secútae sunt plúrimae ex nobilióribus famíliis foeminae, ac mater ipsa fíliae sese religióse instituéndam dedit, ita ut, áucto paulátim número, Ordinem Mantellatárum instítúerit, ac illi pie vivéndi leges, summa prudéntia, ac sanctitáte, tradíderit. Ejus virtútes cum óptime perspéctas divus Benítius habéret, morti próximus nulli mélius quam Juliánae, non foeminas tantum, sed et totum Servórum Ordinem, cujus Propagátor, et Moderátor extíterat, commendátum vóluit. Verum ipsa demísse semper de se cogitábat, et cum coeterárum esset magístra, in re quaque doméstica, licet vili, soróribus famulabátur. Assiduitáte orándi íntegras insumébat dies, in éxtasim saepíssime rapta, et si réliquum, in sedándis cívium dissídiis, criminósis a via iniquitátis retrahéndis, ac inserviéndis impendébat aegrótis, quorum quandóque sániem ex ulcéribus manántem, admóto ore lambens, eos sanitáti restituébat. Corpus suum flagris, nodósis funículis, férreis cíngulis, vigíliis, humi nudae cubándo, térere sólita fuit. Parcíssime cibo, et hoc vili quátuor hebdómadae diébus, et réliquis duóbus, solo Angelórum pane conténta, excépto die Sábbati, quo pane solo, et aqua nutriebátur.

℟. Dilexísti justítiam.

Lectio VI.

Dura hujúsmodi vivéndi ratióne in stómachi morbum íncidit, quo ingravescénte, cum septuagésimum aetátis annum ágeret, ad extrémum vitae spátium redácta est. Diutúrnae valetúdinis incómmoda hílari vultu, constantíque ánimo pértulit, de uno tantum cónqueri audíta est, quod cum cibum cápere, ac retinére nullo modo posset, ab Eucharística mensa ob Sacraménti reveréntiam arcerétur. Verum his in angústiis constitúta, Sacerdótem

rogávit, ut allátum divínum Panem, quem ore súmere nequíbat, péctori saltem extérius admovéret. Précibus illíus morem gessit Sacérdos. Et mirum! Eódem témporis moménto, divínus Panis dispáruit, et Juliána seréno, ac ridénti vultu expirávit. Res supra fidem támdiu fuit, donec virgíneum de more curarétur corpus: invénta enim est circa sinístrum péctoris latus carni véluti sigíllo impréssa forma hóstiae, quae Christi Crucifíxi effígiem repraesentábat. Hujus prodígii fama, coeterorúmque miraculórum, non Floréntiae tantum, sed totíus Christiáni orbis veneratiónem illi conciliávit, ac per quátuor prope íntegra saecula àdeo áucta est, ut tandem Benedíctus Papa Décimus tértius in ejus celebritáte Officium próprium recitári ab univérso Ordine Beátae Maríae Vírginis Servórum jússerit. Clemens vero Duodécimus, munificentíssimus ejúsdem Ordinis protéctor, novis in diem miráculis coruscántem, sanctárum Vírginum Catálogo adscrípsit.

℟. Afferéntur Regi.

IN III. NOCTURNO.

Homil. S. Gregorii Papae in Evangel. Símile erit regnum coelórum decem Virgínibus, *ut in Commun. Virgin. primo loco.*

Nona Lectio SS. Gervasii etc. mm. ex duab. una, et commem. in Laud.

DIE XX. JUNII

In Festo Beati Benincasae *Confess. Ord. Servorum Beatae Mariae Virg.* Duplex.

ORATIO

Deus, qui beáto Benincásae Confessóri tuo mundi hujus oblectaménta superáre dedísti; fac nos ita ejus inhaerére vestígiis, ut assequámur et praemia. Per Dóminum.

Lectiones primi Nocturni de Scriptura occurrente.

IN II. NOCTURNO.

Lectio IV.

Benincása piis, honestísque paréntibus Floréntiae natus anno millésimo tercentésimo septuagésimo sexto, adhuc puer cum a quodam concionatóre illud Jeremíae audísset: Bonum est viro cum por-

táverit jugum ab adolescéntia sua: íllico mundána ómnia vitáre coepit, et soli Deo inservíre. Adolescéntior factus Ordini Servórum Beátae Maríae Vírginis nomen dedit, atque in eo religiósa emíssa professióne, solitúdinis amóre captus, Superiórum impetráta vénia ad Montem Tuniátum in agro Senénsi se cóntulit, ibíque angústa aedificáta céllula in eam se recépit, et cláusit, ubi per áliquot annos solo pane sibi a quibúsdam piis benefactóribus sponte obláto et aqua víctitans, aspérrimam quidem, sed coeléstibus delíciis suávem vitam duxit. Verum, etsi omnes latére summo stúdio satágeret, ejus tamen sanctitátis fama evulgáta est: frequens proínde pópulus eum adíbat eo succéssu, ut unusquísque ex ejus sermónibus, atque consíliis indigéntiis suis levámen suscíperet. Timens vero ne ex hoc ináni mundi glória caperétur, álio recédere státuit.

℟. Honéstum.

Lectio V.

Itaque Montichiéllum Pientínae Dioecésis óppidum petens non longe ab eo, repérto quodam specu, qui sepúlchri pótius, quam céllulae formam exhibébat, quique adhuc éxtat, et veneratiónis cáussa erga beátum virum frequénter invísitur, in eo sese ábdidit. Ibi étiam in assídua rerum coeléstium contemplatióne, et aspérrima sui córporis maceratióne vitam duxit, quamvis a malígnis spirítibus saepíssime vexarétur. Hos tamen a se non solum, sed ab áliis étiam único adhíbito Crucis signo semper rejécit atque fugávit. Grátia quoque curatiónum donátum nonnúlla prodígia demonstrárunt. Tandem clarus méritis ad Dómini gáudia est evocátus séptimo Idus Maji anno millésimo quadringentésimo vigésimo sexto. Plura in ejus morte mirabília evenísse ferunt. Perpétuum beáti Benincásae cultum Pius Octávus Póntifex Máximus auctoritáte Apostólica confirmávit, assignáta ipsíus festivitáti die vigésima Júnii, quam Officio próprio, et Missa tum Ordini praedícto, tum Florentínae, et Pientínae Dioecésibus celebrándam indúlsit.

℟. Amávit.

Lectio VI.

Ex Libro Morálium sancti Gregórii Papae.

Lib. 10. *cap.* 16. *in c.* 12. *Job.*

Deridétur justi simplícitas. Hujus mundi sapiéntia est, cor machinatiónibus tégere, sensum verbis veláre, quae falsa

sunt, vera osténdere, quae vera sunt, falsa demonstráre. Haec nimírum prudéntia usu a juvénibus scitur, haec a púeris prétio díscitur: hanc qui sciunt, caeteros despiciéndo supérbiunt hanc qui nésciunt subjécti et tímidi in áliis mirántur: quia ab eis haec éadem duplicitátis iníquitas nómine palliáta dilígitur, dum mentis pervérsitas urbánitas vocátur. Haec sibi obsequéntibus praecipit honórum cúlmina quaerere, adépta temporális glóriae vanitáte gaudére, irrogáta ab áliis mala multiplícius réddere: cum vires súppetunt, nullis resisténtibus cédere; cum virtútis possíbilitas deest, quidquid explére per malítiam non valent, hoc in pacífica bonitáte simuláre.

℣. Iste homo.

IN III. NOCTURNO.

Hom. Venerab. Bedae Presb. in Ev. Nolíte timére pusíllus grex. *ut in Com. Conf. non Pontif. secundo loco 9. l. ex duab. S. Silverii Pp. M.*

DIE XXI. JUNII.

In Festo S. ALOYSII GONZAGAE *Conf.* Duplex.

Omnia de Comm. Conf. non Pont. praeter ea, quae sequuntur.

ORATIO.

Coeléstium donórum distribútor Deus, qui in angélico júvene Aloysio miram vitae innocéntiam pari cum poeniténtia sociásti: ejus méritis, et précibus concéde, ut innocéntem non secúti, poeniténtem imitémur. Per Dóminum.

IN I. NOCTURNO.

Lect. de Script. occurr.

IN II. NOCTURNO.

Lectio IV.

Aloysius, Ferdinándi Gonzágae Castelliónis Stiverórum Marchiónis fílius, festináto propter vitae perículum baptísmo, prius coelo, quam terris nasci visus, primam illam grátiam tam constánter retínuit, ut in ea confirmátus crederétur. A primo ratiónis usu quo se Deo statim óbtulit, vitam duxit quotídie sanctiórem. Novénnis Floréntiae ante aram Beátae Vírginis, quam paréntis loco semper hábuit, perpétuam virginitátem vovit: eámque insígni Dei benefício, nulla mentis, aut córporis pugna tentátam servávit. Réliquas ánimi perturbatiónes coepit aetáte illa tam fórtiter comprímere, ut ne primo quidem eárum mo-

tu deínde incitarétur. Sensus étiam, óculos praecípue, ita cohíbuit, ut non modo illos numquam in fáciem inténderit Maríae Austríacae, quam plures annos inter honorários Hispaniárum Príncipes ephoebos fere quotídie salutávit: sed a Matris étiam vultu continéret. Homo proptérea sine carne, aut Angelus in carne mérito appellátus.

℟. Honéstum fecit.

Lectio V.

Adjécit sénsuum custódiae córporis cruciátum. Tria síngulis hebdómadis jejúnia, éaque plerúmque módico pane, et aqua tolerábat. Quamquam perpétuum fuísse per id tempus ipsíus jejúnium vidéri potest, cum ejus prándia ferme vix únciam aequárent. Saepe étiam ter in die se fúnibus aut caténis cruentábat; flagélla quandóque canum loris, cilícia equórum calcáribus supplévit. Mollem léctulum clam injéctis ásserum fragméntis asperábat, eo étiam, ut cítius ad orándum excitarétur. Magnam quippe noctis partem, summa étiam hyeme, solo tectus indúsio, pósitis humi génibus, vel prae languóre jacens, ac pronus, in coeléstium contemplatióne traducébat. Intérdiu quoque tres, quátuor, quinque horas in ea perstábat immótus, donec unam saltem ánimo nusquam distrácto, percurrísset. Cujus constántiae praemium fuit stabílitas mentis inter orándum álio non vagántis, imo perpétua velut écstasi in Deo defixae. Ei demum ut únice adhaeréret, victo post triennále acérrimum certámen patre, et avíti Principátus jure in fratrem transláto, Societáti Jesu, ad quam coelésti voce Matríti fúerat accítus, Romae se adjúnxit.

℟. Amávit eum.

Lectio VI.

In tyrocínio ipso virtútum ómnium magíster habéri coepit. Exactíssima in eo erat legum étiam minimárum custódia, mundi contémptus singuláris, implacábile ódium sui; Dei vero amor tam ardens, ut corpus étiam sensim absúmeret. Jussus proptérea mentem a divínis rebus tantísper avértere, occurréntem sibi ubíque Deum írrito conátu fugiébat. Mira étiam próximos charitáte ampléxus in públicis, quibus alácriter ministrábat, nosocomíis contagiósam luem traxit. Qua lente consúmptus, die quem

praedíxerat, undécimo Kaléndas Júlii, aetátis anno quarto et vigésimo jam inchoáto, cum ántea flagéllis caedi, atque humi stratus mori postulásset, migrávit in coelum. Ibi eum sancta María Magdaléna de Pazzis tanta frui glória, Deo monstránte, vidit, quantam vix esse in coelo credidísset; ipsúmque sanctimónia insígnem et charitáte mártyrem incógnitum fuísse praedicávit. Multis étiam, magnísque cláruit miráculis: quibus rite probátis, Benedíctus Décimus tértius Sanctórum fastis angélicum Júvenem adscrípsit, atque innocéntiae, et castitátis exémplar simul et patrónum studiósae presértim juventúti dedit.

℟. Iste homo.

IN III. NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthaeum.

Lectio VII.

Cap. 22. *v.* 29.

In illo témpore respóndens Jesus ait Sadducaeis: Errátis, nesciéntes Scriptúras, neque virtútem Dei: in resurrectióne enim neque nubent, neque nubéntur, sed erunt sicut Angeli Dei in coelo. Et réliqua.

Homilía santi Joánnis Chrysóstomi.

Lib. de Virginit.

Virgínitas est bona, id ego quoque fáteor. Atqui núptiis étiam mélior, et istud tibi asséntior; ac si libet, illud adjúngam, tanto núptiis eam praestáre, quanto coelum terrae, quanto homínibus Angeli antecéllunt, ac, si quid praetérea audéndum est, étiam magis. Nam si neque nubunt Angeli, neque uxórem ducunt; non étiam carne et sánguine coagmentáti sunt; in terris praetérea non commorántur; non cupiditátum, aut libídinum perturbatiónibus sunt obnóxii; non cibi índigent, aut potus; non sunt ejúsmodi, ut eos dulcis sonus, aut cantus mollis, aut praeclára spècies possit allícere; nulla dénique ejus géneris illécebra capiúntur.

℟. Iste est.

Lectio VIII.

At humánum genus, cum natúra beátis illis méntibus inférius sit, omni vi, studióque conténdit, ut, quoad ejus

fieri potest, illas assequátur. Quómodo? non nubunt Angeli: at neque étiam virgo. Assisténtes illi semper ad Deum, eídem insérviunt: et istud ipsum virgo. Quod si vírgines, quándiu córporis ónere deprimúntur, quemádmodum Angeli in coelum néqueunt ascéndere, illud eo vel máximo solátio compénsant, quod modo spíritu et córpore sancti sint, coeli Regem recípiunt. Vidésne virginitátis praestántiam? quómodo terrárum íncolas sic afficiat, ut qui córpore vestíti sunt, eos incorpóreis méntibus exaequet?

℟. Sint lumbi vestri.

Lectio IX.

Qua enim, quaeso, re differébant ab Angelis Elías, Elisaeus, Joánnes, veri hi virginitátis amatóres? nulla, nisi quod mortáli natúra constábant. Nam coetera si quis diligénter inquírat, hi nihilóminus affécti reperiéntur, quam beátae illae mentes: et idípsum, quod inferióre conditióne videántur esse, in magna est eórum láude ponéndum. Ut enim terrárum íncolae, et ii, qui essent mortáli natúra, possent ad illam virtútem vi, et contentióne perveníre: vide quanta eos fortitúdine, quanta vitae ratióne praeditos fuísse opórteat.

Te Deum.

IN II. VESPERIS.

Comm. S. Paulini Episc.

DIE XXV. JUNII

In Festo S. GULIELMI *Abbatis Fundatoris Benedictinae Congregationis Montis Virginis* Duplex.

Omnia de Comm. Conf. non Pont. praeter sequentia.

ORATIO

Deus, qui infirmitáti nostrae ad teréndum salútis viam in Sanctis tuis exémplum, et praesídium collocásti: da nobis, ita beáti Guliélmi Abbátis mérita venerári, ut ejúsdem excipiámus suffrágia, et vestígia prosequámur. Per Dóminum.

IN I. NOCTURNO.

Lectiones de Scriptura occurrente.

IN II. NOCTURNO.

Lectio IV.

Guliélmus nobílibus parén-

tibus Vercéllis in Insúbria natus, vix quartumdécimum aetátis annum expléverat, cum miro quodam pietátis ardóre flagrans, Compostellánam peregrinatiónem ad celebérrimum sancti Jacóbi templum aggréssus est. Quod iter una amíctus túnica, ac dúplici férreo círculo praecínctus, nudísque pédibus prosecútus, aspérrima frigoris, et aestus, famis, et sitis summo cum vitae discrímine perpéssus est incómmoda. Revérsus in Itáliam, novam ad sanctum Dómini Sepúlchrum peregrinatiónem mólitur; sed quo minus propósitum exequátur, vária atque gravíssima intercédunt impediménta, divíno númine ad altióra, et sanctióra religiósam Júvenis índolem retrahénte. Porro in solículo monte biénnium inter assíduas preces, vigílias, chameúnias, et jejúnia commorátus, divína subníxus ope, caeco lumen restítuit, cujus miráculi fama percrebrescénte, jam Guliélmus latére non póterat: quare íterum Hierosólymam adíre cógitat, et álacris se itíneri commíttit.

℟. Honéstum fecit.

Lectio V.

Dei áutem mónitu, qui eídem appáruit, a propósito revocátur, utílior ac fructuósior tam apud Italos, quam apud éxteras natiónes futúrus. Tum Monastérium in Virgiliáni Montis cacúmine, quod deínde Vírginis est appellátum, loco áspero, et inaccésso miránda exaedíficat celeritáte. Sócios deínde viros, et Religiósos adscíscit, eósque ad vivéndi normam Evangélicis praecéptis, et consíliis summópere accomodátam, tum certis légibus ex beáti Benedícti institútis magna ex parte desúmptis, tum verbo, et sanctíssimae vitae exémplis infórmat.

℟. Amávit eum.

Lectio VI.

Aliis deínde Monastériis eréctis, clárior in dies Guliélmi facta sánctitas multos ad eum úndique viros perdúcit, sanctitátis odóre, et miraculórum fama alléctos. Nam muti loquélam, surdi audítum, áridi vigórem, varióque, et immedicábili morbo laborántes, sanitátem ipsíus intercessióne recepérunt. Aquam in vinum convértit, áliaque complúra mirabília patrávit: inter quae illud non siléndum, quod, muliércula ad ejus castitátem tentándam

missa, in ardéntibus prunis humi stratis illaesum se volutávit. De qua re cértior factus Rogérius Neápolis Rex in summam viri Dei veneratiónem addúcitur. Demum témpore sui óbitus Regi, aliísque praenuntiáto, innúmeris virtútibus, et miráculis clarus obdormívit in Dómino, anno salútis millésimo centésimo quadragésimo secúndo.

℟. Iste homo perfécit.

IN III. NOCTURNO.

Homil. in Evang. Ecce nos relíquimus omnia, et secúti sumus etc. *ut in Com. Abbat.*

FESTA JULII

DOMINICA I. JULII.

In festo PRETIOSISSIMI SANGUINIS D. N. J. CH. Duplex 2. cl.

Si in praedicta Dominica occurrat Festum Visitationis B. M. V., vel in aliqua Dioecesi, Ordine Regulari, aut Ecclesia quacumque, Officium altioris et etiam aequalis ritus, Fest. praetiosissimi Sanguinis transfertur in feriam ij. sequentem a Festo 1. vel. 2. cl. non impeditam; quo in casu transferendum erit in aliam diem non impeditam juxta Rubricas. Offic. ut supra in Quadrag. fer. 6. post. Dom. 4. pag. 184. cum com. et 9. lect. de Hom. Dom. occ.

DOMENICA III. JULII.

In Festo SS. REDEMPTORIS. Duplex 2. Classis.

Ad Vesper. Ant. Virgam virtútis suae emíttet Dóminus ex Sion, et regnábit in saeculum saeculi.

Psalm. 109.

Dixit Dóminus Dómino meo: * Sede a dextris meis:

Donec ponam inimícos tuos, * scabéllum pedum tuórum.

Virgam virtútis tuae emíttet Dóminus ex Sion: * domináre in médio inimicórum tuórum.

Tecum princípium in die virtútis tuae in splendóribus sanctórum: * ex útero ante lucíferum génui te.

Jurávit Dóminus, et non poenitébit eum: * Tu es sacérdos in aetérnum secúndum órdinem Melchísedech.

Dóminus a dextris tuis, * confrégit in die irae suae reges.

Judicábit in natiónibus, implébit ruínas: conquassábit cápita in terra multórum.

De torrénte in via bibet: * proptérea exaltábit caput.

Ant. Virgam virtútis suae emíttet Dòminus ex Sion, et regnábit in saeculum saeculi.

Ant. Redemptiónem misit Dóminus pópulo suo: mandávit in aetérnum testaméntum suum.

Psalm. 110.

Confitébor tibi Dómine in toto corde meo: * in consílio justórum, et congregatióne.

Magna ópera Dómini: * exquisíta in omnes voluntátes ejus.

Confèssio et magnificéntia opus ejus: et justítia ejus manet in saeculum saeculi.

Memóriam fecit mirabílium suórum, miséricors et miserátor Dóminus: * escam dedit timéntibus se.

Memor erit in saeculum testaménti sui: * virtútem óperum suórum annuntiábit pópulo suo.

Ut det illis haereditátem Géntium: * ópera mánuum ejus véritas et judícium.

Fidélia ómnia mandáta ejus: confirmáta in saeculum saeculi, * facta in veritáte et aequitáte.

Redemptiónem misit pópulo suo: * mandávit in aetérnum testaméntum suum.

Sanctum et terríbile nomen ejus: * inítium sapiéntiae timor Dómini.

Intelléctus bonus ómnibus faciéntibus eum: * laudátio ejus manet in saeculum saeculi.

Ant. Redemptiónem misit Dóminus pópulo suo: mandávit in aetérnum testaméntum suum.

Ant. Misericórdia mea, et refúgium meum, Dóminus, suscéptor meus, et liberátor meus.

Psalm. 115.

Crédidi, própter quod locútus sum: * ego áutem humiliátus sum nimis.

Ego dixi in excéssu meo: * omnis homo mendax.

Quid retríbuam Dómino, * pro ómnibus quae retríbuit mihi?

Cálicem salutáris accípiam: * et nomen Dómini invocábo.

Vota mea Dómino reddam coram omni pópulo ejus: * pretiósa in conspéctu Dómini mors sanctórum ejus.

O Dómine, quia ego servus tuus: ego servus tuus, et filius ancillae tuae.

Dirupísti víncula mea: * tibi sacrificábo hóstiam láudis, et nomen Dómini invocábo.

Vota mea Dómino reddam

in conspéctu omnis pópuli ejus: * in átriis domus Dómini, in médio tui Jerúsalem.

Ant. Misericórdia mea, et refúgium meum Dóminus, suscéptor meus, et liberátor meus.

Ant. Apud Dóminum misericórdia, et copiósa apud eum redémptio.

Psalm. 129.

De profúndis clamávi ad te Dómine: * Dómine exáudi vocem meam.

Fiant áures tuae intendéntes, * in vocem deprecatiónis meae.

Si iniquitátes observáveris Dòmine: * Dómine quis sustinébit?

Quia apud te propitiátio est; * et propter legem tuam sustínui te Dómine.

Sustínuit ánima mea in verbo ejus: * sperávit ánima mea in Dómino.

A custódia matutína usque ad noctem: * speret Israel in Dómino.

Quia apud Dóminum misericórdia: * et copiósa apud eum redémptio.

Et ipse rédimet Israel, * ex ómnibus iniquitátibus ejus.

Ant. Apud Dóminum misericórdia, et copiósa apud eum rédemptio.

Ant. In quacúmque die invocávero te, exáudies me: multiplicábis in ánima mea virtútem.

Psalm. 137.

Confitébor tibi Dómine in toto corde meo: * quóniam audísti verba oris mei.

In conspéctu Angelórum psallam tibi: * adorábo ad templum sanctum tuum, et confitébor nómini tuo.

Super misericórdia tua, et veritáte tua: * quóniam magnificásti super omne, nomen sanctum tuum.

In quacúmque die invocávero te, exáudi me: multiplicábis in ánima mea virtútem.

Confiteántur tibi Dómine omnes reges terrae: * quia audiérunt ómnia verba oris tui.

Et cantent in viis Dómini: * quóniam magna est glória Dómini.

Quóniam excélsus Dóminus, et humília réspicit: * et alta a longe cognóscit.

Si ambulávero in médio tribulatiónis, vivificábis me: * et super iram inimicórum meórum extendísti manum tuam, et salvum me fecit déxtera tua.

Dóminus retríbuet pro me: * Dómine misericórdia tua in saeculum: ópera mánuum tuárum ne despícias.

Ant. In quacúmque die invocávero te, exáudies me: multiplicábis in ánima mea virtútem.

Capitulum

Tobiae 3.

Benedíctum nomen tuum, Deus Patrum nostrórum: qui cum irátus fúeris, misericórdiam fácies, et in témpore tribulatiónis peccáta dimíttis his, qui ínvocant te.

Hymnus.

Creátor alme síderum,
Aetérna lux credéntium,
Jesu Redémptor ómnium
Inténde votis súpplicum.

Commúne qui mundi nefas
Ut expiáres, ad crucem
E Vírginis sacrário
Intácta prodis víctima.

Cujus potéstas glóriae,
Noménque cum primum sonat,
Et Coelites, et ínferi
Treménte curvántur genu.

Qui daemonis ne fráudibus
Períret orbis, ímpetu
Amóris actus, lánguidi
Mundi medéla factus es.

Te deprecámur últimae
Magnum diéi Júdicem:
Armis supérnae grátiae
Defénde nos ab hóstibus.

Jesu tibi sit glória,
Qui natus es de Vírgine,
Cum Patre, et almo Spíritu
In sempitérna saecula. Amen.

Sic terminantur Hymni ad omnes Horas.

℣. Redemísti nos Dómine in sánguine tuo.

℟. Et fecísti nos Deo nostro regnum.

AD MAGNIFICAT

Ant. Salus áutem mea in sempitérnum erit, et justítia mea in generatiónes generatiónum, allelúja.

ORATIO.

Deus, qui Unigénitum tuum mundi Redemptórem constituísti, et per eum devícta morte nos misericórditer ad vitam reparásti: concéde, ut haec beneficia recoléntes, tibi perpétua charitáte adhaerére, et ejúsdem Redemptiónis fructum percípere mereámur. Per eúmdem Dóminum.

Deinde fit com. Dom. occurrentis.

AD MATUTINUM.

Invit. Redemptórem saecu-

lórum, ipsum Regem Angelórum, * Adorémus Dóminum.

Psalm. Veníte, exultémus.

Hymnus.

Rerum Creátor óptime,
Rectórque noster áspice:
Nos a quiéte nóxia.
Mersos sopóre líbera.
Mentes, manúsque tóllimus
Prophéta sicut nóctibus
Nobis geréndum praecipit,
Paulúsque gestis cénsuit.
Te, sancte Christe, póscimus,
Ignósce culpis ómnibus:
Ad confiténdum súrgimus,
Morásque noctis rúmpimus.
Jesu tibi sit glória,
Qui natus es de Vírgine,
Cum Patre, et almo Spíritu
In sempitérna saecula. Amen.

IN I. NOCTURNO.

Ant. Voce mea ad Dóminum clamávi, et exaudívit me de monte sancto suo.

Psalmus 3.

Dómine quid multiplicáti sunt qui tríbulant me? * multi insúrgunt advérsum me.

Multi dicunt ánimae meae: * non est salus ipsi in Deo ejus.

Tu áutem Dómine suscéptor meus es, * glória mea, et exáltans caput meum.

Voce mea ad Dóminum clamávi: * et exaudívit me de monte sancto suo.

Ego dormívi, et soporátus sum: * et exurréxi, quia Dóminus suscépit me.

Non timébo míllia pópuli circumdántis me: * exúrge Dómine, salvum me fac Deus meus.

Quóniam tu percussísti omnes adversántes mihi sine cáusa: * dentes peccatórum contrivísti.

Dómini est salus: * et super pópulum tuum benedíctio tua.

Ant. Voce mea ad Dóminum clamávi, et exaudívit me de monte sancto suo.

Ant. Dómine Dóminus noster, quam admirábile est nomen tuum in univérsa terra!

Psalm. 8. *incipiatur a secundo versu.*

Quóniam eleváta est magnificéntia tua * super coelos.

Ex ore infántium et lacténtium perfecísti láudem propter inimícos tuos, * ut déstruas inimícum et ultórem.

Quóniam vidébo coelos tuos,

ópera digitórum tuórum: * lunam et stellas, quae tu fundásti.

Quid est homo, quod memor es ejus? * aut filius hóminis, quóniam vísitas eum?

Minuísti eum páulo minus ab Angelis, glória et honóre coronásti eum: * et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Omnia subjecísti sub pédibus ejus, * oves et boves universas, ínsuper et pécora campi.

Vólucres coeli, et pisces maris, * qui perámbulant sémitas maris.

Dómine Dóminus noster, * quam admirábile est nomen tuum in univérsa terra!

Ant. Dómine Dóminus noster, quam admirábile est nomen tuum in univérsa terra!

Ant. Dóminus in templo sancto suo: Dóminus in coelo sedes ejus.

Psalm. 10.

In Dómino confído: quómodo dícitis ánimae meae: * tránsmigra in montem sicut passer?

Quoniam ecce peccatóres intendérunt arcum, paravérunt sagíttas suas in pháretra, * ut sagíttent in obscúro rectos corde.

Quóniam quae perfecísti, destruxérunt: * justus áutem quid fecit?

Dóminus in templo sancto suo, * Dóminus in coelo sedes ejus.

Oculi ejus in páuperem respíciunt: * pálpebrae ejus intérrogant fílios hóminum.

Dóminus intérrogat justum et ímpium: * qui áutem díligit iniquitátem, odit ánimam suam.

Pluet super peccatóres láqueos: * ignis, et sulphur, et spíritus procellárum, pars cálicis eórum.

Quóniam justus Dóminus, et justítias diléxit: * aequitátem vidit vultus ejus.

Ant. Dóminus in templo sancto suo: Dóminus in coelo sedes ejus.

℣. Rédime me Dómine, et miserére mei.

℣. In Ecclésiis benedícam te, Dómine.

De Isaía Prophéta.

Lectio I.

Cap. 51.

Audíte me qui sequímini quod justum est, et quaeritis Dòminum: atténdite ad petram, unde excísi estis: et ad cavérnam laci, de qua praecísi estis. Consolábitur ergo Dóminus Sion, et consolábitur omnes ruínas ejus: et ponet desértum ejus quasi

hortum Dómini. Gáudium, et laetítia inveniétur in ea, gratiárum áctio, et vox láudis. Atténdite ad me, pópule meus, et tribus mea me audíte: quia lex a me éxiet, et judícium meum in lucem populórum requiéscet: prope est Justus meus, egréssus est Salvátor meus, et bráchia mea pópulos judicábunt: me ínsulae expectábunt, et bráchium meum sustinébunt.

℟. Vidi Dóminum sedéntem super sólium excélsum et elevátum: et plena erat omnis terra majestáte ejus: * Et ea, quae sub ipso erant, replébant templum.

℣. Séraphim stabant super illud: sex alae uni, et sex alae álteri. Et ea.

Lectio II.

Leváte in coelum óculos vestros, et vidéte sub terra deórsum: quia coeli sicut fumus liquéscent, et terra sicut vestiméntum atterétur, et habitatóres ejus sicut haec interíbunt; salus áutem mea in sempitérnum erit, et justítia mea non defíciet. Audíte me, qui scitis justum, pópulus meus lex mea in corde eórum: nolíte timére oppróbrium hóminum et blasphémias eórum ne metuátis. Sicut enim vestiméntum, sic cómedet eos vermis, et sicut lanam, sic devorábit eos tínea; salus áutem mea in sempitérnum erit, et justítia mea in generatiónes generatiónum.

℟. Aspice, Dómine, de sede sancta tua, et cógita de nobis: inclína Deus meus áurem tuam, et áudi: * Aperi óculos tuos, et vide tribulatiónem nostram.

℣. Qui regis Israel, inténde, qui dedúcis velut ovem Joseph. Aperi.

Lectio III.

Consúrge, consúrge, indúere fortitúdinem bráchium Dómini. Consúrge sicut in diébus antíquis, in generatiónibus saeculórum. Numquid non tu percussísti supérbum, vulnerásti dracónem? Numquid non tu siccásti mare, aquam abyssi veheméntis: qui posuísti profúndum maris viam, ut transírent liberáti? Et nunc qui redémpti sunt a Dómino revertántur, et vénient in Sion laudántes, et laetítia sempitérna super cápita eórum, gáudium et laetítiam tenébunt, fúgiet dolor et gémitus. Ego, ego ipse consolábor vos: quis tu, ut timéres ab hómine mortáli, et a fílio hóminis, qui quasi foenum ita aréscet? Et oblítus es Dómini factóris tui, qui te-

téndit coelos, et fundávit terram: et formidásti júgiter tota die a fácie furóris ejus, qui te tribulábat, et paráverat ad perdéndum: ubi nunc est furor tribulántis? Cito véniet grádiens ad aperiéndum, et non interficiet usque ad internecciónem, nec deficiet panis ejus. Ego áutem sum Dóminus Deus tuus.

℟. Deus, qui sedes super thronum, et júdicas aequitátem, esto refúgium páuperum in tribulatióne; * Quia tu solus labórem, et dolórem consideras.

℣. Tibi enim derelíctus est páuper, pupíllo, tu eris adjútor. Quia tu solus. Glória Patri. Quia tu solus.

IN II. NOCTURNO.

Ant. Suscépimus Deus misericórdiam tuam in médio templi tui.

Psalm. 19.

Exáudiat te Dóminus in die tribulatiónis: * prótegat te nomen Dei Jacob.

Mittat tibi auxílium de sancto: * et de Sion tueátur te.

Memor sit omnis sacrificii, tui; * et holocáustum tuum pingue fiat.

Tríbuat tibi secúndum cor tuum: * et omne consílium tuum confírmet.

Laetábimur in salutári tuo: * et in nómine Dei nostri magnificábimur.

Impleat Dóminus omnes petitiónes tuas: * nunc cognóvi quóniam salvum fecit Dóminus Christum suum.

Exáudiet illum de coelo sancto suo; * in potentátibus salus déxterae ejus.

Hi in cúrribus, et hi in equis: * nos áutem in nómine Dómini Dei nostri invocábimus.

Ipsi obligáti sunt, et cecidérunt: * nos áutem surréximus, et erécti sumus.

Dóminesalvum fac regem: * et exáudi nos in die, qua invocavérimus te.

Ant. Suscépimus Deus misericórdiam tuam in médio templi tui.

Ant. Tu es ipse Rex meus, qui mandas salútes in Jacob.

Psalm. 23.

Dómini est terra, et plenitúdo ejus: * orbis terrárum, et univérsi, qui hábitant in eo.

Quia ipse super mária fundávit eum: * et super flúmina praeparávit eum.

Quis ascéndet in montem Dómini? * aut quis stabit in loco sancto ejus?

Innocens mánibus et mundo corde, * qui non accépit in vano ánimam suam, nec jurávit in dolo próximo suo.

Hic accípiet benedictiónem a Dómino: * et misericórdiam a Deo salutári suo.

Haec est generátio quaeréntium eum, * queréntium fáciem Dei Jacob.

Attóllite portas príncipes vestras, et elevámini portae aeternáles: * et introíbit Rex gloriae.

Quis est iste Rex glóriae? * Dóminus fortis et potens: Dóminus potens in praelio.

Attóllite portas príncipes vestras, et elevámini portae aeternáles: * et introíbit Rex glóriae.

Quis est iste Rex glóriae? * Dóminus virtútum ipse est Rex glóriae.

Ant. Tu es ipse Rex meus, qui mandas salútes in Jacob.

Ant. Immola Deo sacrifícium láudis, et redde Altíssimo vota tua.

Psalm. 45.

Deus noster refúgium, et virtus: * adjútor in tribulatiónibus, quae invenérunt nos nimis.

Proptérea non timébimus dum turbábitur terra; * et transferéntur montes in cor maris.

Sonuérunt, et turbátae sunt aquae eórum: * conturbáti sunt montes in fortitúdine ejus.

Flúminis ímpetus laetíficat civitátem Dei: * sanctificávit tabernáculum suum Altíssimus.

Deus in médio ejus, non commovébitur: * adjuvábit eam Deus mane dilúculo.

Conturbátae sunt Gentes, et inclináta sunt regna: * dedit vocem suam, mota est terra.

Dóminus virtútum nobíscum; * suscéptor noster Deus Jacob.

Veníte, et vidéte ópera Dómini, quae pósuit prodígia super terram: * áuferens bella usque ad finem terrae.

Arcum cónteret, et confrínget arma: * et scuta combúret igni.

Vacáte, et vidéte quóniam ego sum Deus: * exaltábor in Géntibus, et exaltábor in terra.

Dóminus virtútum nobíscum: * suscéptor noster Deus Jacob.

Ant. Immola Deo sacrifícium laudis, et redde Altíssimo vota tua.

℣. Meménto nostri Dómine in beneplácito pópuli tui.

℟. Vísita nos in salutári tuo.

Sermo Sancti Leónis Papae.

Lectio IV.

Sermo 1. de jejunio decimi mensis et collectis.

Si fidéliter, dilectíssimi, atque sapiénter creatiónis nostrae intelligámus exórdium, inveniémus hóminem ídeo ad imáginem Dei cónditum, ut imitátor sui esset Auctóris: et hanc esse naturálem nostri géneris dignitátem, si in nobis quasi in quodam spéculo, divínae benignitátis forma respléndeat. Ad quam quotídie nos útique réparat grátia Salvatóris, dum quod cécidit in Adam primo, erígitur in secúndo. Cáusa áutem reparatiónis nostrae non est, nisi misericórdia Dei; quem non diligerémus, nisi prius nos ipse dilígeret, et ténebras ignorántiae nostrae, suae veritátis luce discúteret.

℟. A dextris est mihi Dóminus, ne commóvear: * Propter hoc dilatátum est cor meum, et exultávit lingua mea.

℣. Dóminus pars haereditátis meae, et cálicis mei. Propter.

Lectio V.

Diligéndo ítaque nos Deus, ad imáginem suam nos réparat: et ut in nobis formam suae bonitátis invéniat, dat unde ipsi quoque, quod operátur, operémur, accéndens scílicet méntium nostrárum lucérnas, et igne nos suae charitátis inflámmans: ut non solum ipsum, sed étiam quidquid díligit, diligámus. Nam si inter hómines ea demum firma amicítia est, quam morum similitúdo sociárit, cum tamen parílitas voluntátum saepe in réprobos tendat afféctus, quantum nobis optándum, atque niténdum est, ut in nullo ab iis, quae Deo sunt plácita, discrepémus? De quo dicit Prophéta: Quóniam ira in indignatióne ejus, et vita in voluntáte ejus; quia non áliter nobis erit dígnitas divínae Majestátis, nisi imitátio fúerit voluntátis.

℟. Intuére Dómine quia facta est desoláta cívitas plena divítiis; sedet in tristítia Dómina géntium: * Non est qui consolétur eam, nisi tu Deus noster.

℣. Plorans plorávit in nocte, et lácrymae ejus in maxíllis ejus. Non est.

Lectio VI.

Dicénte ítaque Dómino: Díliges Dóminum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota mente tua, et díliges próxi-

mum tuum sicut teípsum; suscípiat fidélis ánima auctóris sui, atque Rectóris immarcescíbilem charitátem, totámque se étiam ejus subjíciat voluntáti, in cujus opéribus, atque judíciis nihil vacat a veritáte justítiae, nihil a miseratióne cleméntiae. Quóniam etsi magnis quis labóribus, et multis fatigétur incómmodis, bona est illi cáusa tolerándi, qui se advérsis vel córrigi intélligit, vel probári.

℟. Ornavérunt fáciem Templi corónis áureis, et dedicavérunt altáre Dómino: * Et facta est laetítia magna in pópulo.

℣. In hymnis, et confessiónibus benedicébant Dóminum. Et facta est laetítia. Glória Patri. Et facta est laetítia.

IN III. NOCTURNO.

Ant. Ego áutem ad Deum clamávi, et Dóminus salvábit me.

Psalm. 60.

Exáudi Deus deprecatiónem meam: * inténde oratióni meae.

A finibus terrae ad te clamávi: dum anxiarétur cor meum, in petra exaltásti me.

Deduxísti me, quia factus es spes mea: * turris fortitúdinis a fácie inimíci.

Inhabitábo in tabernáculo tuo in saecula: prótegar in velaménto alárum tuárum.

Quóniam tu Deus meus exaudísti oratiónem meam: * dedísti haereditátem timéntibus nomen tuum.

Dies super dies regis adjícies: * annos ejus usque in diem generatiónis et generatiónis.

Pérmanet in aetérnum in conspéctu Dei: * misericórdiam et veritátem ejus quis requíret?

Sic psalmum dicam nómini tuo in saeculum saeculi; * ut reddam vota mea de die in diem.

Ant. Ego áutem ad Deum clamávi, et Dóminus salvábit me.

Ant. Deus meus Salvátor meus, salutáre meum, et spes mea in aetérnum.

Psalm. 74.

Confitébimur tibi Deus: * confitébimur, et invocábimus nomen tuum.

Narrábimus mirábilia tua: * cum accépero tempus, ego justítias judicábo.

Liquefácta est terra, et omnes qui hábitant in ea: * ego confirmávi colúmnas ejus.

Dixi iníquis: Nolíte iníque ágere: * et delinquéntibus: Nolíte exaltáre cornu.

Nolíte extóllere in altum cornu vestrum: * nolíte loqui advérsus Deum iniquitátem.

Quia neque ac Oriénte, neque ab Occidénte, neque a desértis móntibus: * quóniam Deus judex est.

Hunc humíliat, et hunc exáltat: * quia calix in manu Dómini vini meri plenus misto.

Et inclinávit ex hoc in hoc: verúmtamen faex ejus non est exinaníta: * bibent omnes peccatóres terrae.

Ego áutem annuntiábo in saeculum: * cantábo Deo Jacob.

Et ómnia córnua peccatórum confríngam: * et exaltabúntur córnua justi.

Ant. Deus meus Salvátor meus, salutáre meum, et spes mea in aetérnum.

Ant. Protéctor noster áspice Deus, et réspice in fáciem Christi tui.

Psalm. 83.

Quam diléeta tabernácula tua Dómine virtútum! * concupíscit et déficit ánima mea in átria Dómini.

Cor meum et caro mea: * exultavérunt in Deum vivum.

Etenim passer invénit sibi domum: * et turtur nidum sibi, ubi ponat pullos suos.

Altária tua Dómine virtútum: * Rex meus, et Deus meus.

Beáti, qui hábitant in domo tua Dómine: * in saecula saeculórum laudábunt te.

Beátus vir, cujus est auxílium abs te: * ascensiónes in corde suo dispósuit, in valle lacrymárum, in loco quem pósuit.

Etenim benedictiónem dabit legislátor, ibunt de virtúte in virtútem, * vidébitur Deus deórum in Sion.

Dómine Deus virtútum exáudi oratiónem meam: * áuribus pércipe Deus Jacob.

Protéctor noster áspice Deus: * et réspice in fáciem Christi tui.

Quia mélior est dies una in átris tuis * super míllia.

Elégi abiéctus esse in domo Dei mei: * magis quam habitáre in tabernáculis peccatórum.

Quia misericórdiam et veritátem díligit Deus: grátiam et glóriam dabit Dóminus.

Non privábit bonis eos qui ámbulant in innocéntia: * Dómine virtútum, beátus homo qui sperat in te.

Ant. Protéctor noster áspice Deus, et réspice in fáciem Christi tui.

℣. Notam fecísti in Géntibus virtútem tuam.

℟. Redemísti in bráchio tuo pópulum tuum.

Léctio Sancti Evangélii secúndum Joannem.

Lectio VII. Cap. 3.

In illo témpore: Dixit Jesus Nicodémo: Nemo ascéndit in coelum, nisi qui descéndit de coelo, filius hóminis, qui est in coelo. Et réliqua.

Homilía sancti Augustíni Epíscopi.

Ex Tract. in cap. 3. Joann.

Nemo ascéndit in coelum, nisi qui de coelo descéndit. Descéndit enim, et mórtuus est, et ipsa morte liberávit nos a morte. Morte occísus, mortem occídit. Et nostis, fratres, quia mors ista per diáboli invídiam intrávit in mundum. Deus mortem non fecit, Scriptúra lóquitur, nec laetátur, inquit, in perditióne vivórum; creávit enim ut essent ómnia. Sed quid ibi ait: Invídia áutem diáboli mors intrávit in orbem terrárum. Ad mortem a diábolo propinátam non veníret homo vi adáctus; non enim cogéndi poténtiam diábolus habébat, sed persuadéndi versútiam. Si non consentíres, nihil invéxerat diábolus; consénsio tua, o homo, te perdúxit ad mortem. A mortàli mortáles nati, et ex immortálibus mortáles facti. Ab Adam omnes hómines mortáles: Jesus áutem Fílius Dei, Verbum Dei, per quod facta sunt ómnia, únicus, aequális Patri, mortális factus est, quia Verbum caro factum est, et habitávit in nobis. Si ergo mortem suscépit, et mortem suspéndit in cruce, de ipsa morte liberántur mortáles. Quod in figúra factum est apud antíquos, commemorávit illud Dóminus.

℟. Laudábilis pópulus, * Quem Dóminus exercítuum benedíxit dicens: Opus mánuum meárum tu es haeréditas mea Israel.

℣. Beáta gens, cujus est Dóminus Deus, pópulus eléctus in haereditátem. Quem.

Lectio VIII.

Et sicut, inquit, Móyses exaltávit serpéntem in erémo, ita exaltári opórtet Fílium hòminis. Quis est serpens exaltátus? Mors Dómini in cruce. Quia enim a serpénte mors, per serpéntis effigiem figuráta est mors. Morsus serpéntum lethális, mors Domini vitális. Atténditur

serpens, ut nihil váleat serpens. Quid est hoc? Atténditur mors, ut nihil váleat mors. Sed cujus mors? Mors vitae. Nonne vita Christus? Et tamen mórtuus est Christus. * Interim modo, fratres, ut a peccáto sanémur, Christum crucifixum intueámur, quia sicut Móyses, inquit, exaltávit serpéntem in erémo, ita exaltári opórtet Fílium hóminis; ut omnis qui credit in eum, non péreat, sed hábeat vitam aetérnam. Quómodo qui intuebántur illum serpéntem, non peribant mórsibus serpéntum: sic, qui intuéntur fide mortem Christi, sanántur a mórsibus peccatórum. Sed illi sanabántur a morte ad vitam temporálem; hic áutem, ait, ut hábeant vitam aetérnam. Hoc enim ínterest inter figurátam imáginem, et rem ipsam: figúra praestábat vitam temporálem: res ipsa, cujus illa figúra erat, praestat vitam aetérnam.

℟. Duo Séraphim clamábant alter ad álterum: * Sanctus, Sanctus, Sanctus Dóminus Deus Sábaoth: * Plena est omnis terra glória ejus.

℣. Tres sunt, qui testimónium dant in coelo, Pater, Verbum, et Spíritus Sanctus: et hi tres unum sunt. Sanctus. Glória Patri. Plena.

Lectio IX.

Hom. Dom. occurr.

AD LAUDES

ET PER HORAS.

Ant. Cantáte Dómino, quóniam magnífice fecit: annuntiáte hoc in univérsa terra.

Psalm. Dóminus regnávit, *cum reliquis de Laud. Dominicae.*

Ant. Ecce Deus Salvátor meus, fiduciáliter agam: quia factus est mihi in salútem allelúja.

Ant. Hauriétis aquas in gàudio de fóntibus Salvatóris, et dicétis: Confitémini Dómino, et invocáte nomen ejus.

Ant. Facta est salus, et virtus, et regnum Dei nostri, et potéstas Christi ejus.

Ant. Exúlta, et láuda habitátio Sion: quia magnus in médio tui Sanctus Israel.

Capitulum

Tobiae 3.

Benedíctum nomen tuum Deus Patrum nostrórum: qui cum irátus fúeris, misericórdiam fácies et in témpore tribulatiónis peccáta dimíttis his, qui ínvocant te.

Hymnus.

Salútis humánae Sator,
Jesu volúptas córdium,
Orbis redémpti Cónditor,
Et casta lux amántium.
Qua victus ex cleméntia,
Ut nostra ferres crímina?
Mortem subíres innocens,
A morte nos ut tólleres.
Te cogat indulgéntia,
Ut damna nostra sárcias,
Tuíque vultus cómpotes
Dites beáto lúmine.
Jesu tibi sit glória,
Qui natus es de Vírgine,
Cum Patre, et almo Spíritu
In sempitérna saecula.
Amen.

℣. Dómine refúgium factus es nobis.
℟. A generatióne, et progénie.

AD BENEDICTUS

Ant. Ecce Deus noster iste, expectávimus eum, et salvábit nos, sustinúimus eum, exultábimus, et laetábimur in salutári ejus, Allelúja.

ORATIO

Deus, qui Unigénitum tuum, mundi Redemptórem constituísti, et per eum devícta morte nos misericórditer ad vitam reparásti: concéde, ut haec beneficia recoléntes, tibi perpétua charitáte adhaerére: et ejúsdem Redemptiónis fructum percípere mereámur. Per eúmdem Dóminum.

Deinde fit commem. Dominicae occurrentis.

AD PRIMAM.

℟. *br.* Christe Fili.
℣. Qui redemísti mundum.

AD TERTIAM

Ant. Ecce Deus.
Cap. Benedíctum nomen.
℟. *br.* Rédime me Dómine, * Et miserére mei. Rédime.
℣. In Ecclésiis benedícam te Dómine. Et miserére. Glória Patri. Rédime.
℣. Meménto nostri Dómine in beneplácito pópuli tui.
℟. Vísita nos in salutári tuo.

AD SEXTAM.

Ant. Hauriétis aquas.

Capitulum

1. *Cor.* 1.

Ex ipso áutem vos estis in Christo Jesu, qui factus est nobis sapiéntia a Deo, et justítia, et sanctificátio, et redémptio.

℟. *br.* Meménto nostri Dómine, * In beneplácito pópuli tui. Meménto.

℣. Vísita nos in salutári tuo. In beneplácito. Glória. Meménto.

℣. Redemísti nos Dómine in sánguine tuo.

℟. Et fecísti nos Deo nostro regnum.

AD NONAM

Ant. Exúlta et láuda.

Capitulum

Apoc. 4.

Dignus es, Dómine Deus noster, accípere glóriam, et honórem, et virtútem: quóniam occísus es, et redemísti nos Deo in sánguine tuo, ex omni tribu, et lingua, et pópulo, et natióne, et fecísti nos Deo nostro regnum.

℟. *br.* Notam fecísti in pópulis, * Virtútem tuam. Notam.

℣. Redemísti in bráchio tuo pópulum tuum. Virtútem.

Glória Patri. Notam.

℣. Dómine refúgium factus es nobis.

℟. A generatióne, et progénie.

IN II. VESPERIS.

Omnia ut in primis.

AD MAGNIFICAT.

Ant. Regnum tuum, Regnum ómnium saeculórum, et dominátio tua in omni generatióne, et generatiónem, allelúja.

Oratio *ut supra.*

Deinde fit commem. Dominicae occurrentis.

DIE III. JULII.

In Festo SANCTI IRENEI *Episcopi et Martyris.* Duplex.

Omn. de Comm. unius Mart. exceptis iis, quae hic propria habentur.

ORATIO.

Deus, qui beáto Irenaeo Mártyri tuo, atque Pontífici tribuísti, ut et veritáte doctrínae expugnáret haereses, et pacem Ecclésiae felíciter confirmáret; da quaesumus plebi tuae in sancta Religióne constántiam, et pacem tuam nostris concéde tempóribus. Per Dóminum.

IN I. NOCTURNO.

De Epístola secúnda beáti Páuli Apóstoli ad Timótheum.

Lectio I.

Cap. 2. *v.* 15.

Solícite cura teípsum probábilem exhibére Deo, operárium inconfusíbilem, recte tractántem verbum veritátis. Profána áutem, et vanilóquia devíta; multum enim proficiunt ad impietátem: Et sermo eórum ut cancer serpit, ex quibus est Hymenaeus, et Philétus, qui a veritáte excidérunt, dicéntes: resurrectiónem esse jam factam, et subvertérunt quorúmdam fidem. Sed firmum fundaméntum Dei stat, habens signáculum hoc: cognóvit Dóminus, qui sunt ejus: et discédat ab iniquitáte omnis, qui nóminat nomen Dómini. In magna áutem domo, non solum sunt vasa áurea, et argéntea, sed et lígnea, et fictília: et quaedam quidem in honórem, quaedam áutem in contuméliam. Si quis ergo emundáverit se ab istis, erit vas in honórem sanctificátum, et útile Dómino, ad omne opus bonum parátum. Juvenília áutem desidéria fuge, sectáre vero justítiam, fidem, charitátem, et pacem cum iis, qui ínvocant Dóminum de corde puro. Stultas áutem, et sine disciplína quaestiónes devíta, sciens quia génerant lites. Servum áutem Dómini non opórtet litigáre, sed mansuétum esse ad omnes, docíbilem, patiéntem, cum modéstia corripiéntem eos, qui resístunt veritáti, nequándo Deus det illis poeniténtiam ad cognoscéndam veritátem, et resipíscant a diáboli láqueis, a quo captívi tenéntur ad ipsíus voluntátem.

℟. Iste sanctus.

Lectio II.

C. 3. *v.* 1. *et seq.*

Hoc áutem scito, quod in novíssimis diébus instábunt témpora periculósa: erunt hómines seípsos amántes, cúpidi, eláti, supérbi, blasphémi, paréntibus non obediéntes, ingráti, scelésti, sine affectióne, sine pace, criminatóres, incontinéntes, immítes, sine benignitáte, proditóres, protérvi, túmidi, et voluptátum amatóres magis quam Dei: habéntes spéciem quidem pietátis, virtútem áutem ejus abnegántes. Et hos devíta. Ex his enim sunt, qui pénetrant domos, et captívas ducunt muliérculas onerátas peccátis, quae ducúntur váriis desidériis: semper discéntes, et nunquam ad sciéntiam veritátis perveniéntes. Quemádmodum áutem Jannes et Mambres restitérunt Móysi: ita et hi resístunt veritáti, hómines corrúpti mente, réprobi circa fidem. Sed ultra non profi-

cient; insipiéntia enim eórum manifésta erit ómnibus, sicut et illórum fuit. Tu áutem assecútus es meam doctrínam, institutiónem, propósitum, fidem, longanimitátem dilectiónem, patiéntiam, persecutiónes, passiónes; quália mihi facta sunt Antiochíae, Icónii, et Lystris, quales persecutiónes sustínui, et ex ómnibus erípuit me Dóminus. Et omnes, qui pie volunt vívere in Christo Jesu, persecutiónem patiéntur. Mali áutem hómines, et seductóres profícient in pejus, errántes, et in errórem mitténtes.

℟. Justus germinábit.

Lectio III.

Tu vero pérmane in iis, quae didicísti, et crédita sunt tibi, sciens a quo didíceris; et quia ab infántia sacras lítteras nosti, quae te possunt instrúere ad salútem, per fidem, quae est in Christo Jesu. Omnis Scriptúra divínitus inspiráta útilis est ad docéndum, ad arguéndum, ad corripiéndum, ad erudiéndum in justítia: ut perféctus sit homo Dei ad omne opus bonum instrúctus. Testíficor coram Deo, et Jesu Christo, qui judicatúrus est vivos, et mórtuos per advéntum ipsíus et regnum ejus. Praedica verbum, insta opportúne, importúne: árgue, óbsecra, íncrepa in omni patiéntia, et doctrína. Erit enim tempus, cum sanam doctrínam non sustinébunt, sed ad sua desidéria coacervábunt sibi magístros pruriéntes áuribus: et a veritáte quidem audítum avértent, ad fábulas áutem converténtur. Tu vero vígila, in ómnibus labóra, opus fac Evangelístae, ministérium tuum imple.

℟. Iste cognóvit.

IN II. NOCTURNO.

Lectio IV.

Irenaeus non longe ab urbe Smyrna in Asia Procunsulári natus jam inde a púero sese Polycárpo Joánnis Evangelístae discípulo, eidémque Epíscopo Smyrnaeórum tradíderat in disciplínam. Hoc tam excellénti magístro progréssus in Doctrìna, praeceptísque Christiánae Religiónis insígnes fecit. Polycárpo in coelum Martyrii glória sublàto, etsi erat Irenaeus in sacris lítteris egrégie versátus, quod tamen incredìbili stúdio flagráret discéndi, quae dógmata depósiti loco custódienda caeteri accepíssent, quos A-

póstoli instituérant; horum quam pótuit plures convénit, quaeque ab iísdem audívit, mémori mente ténuit, ea deínceps opportúne advérsus haereses allatúrus, quas quum vidéret ingénti pópuli christiáni damno látius in dies manáre, diligénter, copiosé-que reféllere cogitárat. In Gállias inde proféctus a Photíno Epíscopo Présbyter est constitútus Ecclésiae Lugdunénsis. Quod munus sic laborándo in verbo, et doctrína gessit, ut (téstibus sanctis Martyribus, qui, Marco Aurélio Imperatóre, strénue pro vera pietáte certárant) aemulátorem sese praestíterit Testaménti Christi.

℟. Honéstum fecit.

Lectio V.

Cum Mártyres ipsi, Clerúsque Lugdunénsis de pace Ecclesiárum Asiae, quam Montanistárum fáctio turbárat, solíciti cum primis essent; Irenaeum, cujus esse potíssimum habéndam ratiónem praedicábant, unum ómnium máxime delegérunt, quem Romam ad Eleuthérium Pontíficem mítterent rogátum, ut novis secretáriis auctoritáte Sedis Apostólicae reprobátis, discordiárum cáusa tollerétur. Jam Photínus Epíscopus martyr decésserat, huic Irenaeus quum successísset, tam felíciter munus óbiit Episcopátus, ut sapiéntia, oratióne, exemplóque suo non modo brevi cives Lugdunénses omnes; sed multos étiam aliárum Gálliae úrbium íncolas superstitiónem, atque errórem abjecísse, dedísseque Christiánae milítiae nómina víderit. Intérea, quum de die celebrándi Páschatis orta esset conténtio, ac Victor Románus Póntifex Asiános Epíscopos ab collégis réliquis fere ómnibus dissidéntes aut prohibuísset communióne Sacrórum, aut prohibére minátus esset, eum Irenaeus sequéster pacis decénter mónuit, exemplísque usus Pontíficum superiórum indúxit, ut ne tot Ecclésias ob ritum, quem a majóribus accepísse sedícerent, avélli ab unitáte Cathólica paterétur.

℟. Desidérium ánimae.

Lectio VI.

Multa scripsit, quae Eusébius Caesariénsis, et sanctus Hierónymus mémorant, quorúmque pars magna intercédit injúria témporum. Extant ejus advérsus haereses libri quinque anno círciter centésimo octogésimo perscrípti, dum adhuc Eleuthérius

rem christiánam públicam géreret. In tértio libro vir Dei ab iis edóctus, quod auditóres constat fuísse Apostolórum, grave in primis atque praeclárum de Romána Ecclésia, deque illíus Episcopórum successióne divínae traditiónis fidéli, perpétua, certíssima custóde dixit. Atque ad hanc, dixit: Ecclésiam propter potentiórem principalitátem necésse est omnem convenírc Ecclésiam, hoc est eos qui sunt úndique fidéles. Postrémo una cum áliis prope innumerabílibus, quos ipse ad veram fidem, frugémque perdúxerat, Martyrio coronátus migrávit in coelum anno salútis ducentésimo secúndo, quo témpore Septímius Sevérus Augústus eos omnes, qui constántes in colénda Christiána Religióne persláre voluíssent, in summum cruciátum dari, atque intérfici imperáverat.

℟. Stola jucunditátis.

IN III. NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Lectio VII.

Cap. 5. *v.* 11. *et seq.*

In illo témpore: Dixit Jesus Pharisaeis; Ego sum Pastor bonus. Bonus Pastor ánimam suam dat pro óvibus suis. Et réliqua.

Homilía sancti Augustíni Epíscopi.

Serm. 138. *ad* 150.

De verb. Domini.

Audívimus Dòminum Jesum commendántem nobis boni pastóris officium. In qua commendatióne admónuit nos útique, ut intélligi datur, bonos esse pastóres, et tamen ne intelligerétur pervérso modo multitúdo pastórum: ego sum, inquit, pastor bonus: et unde sit pastor bonus, consequénter osténdit. Pastor, inquit, bonus ánimam suam ponit pro óvibus. Pastor ergo bonus Christus. Quid Petrus? nonne bonus pastor? Nonne et ipse ánimam suam pro óvibus pósuit? Quid Páulus? Quid caeteri Apóstoli? Quid eórum témpora consequéntes beáti Epíscopi Mártyres? Nonne omnes pastóres boni?

℟. Coróna áurea.

Lectio VIII.

Omnes ergo isti pastóres

boni, non solum quia sánguinem fudérunt, sed quia pro óvibus fudérunt. Non enim fudérunt elatióne, sed charitáte. Quómodo áutem habet vel exíguam charitátem, qui étiam convíctus non amat unitátem? Hanc Dóminus unitátem comméndans pastóribus bonis, nóluit multos appelláre pastóres. Neque enim, ut dixi, jam non erat pastor bonus Petrus, Páulus, Apóstoli caeteri, et posterióres sancti Epíscopi. Omnes hi pastóres boni; et tamen ille pastóribus bonis non commendávit pastóres bonos, sed pastórem bonum.

℟. Hic est vere martyr.

Lectio IX.

Quid est ergo, quod pastóribus bonis commendas unum pastórem, nisi quia in uno pastóre doces unitátem? Et expónit apértius ipse Dóminus per mystérium nostrum ex ipso Evangélio commémorans charitátem vestram, et dicens (audíte quid commendávit): Ego sum Pastor bonus. Dixi quia omnes caeteri, omnes pastóres boni membra mea sunt. Unum caput, unum corpus, unus Christus. Ergo et pastor pastórum, et pastóres pastóris, et cum oves pastóribus sub pastóre. Mérito Christus in se habens omnes pastóres bonos, unum comméndat, dicens: Ego sum, unus sum, mecum omnes in unitáte unum sunt. Qui extra me pascit, contra me pascit. Qui mecum non cólligit, spargit.

Te Deum laudámus.

DIE VII. JULII. ASS. PRAEC.

In Festo SANCTI ROMULI *Episcopi et Martyris* Duplex.

Omn. de Communi unius Martyris praeter ea quae sequuntur.

ORATIO.

Deus, mirábilis in Sanctis tuis, qui beáto Rómulo Martyri tuo, atque Pontífici, ad propagándum Evangélium, virtútem sermónis et miraculórum ubérrime contulísti; concéde propítius, ut ejus labóris fructum percipiámus in coelis, cujus solémnia celebrámus in terris. Per Dóminum nostrum.

IN I. NOCTURNO.

Lectiones de Script. curr.

IN II. NOCTURNO.

Lectio IV.

Rómulus ex illústri família

Romae ortus, a Justíno Presbytero baptizátus, et a beáto Petro Apóstolo e sacro fonte suscéptus est. In sacris deínde líteris et sanctimónia ita profécit, ut ab eódem Apóstolo ad Evangélii praedicatiónem destinarétur. Romae Carísium príncipem virum cum tota família ad fidem convértit, duóbus ejus filiis, áltero ab obsidénte daemone, áltero ab incurábili morbo liberátis. Hinc beáti Petri jussu Sútrium conténdens, quamplúrimos Christo péperit; póstea ab eódem Apóstolo Fesulárum Epíscopus consecrátus, cum sóciis eo míttitur: sed ut Fesulánae persecutiónis vim declináret, Bríxiam perréxit: ubi uno, et Bérgomi duóbus mórtuis excitátis, mirum quantum Gentílium convetsiónem miráculis ac Sanctitáte promóverit.

℟. Honéstum fecit.

Lectio V.

Angeli mónitu cum iísdem sóciis Fésulas venit, ac fidei propagatióni se totum impéndit, ubi innúmeros miráculis et praedicatióne ad ovíle Christi perdúxit. Ecclésias eréxit, Cléricos et Sacerdótes ordinávit. Ob haec Praeses Repertiánus Rómulum ac sócios fústibus caesos Fésulis éxpulit. Sed Angeli ductu portam aperiéntis, Fésulas cum sóciis regréssus, et a Viénna vídua excéptus, ejus filium morti próximum signo crucis sanitáti restítuit, et univérsam famíliam baptizávit. His permótus Praeses, Rómulum cum sóciis ferro onústum detrúsit in cárcerem, ubi sequénti nócte Christus Dóminus illis appárens cum imménsa luce ad martyrium animávit.

℟. Desidérium.

Lectio VI.

Eos dénique Jovi thus offérre recusántes, Praeses verbéribus afféctos per urbis platéas ad supplícium cápitis trahi jussit. Per viam cum parum aquae Rómulus e fonte óbvio postulásset, eam negánte Praeside statim sanguínea fontis aqua infidélibus appáruit, non mutáta apud Christiános aquae spécie. Ad radícem montis Fésulis mille pássibus distántem, sócii abscíssis capítibus, sanctíssimus Epíscopus membris minutátim conséctis agónem martyrii consummárunt. Ibídem póstea templum constrúctum est in honórem beatórum Apostolórum Petri ac Bartholomaei, et sancti Rómuli, in quo Mártyrum córpora hono-

rífice cóndita sunt. Sed salútis anno millésimo vigésimo nono a Jacóbo Epíscopo Fesuláno in majórem Fesulárum Ecclésiam transláta, miráculis claruérunt.

℟. Stola jucunditátis.

IN III. NOCTURNO.

Homilia in Evangelio Si quis venit ad me *ut in communi unius martyris primo loco.*

DIE IX. JULII.

In Festo S. Veronicae de Julianis *Abbatissae Capuccinarum Tiferni.* Duplex.

ORATIO.

Dómine Jesu Christe, qui beátam Verónicam Vírginem Passiónis tuae signis mirábilem effecísti; concéde propítius, ut carnem crucifigéntes ad gáudia aetérna perveníre mereámur. Qui vivis.

IN I. NOCTURNO.

Lect. de Script. occurr.

IN II. NOCTURNO.

Lectio IV.

Verónica de Juliánis ántea Ursula dicta Mercatélli, quod óppidum est Urbaniénsis Dioecésis, piis honestísque paréntibus nata, ab ipsis incunábulis mira futúrae sanctitátis indícia praebuit. Nam infántula, cum álias copiósum lac súgeret; tribus hebdómadae diébus páucas gúttulas mane, et véspere gustábat. Vix sex menses nata die Sanctíssimae Trinitáti dicáto e sinu matris firmis pédibus prosíliit. Adhuc tenélla hóminem quemdam grávibus verbis ab injustítia detérruit. Familiári Jesu púeri, beatissimaeque Vírginis consuetúdine fruebátur; et aliquándo divínus Puer ad eam cum lácrymis orántem, ut consolarétur, descéndit; quandóque étiam ab ipsa Deípara illum accépit, praenunciáto ejúsdem cum Jesu spirituáli sponsalítio, adjúncta arrha, bello scílicet, quod ipsi sustinéndum fuit ab homínibus, atque inférnis hóstibus. Ad hoc Verónica, cum nondum pueritiam excessísset, sese accínxit humilitáte summa, paríque obediéntia, et veheménti Christum Dóminum pro nobis passum et crucifixum imitándi desidério. Ut áutem id ubérius consequerétur, ad sanctimoniáles Cappuccínas Tifernátes, quae primaevam sanctae Clarae ré-

gulam profiténtur, superátis doméslicis, externísque obstáculis, confúgit.

℟. Propter.

Lectio V.

Ab ipso tyrocínio perféctum áliquid, et consummátum jam attigísse videbátur. Sustínuit invícto péctore a daemone excitátas adversitátes. Ubérrimus intérea grátiae suae donis victrícem sponsam locupletábat Jesus. Sacris Stigmátibus eam fuísse signátam, itémque coróna spinárum alte confixárum, et Passiónis insígnibus in Corde decorátam, ac júgibus pene ecstásibus recreátam, multíplici testimónio tráditum est. Haec ómnia amplam molestiárum ségetem Verónicae peperérunt: non enim defuére qui id omne malis ártibus tribúerent, eámque dícerent poena omni, infamíque supplício digníssimam. Ferébat haec alácriter fortíssima Virgo: optábat étiam ut crudelióra quotídie in se congereréntur pro Sponso suo Cruci affíxo sustinénda. Trúditur in tenebricósum cárcerem; subjícitur ínfimae ex soróribus, cui edícitur, ut eam acérbe tractet: neque vitam amat, nisi summis exagitátam tribulatiónibus; etsi quandóque desértam se ab Sponso, ac véluti derelíctam conquererétur: quod erat ei torméntum ómnium amaríssimum.

℟. Dilexísti.

Lectio VI.

Quam Deo vóverat moderatóribus consciéntiae suae obediéntiam, mirábili prorsus perfectióne cóluit. Diuturníssima jejúnia ex obediéntia transégit: neque vero extrémum emísit spíritum diu cum morte luctans, nisi cum esset jussa mori: quippe sciébat, obediéntia nullum Sponso suo esse grátius sacrifícium. Trigínta tribus annis, quibus praesidis obíre partes coácta est, tráditas ejus curae soróres ad omnem sanctitátem suo praecípue exémplo provéxit. Ut patiéndi votis fíeret satis, apoplexíae, qua corrépta fuit, accessére morbi prope omnes, qui acerbíssimi judicántur. Sustínuit ómnia costánti ánimo trigínta tres dies, donec in sponsi Jesu ampléxus evolávit die nona Július anno salútis millésimo septingentésimo vigésimo séptimo, religiósae vitae quinquagésimo. Heróicam dénique virtútum cúmulo, ac miráculis illústrem Pius Séptimus Póntifex Máximus Beátam nuncu-

pávit, Gregórius vero Papa Décimus Sextus solémni ritu Domínica Sanctíssimae Trinitátis, anno millésimo octingentésimo trigésimo nono sanctárum Vírginum Collégio adscrípsit.

℟. Afferéntur.

IN III. NOCTURNO.

LL. de Comm. 1. *loc.*

DIE XI. JULII.

In Festo B. ANGELI AUGUSTINI MAZZINGHI *Conf. Ordinis B. Mariae V. de Monte Carmelo.* Duplex.

Omnia de Communi Conf. non Pont. praeter ea, quae sequuntur. Ad Vesper.

Hymnus

Beáti honóres Angeli
Anni redúcit órbita,
Laetátur Arnus, géstiunt
Nivósa Carméli juga.
Arno decus natálibus,
Vitaeque gestis áddidit,
Et morte, quam Virgo Parens
Civi novo praedíxerat.
At éditus Carméli apex
Palmas eidem détulit,
Cum prístinos mores suo
Vindex redúxit Ordini.
Crebris item sermónibus
Juvit facúndus éxteros,
Visus loquens e lábiis
Rosas, ligústra fúndere.
Quot léniit iras! quanta heris
Subláta furto réddere
Suásit! quot almae Vírgini
Dignos parávit sérvulos!
Deo Patri sit glória,
Ejúsque soli Fílio
Cum Spíritu Paráclito
Et nunc, et in perpétuum.
Amen.

ORATIO

Deus, qui nos ánnua beáti Angeli Confessóris tui solemnitáte laetíficas, praesta, ut quem religiósae vitae assertórem habúimus in terris, patrónum habére mereámur gloriósum in coelis. Per Dóminum.

AD MATUTINUM

Hymn. Iste Conféssor, *et dicit* méruit suprémos.

IN I. NOCTURNO.

Lect. de Scr. occ.

IN II. NOCTURNO.

Lectio IV.

Angelus ex illústri Mazzin-

ghiórum família Floréntiae natus, pueritiam, atque adolescéntiam inter stúdia liberálium ártium, quae innocéntiam tueréntur, pietátem fovérent, caste integréque tradúxit. Inspiránte mox Deípara Vírgine, sacro Carmelitárum Institúto, honórum, qui ostendebántur, haud dúbia rejécta spe, nomen dedit; ut in eo peculiári divínae Matris obséquio se mancipáret, aliósque multos ad ejúsdem cultum tradúceret. Solémni emíssa professióne, severióris observántiae stúdio, ad Silvárum Convéntum, cui se primum addíxerat, convolávit, ibíque novo ánimi fervóre concépto, satis osténdit, quam insígne sui Ordinis praesídium, ac decus futúrus esset.

℟. Honéstum.

Lectio V.

Sacerdótio initiátus, exímia rerum divinárum sciéntia, et pietáte in Deum, ac Deíparam singulári, ita ómnibus se probávit, ut non semel dignus hábitus sit, qui suórum regímini admoverétur. Quod quidem munus tam sédulo explévit, ut in se primum éxhibens, quae áliis jubéret, nihil eórum praetermíserit, quae ad corrigéndos et formándos subditórum mores exáctior disciplína requírere viderétur: magni proptérea consílii vir, et vitae sanctíssimae haud immérito nuncupátus. Jejúniis corpus atténuans quo alácrior Deo spíritus vacáre posset, noctem ánimi magis, quam córporis quiéti tríbuens, divínis rebus contemplándis, piísque fundéndis précibus insumébat.

℟. Amávit.

Lectio VI.

Neque vero sibi uni vacàre, sed áliis étiam prodésse máxime stúduit. Cum enim excellénti doctrína, atque eloquéntia praeditus ad proximórum salútem, quam ardénter sitiébat, utrámque conférret; fácile intélligi potest, quam multos suis conciónibus a lata perditiónis via ad arctiórem Evangélicae perfectiónis sémitam revocáret. Extat adhuc perantíqua ejus effigies, quae rosas illum, ac lília ex ore fundéntem éxhibet, ut id ad suávem viri facúndiam designándam reférri non témere vidéri possit. Demum tot piis labóribus perfúnctus, ac méritis cumulátus, a Beatíssima Vírgine, quam praecípuo semper honóre, et crebro illíus láudum praecónio colúerat, praenun-

ciáta mortis die, inter Angelórum manus ad sempitérnas beatórum sedes migrávit anno salútis millésimo quadringentésimo trigésimo octávo. Ejus memória jam inde in honóre esse coepit, et miráculis confirmáta ad hanc usque diem perénnat, Floréntiae praesértim, ubi sacrum Beáti corpus in majóri Carméli Templo religiosíssime cólitur. Cultum vero immemorábilem a Fidélibus praestitum Clemens Tertiusdécimus Apostólica auctoritáte approbávit.

℟. Iste homo.

IN III. NOCTURNO.

Homilia in Evang. Sint lumbi *de Comm. Conf. non Pont. 1. loc. 9. l. S. Pii Pap. et m.*

DIE XII. JULII.

In Festo S. JOANNIS GUALBERTI ABB. C. FLOR. Duplex 2. cl.

Omn. ut in Brev. sed ll. 1. n. Beatus vir, *de 2. loc. et in Laud. tant. fit com. SS. Naboris etc. mm.*

DIE XVI. JULII.

In Festo B. M. V. DE MONTE CARMELO. Duplex majus.

AD VESPERAS.

Ant. Dum esset Rex etc. *cum reliquis de Laudibus ex Off. S. M. ad Nives.*

Psalm. Dixit Dóminus. *cum reliquis, ut in Officio parvo B. M. V.*

Capitulum

Eccl. 24.

Ab inítio, et ante saecula creáta sum, et usque ad futúrum saeculum non désinam, et in habitatióne sancta coram ipso ministrávi.

Hymnus. Ave maris Stella.

℣. Dignáre me laudáre te, Virgo sacráta.

℟. Da mihi virtútem contra hostes tuos.

AD MAGNIFICAT.

Ant. Sancta María, succúrre míseris, juva pusillánimes réfove flébiles, ora pro pópulo intérveni pro clero, intercéde pro devóto foemíneo sexu: séntiant omnes tuum juvámen, quicúmque célebrant tuam solémnem Commemoratiónem.

Oratio ut in Laudibus.

Deinde fit commem. S. Henrici, ut in Breviario.

In fine Hymnorum Complet.

et Horarum dicatur: Jesu, tibi sit glória, qui natus es de Vírgine.

AD MATUTINUM

Invitat. Sancta María Dei Génitrix Virgo, * Intercéde pro nobis.

Psalm. Veníte, exultémus.

Hymnus. Quem terra.

Ant. et Psalmi trium Nocturnorum, ut in Officio parvo B. M. V.

IN I. NOCTURNO.

Legunt. Lectiones de Parabolis Salomonis: Ego Sapiéntia hábito, *cum Resp. ut in Festo S. Mariae ad Nives.*

IN II. NOCTURNO.

℣. Adjuvábit eam Deus vultu suo.

℟. Deus in médio ejus, non commovébitur.

Lectio IV.

Cum sacra Pentecóstes die Apóstoli coelitus afflati, et invocáto augustíssimo Jesu nómine, mira multa patrárent, viri plúrimi (ut fertur) qui vestígiis sanctórum Prophetárum Elíae, ac Elisaei institerant, et Joánnis Baptístae praecónio ad Christi advéntum comparáti fúerant, rerum veritáte perspécta, atque probáta, Evangélicam fidem conféstim amplexáti sunt, ac peculiári quodam afféctu, beatíssimam Vìrginem (cujus collóquiis, ac familiaritáte felíciter frui potuére) ádeo venerári coepérunt, ut primi ómnium in eo montis Carméli loco ubi Elías olim ascendéntem nébulam, Vírginis typo insígnem, conspéxerat, eídem puríssimae Vírgini Sacéllum constrúxerint.

℟. Sicut cedrus exaltáta sum in Líbano, et sicut cypréssus in monte Sion: quasi myrrha elécta, * Dedi suavitátem odóris.

℣. Et sicut cinnamómum, et bálsamum aromatízans. Dedi.

Lectio V.

Ad novum ergo Sacéllum saepe quotídie conveniéntes, rítibus piis, precatiónibus, ac láudibus, beatíssimam Vírginem, velut singulárem Ordinis tutélam colébant. Quamóbrem Fratres Beátae Maríae de Monte Carmélo passim ab ómnibus appellári coepérunt; eúmque títulum Summi Pontífices non modo confirmárunt, sed et Indulgéntias peculiáres iis, qui eo título vel Ordinem, vel Fratres síngu-

los nuncupárent, concessére. Nec vero nomenclatúram tantum magnificentíssima Virgo tríbuit et tutélam; verum et insígne sacri Scapuláris, quod beáto Simóni Anglico praebuit, ut coelésti hac veste Ordo ille sacer dignoscerétur, et a malis ingruéntibus protegerétur. Ac demum cum olim in Európa Ordo esset ignótus: et ob id apud Honórium Tértium non páuci pro illius extinctióne instárent, ástitit Honório noctu piíssima Virgo María, planéque jussit, ut institútum, et hómines benígne complecterétur.

℟. Quae est ista, quae procéssit sicut Sol, et formósa tamquam Jerúsalem? * Vidérunt eam filiae Sion, et beátam dixérunt, et regínae laudavérunt eam.

℣. Et sicut dies verni circúmdabant eam flores rosárum, et lília convállium. Vidérunt.

Lectio VI.

Non in hoc tantum saeculo Ordinem sibi tam accéptum multis praerogatívis beatíssima Virgo insignívit: verum et in álio (cum ubíque et poténtia et misericórdia plúrimum váleat) filios in Scapuláris societátem relátos, qui abstinéntiam módicam, precésque páucas eis praescríptas frequentárunt, ac pro sui status ratióne castitátem coluérunt, matérno plane afféctu, dum igne Purgatórii expiántur, solári, ac in coeléstem pátriam obténtu suo quantócyus pie créditur efférre. Tot ergo tantísque benefíciis Ordo cumulátus, solémnem beatíssimae Vírginis commemoratiónem ritu perpétuo ad ejúsdem Vírginis glóriam quotánnis celebrándam instítuit.

℟. Ornátam monílibus filiam Jerúsalem Dóminus concupívit: * Et vidéntes eam filiae Sion, beatíssimam praedicavérunt, dicéntes. * Unguéntum effúsum nomen tuum.

℣. Astitit Regína a dextris tuis in vestítu deauráto circúmdata varietáte. Et. Glória Patri. Unguéntum.

IN III. NOCTURNO.

℣. Elégit eam Deus, et praeelégit eam.

℟. In tabernáculo suo habitáre facit eam.

Homil. Ven. Bedae Presbyt. in Evang. Loquénte. Jesu, *cum reliquis, ut in Festo S. Mariae ad Nives* 5. *Aug. In* VII. ℟. *ubi dicit.* Tuam sanctam Festivitátem *dic.* Tuam solémnem Commemoratiónem.

Ad Laudes omnia sumuntur ex Officio S. Mariae ad Nives, praeter sequentia.

AD BENEDICTUS

Ant. Caput tuum, ut Carmélus, et comae cápitis tui, sicut púrpura regis vincta canálibus, Allelúja.

ORATIO.

Deus, qui beatíssimae semper Vírginis, et Genitrícis tuae Maríae singulári título Carméli Ordinem decorásti: concéde propítius; ut cujus hódie Commemoratiónem solémni celebrámus officio, ejus muníti praesídiis, ad gáudia sempitérna perveníre mereámur. Qui vivis etc.

Ad Horas, Ant. Capit in ℟. brev. dicunt. ut in Officio S. Mariae in Sabbato.

IN II. VESPERIS.

Omnia ut in primis, praeter Antiphonam ad Magnificat, quae dicitur ut infra.

AD MAGNIFICAT.

Ant. Glória Líbani data est ei, decor Carméli, et Saron, Allelúja.

DIE XVIII. JULII.

In Festo S. Camilli de Lellis *Conf.* Duplex.

Omnia de Communi Conf. non Pont. exceptis iis quae sequuntur.

In hymn. Méruit suprémos.

ORATIO.

Deus, qui Sanctum Camíllum, ad animárum in extrémo agóne luctántium subsídium, singulári charitátis praerogatíva decorásti: ejus quaesumus méritis, Spíritum nobis tuae dilectiónis infúnde; ut in hora éxitus nostri hostem víncere, et ad coeléstem mereámur corónam perveníre. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum, qui tecum vivit, et regnat in unitáte ejúsdem Spíritus Sancti Deus etc.

IN I. NOCTURNO.

Lect. de Script. occurr.

IN II. NOCTURNO.

Lectio IV.

Camíllus Bucclánici Theatínae Dioecésis Oppido ex nóbili Lelliórum família natus est matre sexagenária, cui

grávidae visum est per quiétem puérulum crucis signo in péctore munítum, et ágmini puerórum, idem signum gestántium, praeeúntem se peperísse. Adoléscens rem militárem sequútus, saeculi vítiis aliquándiu indúlsit; donec vigésimum quintum agens aetátis annum, tanto supérnae grátiae lúmine, divinaeque offénsae dolóre corréptus fuit; ut ubérrimo lacrymárum imbre íllico perfúsus, anteáctae vitae sordes indesinénter abstérgere, novúmque indúere hóminem firmiter decréverit. Quare ipso, quo id cóntigit, Purificatiónis Beatíssimae Vírginis festo die, ad Fratres Minóres, quos Capuccínos vocant, cónvolans, ut eórum número adscriberétur summis précibus exorávit. Voti cómpos semel, atque íterum factus est; sed foedo úlcere, quo aliquándo laboráverat, in ejus tíbia iteráto recrudescénte, divínae Providéntiae majóra de eo disponéntis consílio humíliter se subjécit, suíque victor, illíus Religiónis, bis expetítum, et suscéptum hábitum bis dimísit.

℟. Honéstum fecit illum.

Lectio V.

Romam proféctus, in Nosocomíum, quod insanabílium dícitur, recéptus est; cujus étiam administratiónem, ob perspéctas ejus virtútes sibi demandátam, summa integritáte, ac solicitúdine vere patérna perégit. Omnium aegrórum servum se réputans, eórum stérnere léctulos, sordes térgere, ulcéribus medéri, agoníque extrémo piis précibus et cohortatiónibus opem ferre solémne hábuit; quibus in munéribus praeclára praebuit admirábilis patiéntiae, invíctae fortitúdinis, et heróicae charitátis exémpla. Verum cum animárum in extrémis periclitántium, quod única intendébat, levámini subsídium litterárum plúrimum conférre intellígeret, trigínta duos annos natus, in primis grammáticae eleméntis tyrocínium inter púeros íterum subíre non erúbuit. Sacerdótio póstea rite initiátus, nonnúllis sibi adjúnctis sóciis, prima jecit Congregatiónis Clericórum Regulárium Infirmis ministrántium fundaménta írrito conátu obniténte humáni géneris hoste. Nam Camíllus coelésti voce, e Christi crucifíxi, manus étiam de ligno avúlsas admirándo prodígio protendéntis Simulácro emíssa, mirabíliter confirmátus, Ordinem suum a Sede Apostólica approbári

obtínuit; Sodálibus quarto obstríctis máxime árduo voto, infirmis, quos étiam pestis infecérit, ministrándi. Quod Institútum quam foret Deo accéptum, et animárum salúti proficuum, sanctus Philíppus Nérius, qui Camíllo a sacris Confessiónibus erat, comprobávit; dum ejus alúmnis decedéntium agóni opem feréntibus Angelos suggeréntes verba saepius se vidísse testátus est.

℟. Amávit eum.

Lectio VI.

Arctióribus hisce vínculis aegrotántium ministério mancipátus, mirum est, qua alacritáte, nullis fractus labóribus, nullis detérritus vitae perículis, diu noctúque ad suprémum usque spíritum eórum cómmodis vigiláverit. Omnibus ómnia factus, vilíssima quaeque officia demississimo obséquio, flexísque plerúmque génibus, véluti Christum ipsum cérneret in infirmis, hílari promptóque ánimo arripiébat; utque ómnium indigéntiis praesto esset, generálem Ordinis Praefectúram, coelíque delícias, quibus in contemplatióne defixus affluébat, sponte dimísit. Patérnus vero illíus erga míseros amor tum máxime effúlsit, cum et Urbs contagióso morbo primum, deínde extréma annónae laboráret inópia, et Nolae in Campánia dira pestis grassarétur. Tanta dénique in Deum et próximum charitáte exársit, ut Angelus nuncupári, et Angelórum opem in vário itínerum discrímine experíri promererétur. Prophetíae dono, et grátia sanitátum praeditus, arcána quoque córdium inspéxit, ejúsque précibus nunc cibária multiplicáta sunt; nunc aqua in vinum convérsa. Tandem vigíliis, jejúniis, et assíduis attrítus labóribus, cum pelle tantum et óssibus constáre viderétur, quinque moléstis aeque ac diútinis morbis, quos misericórdias Dómini appellábat, fórtiter tolerátis, Sacraméntis munítus, Romae inter suavíssima Jesu et Maríae nómina, ad ea verba: Mitis, atque festívus Christi Jesu tibi aspéctus appáreat, qua praedíxerat hora obdormívit in Dómino prídie Idus Július, anno salútis millésimo sexcentésimo décimo quarto, aetátis suae sexagésimo quinto. Quem plúribus illústrem miráculis Benedíctus décimus quartus solémni ritu Sanctórum fastis adscrípsit.

℟. Iste homo.

IN III. NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Lectio VII.

Cap. 15. *d.*

In illo témpore: dixit Jesus Discípulis suis: Hoc est praecéptum meum, ut diligátis ínvicem sicut diléxi vos. Et réliqua.

Homilía sancti Augustíni Epíscopi.

Tract. 83. *in Joan. Ev.*

Quid putámus, Fratres mei? numquídnam solum ejus de ista dilectióne mandátum est, qua dilígimus ínvicem? Nonne est et áliud majus, ut diligámus Deum? Aut vero de sola Deus nobis dilectióne mandávit ut ália non requirámus? Tria certe comméndat Apóstolus, dicens: Manent autem Fides, Spes, Cháritas, tria haec, major áutem horum Cháritas. Et si in Charitáte, hoc est in dilectióne concludúntur duo illa praecépta major tamen dicta est esse, non sola. De Fide ígitur nobis, quam multa mandáta sunt! quam multa de Spe! Quis potest cuncta collígere, quis enumerándo sufficere? Sed intueámur, quod ait idem Apóstolus: Plenitúdo legis Cháritas.

℞. Iste est.

Lectio VIII.

Ubi ergo Cháritas est, quid est, quod possit deésse? Ubi áutem non est, quid est, quod possit prodésse? Daemon credit, nec díligit; nemo díligit, qui non credit. Frustra quidem, sed tamen potest speráre véniam qui non díligit: nemo autem potest desperáre, qui díligit. Itaque ubi diléctio est, ibi necessário Fides, et Spes, et ubi diléctio próximi, ibi necessário étiam diléctio Dei. Qui enim non díligit Deum quómodo díligit próximum tamquam se ipsum, quandóquidem non díligit et se ipsum? Est quippe, ímpius, et iniquus. Qui áutem díligit iniquitátem, non plane díligit, sed odit ánimam suam.

℞. Sint lumbi.

IX. Lectio dic. de SS. Symphorosa etc. mm. ut in Brev.

Quando autem transfertur 9. *lectio erit sequens.*

Lectio IX.

Hoc ergo praecéptum Dómi-

ni teneámus, ut nos ínvicem diligámus; et quidquid áliud praecépit, faciámus: quóniam quidquid est áliud, hic habémus. Discérnitur quippe ista diléctio ab illa dilectióne, qua se ínvicem díligunt hómines; nam ut discernerétur adjúnctum est: Sicut diléxi vos. Ut quid enim díligit nos Christus, nisi ut regnáre possímus cum Christo? Ad hoc ergo et nos ínvicem diligámus, ut dilectiónem nostram discernámus a caeteris, qui non ad hoc se ínvicem díligunt, quia nec díligunt. Qui áutem se propter habéndum Deum díligunt, ipsi se díligunt; ergo ut se díligant, Deum díligunt. Non est haec diléctio in ómnibus homínibus: páuci se propterea díligunt, ut sit Deus ómnia in ómnibus.

Te Deum.

DIE XIX. JULII

In Festo. S. VINCENTII A PAULO *Conf.*. Duplex.

Omnia de Communi Conf. non Pontif. praeter sequentia.

In hymn. Méruit suprémos.

ORATIO.

Deus, qui ad evangelizándum paupéribus, et Ecclesiástici Ordinis decórem promovéndum beátum Vincéntium Apostólica virtúte roborásti: praesta quaesumus, ut cujus pia mérita venerámur, virtútum quoque instruámur exémplis. Per Dóminum.

IN I. NOCTURNO.

Lect. de Scrip. occ.

IN II. NOCTURNO.

Lectio IV.

Vincéntius a Páulo natióne Gallus, Pódii non procul ab Aquis Tarbéllis in Aquitánia natus, jam tum a púero exímiam in páuperes charitátem prae se tulit. A custódia patérni gregis ad líteras evocátus, humánas Aquis, divínas cum Tolósae, tum Caesaraugústae dídicit. Sacerdótio initiátus, ac Theologíae láurea insignítus, in Turcas íncidit, qui captívum in Africam adduxérunt, sed in captivitáte pósitus herum ipsum Christo rursus lucrifécit. Cum eo ígitur ex bárbaris oris, opitulánte Deípara, sese proripiens, ad Apostólica límina iter instítuit, unde in Gálliam revérsus Clippíaci primum, mox Castelliónis Paroecias sanctíssime rexit. Renunciátus a Rege primárius Sacrórum miníster in Gálliae triremibus, mi-

rum quo zelo et ducum, et rémigum salúti óperam posúerit. Moniálibus Visitatiónis a sancto Francísco Salésio praepósitus, tanta prudéntia per annos círciter quadragínta eam curam sustínuit, ut máxime comprobáverit judícium sanctíssimi Praesulis, qui Sacerdótem Vincéntio digniórem nullum se nosse fatebátur.

℟. Honéstum fecit.

Lectio V.

Evangelizándis paupéribus, praesértim rurícolis, ad decrépitam usque aetátem indeféssus incúbuit, eíque Apostólico óperi tum se, tum Alúmnos Congregatiónis, quam sub nómine Presbyterórum saeculárium Missiónis instítuit, perpétuo voto, a Sancta Sede confirmáto, speciátim obstrínxit. Quantum áutem augéndae Cleri disciplínae allaboráverit, testántur erécta majórum Clericórum Seminária, Collatiónum de divínis inter Sacerdótes frequéntia, et sacrae Ordinatióni praemitténda Exercítia, ad quae, sicut et ad pios laicórum secéssus, Institúti sui domicília libénter patére vóluit. Insuper ad amplificándam fidem, et pietátem, Evangélicos misit operários, non in solas Gálliae províncias, sed et in Itáliam, Polóniam, Scótiam, Hybérniam, atque ad Bárbaros, et Indos. Ipse vero vita functo Ludovíco Décimotértio, cui moriénti hortátor ádstitit, a Regína Anna Austríaca matre Ludovíci Decimiquárti in sánctius Consílium accítus, studiosíssime egit, ut nonnísi digniórcs Ecclésiis, ac Monastériis praeficeréntur; civíles discórdiae, singulária certámina, serpéntes erróres, quos simul sensit, et exhórruit, amputaréntur, débitaque judíciis Apostólicis obediéntia praestarétur ab ómnibus.

℟. Amávit eum.

Lectio VI.

Nullum fuit calamitátis genus, cui patérne non occúrrerit. Fidéles sub Turcárum jugo geméntes, infántes expósitos, júvenes dyscolos, vírgines periclitántes, moniáles dispérsas, mulíeres lapsas, ad triréınes damnátos, peregrínos infirmos, artífices inválidos, ipsósque mente captos, ac innúmeros mendícos subsídiis, et hospítiis etiámnum superstítibus excépit, ac pie fovit. Lotharíngiam, Campániam, Picardíam, aliásque regiónes peste, fame, bellóque vastátas, prolíxe reféćit. Plúrima ad perquiréndos, et su-

blevándos míseros Sodalítia fundávit; inter quae célebris Matronárum coetus, et late diffúsa sub nómine Charitátis Puellárum Sociétas; Puéllas quoque, tum de Cruce, tum de Providéntia, ac Sanctae Genovéfae ad sequióris sexus educatiónem erigéndas curávit. Haec inter, et ália gravíssima negótia Deo júgiter inténtus, cunctis affábilis ac sibi semper constans, simplex, rectus, húmilis, ab honóribus, divítiis, ac delíciis semper abhórruit, audítus dícere rem nullam sibi placére, praetérquam in Christo Jesu; quem in ómnibus studébat imitári. Córporis demum afflictatióne, labóribus, senióque attrítus, die vigésima séptima Septémbris anno salútis supra millésimum sexcentésimo sexagésimo, aetátis suae octogésimo quinto, Parisiis in domo sancti Lázari, quae caput est Congregatiónis Missiónis, plácide obdormívit; quem virtútibus, méritis, ac miráculis clarum Clemens Duodécimus inter Sanctos rétulit, ipsíus celebritáti die décima nona mensis Július quotánnis assignáta.

℟. Iste homo.

IN III. NOCTURNO.

Homilia S. Gregorii Papae in Evangel. Designávit Dóminus, *ut in Comm. Evang.*

DIE XX. JULII.

In Festo S. HIERONYMI ÆMILIANI *Conf.* Duplex.

Omnia de Communi Conf. non Pontif. praeter sequentia.

In hymn. Iste Confessor. *dicitur.* Méruit suprémos.

ORATIO

Deus misericordiárum Pater: per mérita, et intercessiónem beáti Hierónymi, quem Orphanis adjutórem, et patrem esse voluísti; concéde, ut spíritum adoptiónis, quo filii tui nominámur, et sumus, fidéliter custodiámus. Per Dóminum.

Deinde fit com. praec. et S. Margaritae v. m. ut in Brev.

IN I. NOCTURNO.

Lect. de Scrip. occ.

IN II. NOCTURNO.

Lectio IV.

Hierónymus e gente Patrícia Æmiliána Venétiis ortus, a prima adolescéntia milítiae addíctus, difficíllimis Reipúblicae tempóribus, Castro novo ad Quarum in móntibus Tarvisínis praeficitur. Arce

ab hóstibus capta, ipse in tetérrimum cárcerem detrúditur, mánibus ac pédibus vinctus, cui, omni humána ope destitúto, Beatíssima Virgo, ejus précibus exoráta, clemens adest, víncula solvit, et per médios hostes, qui vias omnes obséderant, in Tarvísii conspéctum incólumem ducit. Urbem ingréssus ad Deíparae aram, cui se vóverat, mánicas, cómpedes, caténas, quas secum detúlerat, in accépti beneficii testimónium suspéndit. Revérsus Venétias coepit pietátis stúdia impénsius cólere, in páuperes mire effúsus, sed puerórum praesértim misértus, qui paréntibus orbáti, egéni, et sórdidi per urbem vagabántur, quos in aedes a se condúctas recépit de suo aléndos, et Christiánis móribus imbuéndos.

℟. Honéstum fecit.

Lectio V.

Per eos dies Venétias appúlerant beátus Cajetánus, et Petrus Caráfa póstmodum Páulus Quartus, qui Hierónymi spíritu, novóque institúto colligéndi órphanos probáto, illum in Incurabílium Hospitále deduxérunt, in quo órphanos simul educáret, atque aegrótis pari charitáte inservíret. Mox eorúmdem hortátu in próximam continéntem proféctus, Bríxiae primum, deínde Bérgomi, atque Novocómi Orphanotróphia eréxit, Bérgomi praesértim, ubi praeter duo, pro púeris unum, et pro puéllis álterum domum excipiéndis, novo in illis regiónibus exémplo muliéribus a turpi vita ad poeniténtiam convérsis, apéruit. Somáschae demum subsístens in húmili pago Agri Bergoménsis ad Vénetae ditiónis fines, sibi, ac suis ibi sedem constítuit, formámque indúxit Congregatiónis, cui proptérea, a Somáscha, nomen factum, quam subinde áuctam, et propagátam, nedum Orphanórum regímini, et Ecclesiárum cúltui, sed ad majórem Christiánae Reipúblicae utilitátem adolescéntium in litteris, et bonis móribus institutióni, in Collégis, Académíis, Semináriis addíctam, sanctus Pius Quintus inter Religiósos Ordines adscrípsit, caeteríque Pontífices privilégiis ornárunt.

℟. Amávit eum.

Lectio VI.

Orphanis colligéndis inténtus, Mediolánum proficísci-

tur, atque Ticínum, et utróbique colléctis agmínibus puerórum, tectum, victum, vestem, magístros, nobílibus viris faventibus, próvide constítuit. Inde Somáscham redux, ómnibus ómnia factus a nullo abhorrébat ópere, quod in próximi bonum cédere pervidéret. Agrícolis immíxtus per agros sparsis dum se illis adjutórem in meténdis frúgibus praebet, mystéria fidei explicábat, puerórum cápita porrígine foeda abstérgens, et patiénter tractans curábat, pútridis rusticórum vulnéribus medebátur, eo succéssu, ut grátia curatiónum donátus censerétur. In monte, qui Somáschae ímminet repérta specu, in illam se ábdidit, ubi se flagéllis caedens, dies íntegros jejúnus tránsigens, oratióne in plúrimam noctem protrácta, super nudo saxo brevem somnum carpens sui aliorúmque noxárum poenas luébat. In hujus specus interióri recéssu, ex árido sílice extíllat aqua, précibus servi Dei, ut constans tradítio est, impetráta, quae usque in hodiérnam diem júgiter manans, et in várias regiónes deláta, aegris sanitátem plerúmque concíliat. Tandem ex contagióne, quae per omnem vallem serpébat, dum aegrotántibus insérvit, et vita functos própriis húmeris ad sepultúram defert, contrácto morbo, annos natus sex et quinquagínta, quam páulo ante praedíxerat, pretiósam mortem óbiit anno millésimo quingentésimo trigésimo séptimo: quem plúribus in vita, et post mortem miráculis illústrem Benedíctus Decimusquártus Beatórum, Clemens vero Decimustértius Sanctórum fastis solémniter adscrípsit.

℟. Iste homo.

IN III. NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthaeum.

Lectio VII.

Cap. 19. *v.* 13.

In illo témpore: obláti sunt Jesu párvuli, ut manus eis impóneret, et oráret. Et réliqua.

Homilía sancti Joánnis Chrysóstomi.

Homilia 62. *in Matth.*

Cur Discípuli púeros abigébant? Dignitátis cáusa. Quid ergo ille? Ut dóceat illos modéste sápere, fastúmque mundánum conculcáre, et súscipit, et ulnis compléctitur, ta-

libúsque regnum coelórum pollicétur, id quod étiam dixit supérius. Et nos ígitur si vólumus haerédes esse coelórum hanc virtútem cum diligéntia magna sectémur. Hoc est enim Philosophíae culmen, símplicem esse cum prudéntia. Haec vita est angélica. Anima enim puéruli ómnibus ánimi morbis vácua est; non memóriam rétinet injuriárum, sed eas inferéntes adit, ut amícos, ac si nihil factum esset. Et quamvis a matre verbéribus caedátur, eam semper quaerit, et ómnibus antepónit.

℟. Iste est qui.

Lectio VIII.

Si Regínam ipsi osténdas diadémate ornátam non praefert eam matri pannis detrítis vestítae, mallétque illam incúltam vidére, quam Regínam mirífice amíctam. Nam quod suum, quod aliénum est, non ex paupertáte, vel divítiis, sed ex amóre extimáre solet; et nihil plus requírit, quam necessária, atque ut lacte replétus est, statim a mamma abscédit. Non eisdem, quibus nos, aerúmnis prémitur, nec pecuniárum jactúra, rebúsque simílibus, nec eísdem, quibus nos, fluxis rebus laetátur, neque córporum pulchritúdinem mirátur. Ideo dicébat, tálium est enim regnum coelórum, ut ex propósito voluntátis illa operémur, quae natúra sua púeri fáciunt.

℟. Sint lumbi vestri.

Lectio IX.

Quia enim Pharisaei non aliúnde, quam a nequítia, et arrogántia ad agéndum ferebántur, ídeo ubíque Discípulos suos símplices esse jubet, illósque subíndicat, dum hos instítuit. Nihil enim ita supérbiam parit, ut principátus, et primi conséssus. Quóniam ígitur Discípuli per totum terrárum orbem multum honóris consecutúri erant, ipsórum ánimos praevenit, nec sinit eos humánum quid pati, nec honórem a vulgo expétere, vel ante álios sese efférre. Nam etiámsi haec parva videántur esse, at malis ingéntibus cáusam praebent. Sic enim institúti Pharisaei in malórum culmen ascendérunt; salutatiónes, primos conséssus, et médios requiréntes, hic in ardéntem glóriae cupiditátem, inde vero in impietátem lapsi sunt.

Te Deum.

In Laudib. fit com. S. Margar. v. m.

DIE XXI. JULII
ASS. EX PRAECED.
In Festo S. ELIAE PROPHETAE Duplex.

AD VESPERAS.

Ant. Zelo zelátus sum pro Dómino Deo exercítuum, quia dereliquérunt pactum tuum filii Israel.

Psalm. de Domin. loc. ultimi Láuda Jerúsalem Dóminum *ut in Sabb.*

Ant. Usquequo claudicátis in duas partes? Si Dóminus est Deus, sequímini eum.

Ant. Si homo Dei sum, descéndat ignis de coelo, et dévoret te, et quinquagínta tuos.

Ant. Non ego turbávi Israel, sed tu, et domus patris tui, qui dereliquísti mandáta Dómini.

Ant. Occidísti ínsuper, et possedísti: Ecce ego indúcam super te malum, et démetam posterióra tua.

Capitulum *Eccl.* 48.

Surréxit Elías Prophéta quasi ignis, et verbum ipsíus quasi fácula ardébat. Qui indúxit in pópulos famem, et irritántes illum invídia sua páuci facti sunt.

Hymnus.

Nunc juvat celsi properáre ad alta
Mente Carméli juga, et ore pleno
Vatis Elíae méritos reférre
Láudis honóres.

Dum fames terras prémeret, minístro
Utitur corvo: viduae farínam
Súfficit solers, oleóque manat
Hydria pingui.

Hic, Deo fusis précibus, redúctum
Fínibus mortis púerum paréntí
Reddit, orándo valet expetítam
Réddere lucem.

Cláudit et nubes, aperítque verbo;
Imperat post tres properánter annos
Décidant coelo, sitiénsque tellus
Háuriat imbres.

Sit Patri summo, genitaeque Proli,
Et tibi compar utriúsque Sancte
Spíritus laus, impérium, potéstas
Tempus in omne.
Amen.

℣. Verbo Dómini contínuit coelum.
℟. Et dejécit de coelo ignem ter.

AD MAGNIFICAT.

Ant. Ecce ego mittam vobis Elíam Prophétam, ántequam véniat dies Dómini ma-

gnus, et horríbilis; et convértet cor patrum ad filios, et cor filiòrum ad patres eórum.

ORATIO

Praesta, quaesumus, omnípotens Deus, ut qui beátum Elíam Prophétam tuum ígneo curru mirabíliter elevátum esse crédimus: eódem interveniénte ad coeléstia sublevémur, et Sanctórum tuórum consórtio gaudeámus. Per Dóminum.

Fit com. praec. cum Vesp. sint a cap.; et S. Praxedis v. ut in Brev.

AD MATUTINUM.

Invit. Regem Prophetárum Dóminum, * Veníte, adorémus.

Psalm. Veníte, exultémus,

Hymnus. Nunc juvat celsi etc. *ut supr. in Vesperis.*

IN I. NOCTURNO.

Ant. Factum est autem, ut aegrotáret filius mulíeris matris famílias, et erat languor fortíssimus.

Psalm. Beátus vir, *cum reliq. de Com. CC. non PP.*

Ant. Dixit múlier ad Elíam: quid mihi, et tibi, vir Dei? Ingréssus es ad me, ut rememoraréntur iniquitátes meae, et interficeres filium meum?

Ant. Ait Elías ad víduam: da mihi filium tuum. Et clamávit ad Dóminum, et revíxit puer.

℣. Verbo Dómini contínuit coelum.

℟. Et dejécit de coelo ignem ter.

De libro tértio Regum.

Lectio I.

Cap. 17.

Dixit Elías Thesbítes de habitatóribus Gálaad ad Achab: Vivit Dóminus Deus Israel, in cujus conspéctu sto, si erit annis his ros, et plúvia nisi juxta oris mei verba. Et factum est verbum Dómini ad eum dicens: Recéde hinc, et vade contra Oriéntem, et abscóndere in torrénte Carith, qui est contra Jordánem, et ibi de torrénte bibes: corvísque praecépi, ut pascant te ibi. Abiit ergo, et fecit juxta verbum Dómini. Cumque abiísset, sedit in torrénte Carith, qui est contra Jordánem. Corvi quoque deferébant ei panem, et carnes mane; simíliter panem, et carnes vésperi, et bibébat de torrénte. Post dies áutem siccátus est torrens: non enim

plúerat super terram. Factus est ergo sermo Dómini ad eum, dicens: Surge, et vade in Sarépht a Sidoniórum, et manébis ibi: praecépi enim ibi mulíeri víduae, ut pascat te.

℣. Recéde hinc et vade contra Oriéntem: dixit Dóminus ad Elíam. * Qui ábiit, et fecit juxta verbum Dómini.

℣. Abscóndere in torrénte Carith, et ibi de torrénte bibes, corvísque praecépi, ut pascant te ibi. Qui ábiit.

Lectio II.

Surréxit et ábiit in Saréphta. Cumque venísset ad portam civitátis, appáruit ei múlier vídua cólligens ligna, et vocávit eam, dixítque ei: da mihi páululum aquae in vase ut bibam. Cumque illa pérgeret, ut afférret, clamávit post tergum ejus dicens: Affer mihi, óbsecro, et buccéllam panis in manu tua. Quae respóndit: Vivit Dóminus Deus tuus, quia non hábeo panem, nisi quantum pugíllus cápere potest farínae in hydria, et páululum ólei in lécytho; en cólligo duo ligna, ut ingrédiar, et fáciam illud mihi, et fílio, ut comedámus, et moriámur. Ad quam Elías ait: Noli timére, sed vade, et fac sicut dixísti: verúmtamen mihi primum fac de ipsa farínula subcinerícium panem párvulum, et affer ad me: tibi áutem et fílio tuo fácies póstea. Haec áutem dicit Dóminus Deus Israel: Hydria farínae non defíciet, nec lécythus ólei minuétur usque ad diem, in qua Dóminus datúrus est plúviam super fáciem terrae. Quae ábiit, et fecit juxta verbum Elíae: et comédit ipse, et illa, et domus ejus: et ex illa die hydria farínae non defécit, et lécythus ólei non est imminútus, juxta verbum Dómini, quod locútus fúerat in manu Elíae.

℟. Abiit múlier, et fecit juxta verbum Prophétae: * Et comédit ipse, et illa, et domus ejus.

℣. Ex illa die hydria farínae non defécit, et lécythus ólei non est imminútus juxta verbum Elíae. Et comédit.

Lectio III.

Factum est áutem post haec, et aegrotávit fílius mulíeris matris famílias, et erat languor fortíssimus, ita ut non remanéret in eo hálitus. Dixit ergo ad Elíam: quid mihi, et tibi vir Dei? Ingréssus es ad me, ut rememoraréntur iní-

quitátes meae, et interficeres filium meum? et ait ad eam Elías; da mihi filium tuum. Tulítque eum de sinu ejus, et portávit in coenáculum, ubi ipse manébat, et pósuit super léctulum suum. Et clamávit ad Dóminum, et dixit: Dómine Deus meus, étiamne víduam, apud quam ego utcúmque susténtor, afflixísti, ut interficeres filium ejus? Et expándit se, atque mensus est super púerum tribus vícibus, et clamávit ad Dóminum, et ait: Dómine Deus meus, revertátur, óbsecro, ánima púeri hujus in víscera ejus. Et exaudívit Dóminus vocem Elíae, et revérsa est ànima púeri intra eum, et revíxit.

℟. Revérsa est anima púeri intra eum, et revíxit, et trádidit matri suae, et ait illi: * En vivit filius tuus.

℣. Tulit Elías púerum, et depósuit eum in inferiórem domum, dicens. En vivit. Glória Patri. En vivit.

IN II. NOCTURNO.

Ant. Factum est verbum Dómini ad Elíam, dicens: vade, et osténde te Acab, ut dem plúviam super fáciem terrae.

Ant. Ait Elías ad Achab: Ascénde, cómede, et bibe, quia sonus multae plúviae est.

Ant. Manus Dómini facta est super Elíam, accintísque lumbis currébat ante Achab, donec veníret in Jézrael.

℣. Tu ungis Reges ad poeniténtiam.

℟. Et Prophètas facis successóres post te.

Ex Libro sancti Epiphánii Epíscopi.

Lectio IV.

De Vitis Prophetarum.

Elías Prophéta ex Thesbis existébat e Continénte Arabum, de Tribu Aaron Levítae. Morabátur áutem in Gálaad: quóniam Thesbis erant aedes Sacerdótibus consecrátae, ac destinátae. Quem cum eniterétur parens ejus, ejúsmodi Sabae patri vísio appáruit. Viri níveum quemdam praeseferéntes hábitum, pusiónem salutábant, matrísque ubéribus in ignem evellébant, quin et flammam ignis cibi loco ministrábant. Proféctus est ítaque in Jerúsalem génitor, vísaque ad Sacerdótes rétulit. Respóndit áutem illi Chrematísmus, hoc est Oráculum, sive Respónsor: Cave maniféstum fácias: erit quippe lumen fílii hujus domicílium, sermòque ejus demonstrátio, ac sentèntia, et judicábit Israel cum igne, tum romphaea. Hic

est ille Elías, qui ter ignem e coelo dedúxit: quippe imbrem sua lingua gestávit, mórtuos item suscitávit, et in coelum dénique nimbo, seu túrbine ignis assúmptus est.

℟. Ait Abdías ad Elíam: cum recéssero a te, Spíritus Dómini asportábit te in locum, quem ego ignóro, et tu dicis: * Dic Dómino tuo: Adest Elías.

℣. Dixit Elías: Vivit Dóminus exercítuum, ante cujus vultum sto, quia hódie apparébo ei. Dic Dómino.

Ex Libro sancti Isidóri Epíscopi.

Lectio V.

De Vita et morte Sanctorum.

Elías, qui interpretátur Dóminus Deus, Thesbítes, Sacérdos magnus, atque Prophéta, habitátor solitúdinis, fide plenus, devotióne summus, in labóribus fortis, indústria solers, excellénti ingénio praeditus, in exercitatióne disciplínae rectus, in sancta meditatióne assíduus, metúque mortis intrépidus. Verberávit tyránnos, sacrílegos interfécit, multísque signis virtútum effúlsit, triénnii siccitáte cláusit ímbribus coelum. Orávit rursum, et coelum dedit plúvias. Mórtuum mulíeris fílium suscitávit. Cujus virtúte hydria farínae non defécit, et vas ólei perpétuo fonte manávit. Cujus verbo super sacrifícium ignis de coelo venit. Duos quinquagenários cum milítibus coelésti igne combússit, Jordánem tránsiens tactu melótis abrúpit aquas.

℟. Cum venísset Elías ad portam civitátis, appáruit ei múlier vídua, cólligens ligna, et vocávit eam, dixítque ei: * Da mihi páululum aquae in vase, ut bibam.

℣. Cumque illa pérgeret, ut afférret, clamávit post tergum ejus dicens: Affer mihi óbsecro, et buccéllam panis in manu tua. Da mihi.

Lectio VI.

Post haec ígneo curru in coelum raptus ascéndit, ventúrus, juxta Malachíam Prophétam, in fine mundi, praecursúrus Christum, annuntiatúrus últimum ejus advéntum cum magnis virtútibus, prodigiísque signórum, ita ut bellum gerat Antichrístus advérsus eum, et Henoch, qui cum eo ventúrus est, et occídet eos. Cadávera vero eórum tribus diébus, et sex horis in platéis insepúlta jacébunt. Dehinc suscitáti a Dómino regnum Antichrísti

plaga magna percútient. Post haec véniet Dóminus, et interficiet Antichrístum gládio oris sui, et eos, qui adoravérunt eum, et regnábit Dóminus cum ómnibus Sanctis suis in aetérnum.

℟. Expándit se, atque mensus est Elías super púerum tribus vícibus, et clamávit ad Dóminum: * Et exaudívit Dóminus vocem Elíae.

℣. Dómine Deus meus revertátur, óbsecro, ánima púeri hujus in víscera ejus. Et exaudívit. Glória Patri. Et exaudívit.

IN III. NOCTURNO.

Ant. Dixit Elías Prophétis Baal: elígite vobis bovem unum, et invocáte nómina deórum vestròrum: qui clamábant; et non erat qui respondéret.

Ant. Cum jam tempus esset, ut offerrétur holocáustum, accédens Elías orávit ad Dóminum.

Ant. Oránte Elía cécidit ignis Dómini, et vorávit holocáustum, et ligna, et lápides, pulverémque, et aquam, quae erat in aquaedúctu lambens.

℣. Beáti sunt, qui te vidérunt.

℟. Et in amicítia tua decoráti sunt.

Léctio Sancti Evangélii secúndum Matthaeum.

Lectio VII. Cap. 17.

In illo témpore: Assúmpsit Jesus Petrum, et Jacóbum, et Joánnem fratrem ejus, et duxit illos in montem excélsum seórsum, et transfigurátus est ante eos. Et réliqua.

Homilía sancti Joánnis Chrysóstomi.

Hom. 57. *in Matth. paulo post princ.*

Cujus áutem rei grátia Móysen, et Elíam prodúxit? Multas quidem dícere quis cáusas possit. Primum quóniam et turbae, álii Elíam, álii Jeremíam, álii priscórum Prophetárum unum opinabántur: idcírco Móysen, et Elíam caeterórum Prophetárum vértices prodúcit, et quam magnum sit inter servos, et dóminum discrímen óculis cérnerent, utque recte laudátum créderent Petrum qui fílium Dei eum conféssus est. Deínde quóniam assídue quasi transgressórem legis Judaei accusábant, et blasphemàre putábant, quasi glóriam Patris nihil ad eum

pertinéntem vindicárent. Dicébant enim: Hic non est a Deo, quia Sábbatum non servat: et rursus: De bono ópere non lapidámus te, sed cum sis homo, Deum te facis: ut ipsa re monstrarétur, quia ex invídia haec criminabántur, quia néutri horum críminum subjicerétur, nec legis praevaricátor esset, nec aliénam glóriam sibi acquíreret, aequálem se Patri faciéndo; eos prodúxit in médium, quorum altéruter in altérutra istárum rerum praefúlsit. Móysi enim legem dedit; quare non fuísset passus Móyses conculcári legem, ut Judaei credébant; nec praevaricatórem ejus, et legum latóri hostem, lator ipse unquam coluísset; Elías áutem pro glória Dei zelávit: quare non adstitísset ei, qui aequálem se Patri dicébat, si non esset, nec paruísset illi qui sibi, quod non habébat, vindicáret.

℟. Ait Elías núntiis Regis Samaríae: numquid non est Deus in Israel, ut eátis ad Beelzébub? Quamóbrem haec dicit Dóminus: * De léctulo, super quem ascendísti, non descéndes, sed morte moriéris.

℣. Revérsi núntii ad Ochozíam dixérunt: Vir occúrrit nobis dicens: Ite et revertímini ad Regem, et dirétis ei. De léctulo.

Lectio VIII.

Ad haec ómnia illud étiam póssumus dícere, ut tam mortis, quam vitae habére potestátem líquido, ac vere crederétur; utque supernórum, et infernórum Dóminus ostenderétur; idcírco Móysen jam mórtuum, et Elíam, qui nondum id passus est, in médium prodúxit. Quartam vero cáusam Evangelísta quoque ipse tétigit. Quaenam ígitur illa est? Ut Crucis glóriam osténdat, et tam Petrum, quam réliquos, qui passiónem formidábant, consolarétur, et ad sublímius erígeret. Non enim tacébant, inquit, sed loquebántur de glória, quam completúrus erat in Jerúsalem, de cruce vidélicet, ac passióne: sic enim ipsam semper appellábat.

* Accédit ad haec ómnia virtus quoque virórum singuláris atque praecípua, quam máxime a discípulis flagitábat. Nam quóniam dixit: Si quis vult post me veníre, tollat crucem suam, et sequátur me; hac de cáusa eos, qui cénties pro Dei praeceptórum custódia, et pópuli, qui sibi créditus fúerat, mortem suscepíssent, in médium prodúcit, quorum utérque cum ánimam perdíderit, invénit eam. Atque sane magna libertáte

advérsus tyránnos loquúti sunt; alter advérsus Ægyptum, alter advérsus Achab: et quod magnum est pro ingrátis homínibus, et inobediéntibus, a quibus in atrócia perícula compúlsi sunt: qui etsi priváti, ac absque potestáte fúerant, propósitum tamen habuérunt ab Idolórum cultu pópulum erípere: quorum alter tardus lingua, et voce ténuis, alter étiam áliquo modo rustícior, et utérque saeculárium divitiárum apprime contémptor. Nam neque Móyses quidquam possidébat, nec Elías praeter melótem áliquid habébat: praesértim cum véteris essent Testaménti, nec tanta grátia signórum pollérent.

℟. Factum est, dum tólleret Dóminus Elíam per túrbinem in coelum, * Elisaeus clamábat dicens: Pater mi, pater mi, currus Israel, et auríga ejus.

℣. Cumque pérgerent, et incedéntes sermocinaréntur: ecce currus ígneus, et equi ígnei, divisérunt utrúmque, et ascéndit Elías per túrbinem in coelum. Elisaeus. Glória Patri. Elisaeus.

IX. Lect. de S. Praxede V. ut in Brev. sed si transferat., de VIII. Lect. fiunt duae ab asterisco. Postea Te Deum.

AD LAUDES

ET PER HORAS.

Ant. Elías, dum zelat zelum legis, recéptus est in coelum.

Psalm. Dóminus regnavit, *cum reliq. de Laud. Dom.*

Ant. Factum est áutem, cum leváre vellet Dóminus Elíam per túrbinem in coelum, ibant Elías, et Elisaeus de Gálgalis.

Ant. Tulit Elías pállium suum, et percússit aquas, et divísae sunt, et transiérunt ambo per siccum.

Ant. Cum Elías, et Elisaeus pérgerent, et incedéntes sermocinaréntur, ecce currus ígneus, et equi ígnei divisérunt utrúmque.

Ant. Ascéndit Elías per túrbinem in coelum: Elisaeus áutem vidébat, et clamábat: pater mi, currus Israel, et auríga ejus.

Capitulum

Eccl. 48.

Surréxit Elías Prophéta quasi ignis: et verbum ipsíus quasi fácula ardébat. Qui indúxit in pópulos famem, et irritántes illum invídia sua páuci facti sunt.

Hymnus.

Te, magne rerum cónditor,

Mens nostra gliscit láudibus
In hoc Tbesbíte máximo,
Quem díligis extóllere.
Hic namque sacri nóminis
Tui zelátor próvocat.
Vates Baal nequíssimos,
Victósque jure intérficit.
Illo precánte víctimas
Absúmit ignis coelitus:
Hi perstrepéntes ácriter
Sunt ómnibus ludíbrio.
Tum Jezabélis ímpiae.
Vitans furórem nóxium,
Sub junípero dórmiens
Adésse cernit Angelum.
Panem sibi qui próferens
Lymphámque, jussit pérgere
Cibo replétum strénue.
Ad montis Horeb vérticem.
Hoc in cibo jejúnium
Tulit quadragenárium;
Hac vi dapes sunt praeditae,
Quas dextra Dei pórrigit.
Omnis tibi sit glória.
Verbum, Pater, Paráclite,
Inseparáta Trínitas,
Quae condidísti ómnia.
Amen.

℣. Elías in túrbine tectus est.

℟. Et in Elisaeo complétus est spíritus ejus.

AD BENEDICTUS.

Ant. Elías homo erat símilis nobis, passibilis, et oratióne orávit, ut non plúret super terram, et non pluit annos tres, et menses sex. Et rursum orávit, et coelum dedit plúviam, et terra dedit fructum suum.

ORATIO.

Praesta, quaesumus. omnípotens Deus, ut qui beátum Elíam Prophetam tuum ígneo curru mirabíliter elevátum esse crédimus, eódem interveniénte ad coeléstia sublevémur, et Sanctórum tuórum consórtio gaudeámus. Per Dóminum.

AD TERTIAM

Ant. Factum est autem.

Capitulum

Surréxit Elías. *Ut supra.*

℟. *breve* Verbo dómini contínuit coelum. Verbo.

℣. Et dejécit de coelo ignem ter. Continuit. Glória Patri Verbo.

℣. Tu ungis Reges ad poeniténtiam.

℟. Et Prophétas facis successóres post te.

AD SEXTAM

Ant. Tulit Elías.

Capitulum

Eccl. 48.

Verbo Dómini contínuit

coelum, et dejécit ignem ter: sic amplificátus est Elías in mirabílibus suis.

℟. *breve*, Tu ungis Reges * ad poeniténtiam. Tu.

℣. Et Prophétas facis successóres post te. Ad. Glória Patri. Tu.

℣. Beáti sunt, qui te vidérunt.

℟. Et in amicítia tua decoráti sunt.

AD NONAM

Ant. Ascéndit Elías.

Capitulum.

Eccl. 48.

Tu sustulísti mórtuum ab ínferis, de sorte mortis in verbo Dómini Dei. Qui scriptus es in judíciis témporum leníre iracúndiam Dómini.

℟. *breve.* Beáti sunt, * Qui te vidérunt. Beáti.

℣. Et in amicítia tua decoráti sunt. Qui te. Glória Patri. Beáti.

℣. Elías in túrbine tectus est.

℟. Et in Elisaeo complétus est spíritus ejus.

IN II. VESPERIS.

Omnia ut in primis praeter sequentia.

℣. Beáti sunt, qui te vidérunt.

℟. Et in amicítia tua decoráti sunt.

AD MAGNIFICAT.

Ant. Tulit Elías pállium suum, et percússit aquas Jordánis, quae divísae sunt in utrámque partem, et transiérunt ipse, et Elisaeus per siccum: et ascéndit Elías per túrbinem in coelum.

Oratio. Praesta quaesumus.

DIE XXIV. JULII.

In Festo S. CHRISTINAE V. ET M. Duplex.

Omn. de Com. VV. et MM. praeter ea quae sequuntur.

In utrisq. Vesp. et Laudib.

Capitul.

Eccles. 51.

Confitébor tibi Dómine Rex, et collaudábo te Deum Salvatórem meum. Confitébor nómini tuo: quóniam adjútor et protéctor factus es mihi, et liberásti corpus meum a perditióne.

ORATIO.

Omnípotens sempitérne Deus, qui infirma mundi éligis, ut fórtia quaeque con-

fúndas; concede propítius, ut qui beátae Christínae Vírginis, et Mártyris tuae solémnia cólimus, ejus apud te patrocínia sentiámus. Per Dóminum.

IN I. NOCTURNO.

Lectiones de Script. occurr.

IN II. NOCTURNO.

Lectio IV.

Christína nóbilis virgo Tyri in Hetrúria apud Lacum Vulsínum éthnicis paréntibus nata, a téneris annis Christiánam fidem suscépit. Ad Dómini sui amórem, falsorúmque deórum ódium ádeo exársit, ut annum agens undécimum idóla áurea, et argéntea, quae Urbánus pater domi colébat comminuérit, fragméntaque, paupéribus erogáverit. Quare commótus Urbánus, qui et praeses erat, filiae constántiam, ut ad superstitiònem suam illam pertráheret, primum blandítiis, et précibus aggréssus est. Mox, cum id frustra foret, ad suum tribúnal addúci, atque álapis primum pérculi, deínde verbéribus caedi, postrémo ferro, et caténis onústam in tetrum cárcerem detrúdi jussit. A quo rursus ad torménta evocáta in equúleo acerbíssime contorquétur, tum úngulis, et scorpiónibus ádeo crudéliter laceráta est, ut concísae in frusta carnes ad terram dilaberéntur.

℟. Propter veritátem.

Lectio V.

His torméntis nihil proficiens immánis pater, rotam parári jubet, eíque alligátum vírginis corpus subjécto igne torréri. Sed cum flamma exórto vento in multitúdinem paganórum, quae circumáderat, agerétur, eorúmque plúrimos mirabíliter consumpsísset; Christína in cárcerem rursus conjícitur, ibíque ab Angelo visitáta prístinae sanitáti restitúitur. Urbánus vero inhumánius ob haec mirácula ad caedam saeviens, ut filia ingénti praegraváta saxo in lacum mergerétur imperávit. In lacum cum fuísset demèrsa, ab Angelo, cui vírginis custódiam demandáverat Deus, ex aquárum profúndo mirabíliter edúcta est. Cumque nova, et acerbióra torménta ad constántiam filiae labefactándam ipsíus pater meditarétur, repentína morte corréptus vivéndi finem, et saeviéndi fecit.

℟. Dilexísti justítiam.

Lectio VI.

Urbáno praesidi mórtuo Dion succéssit, qui multis íterum exquisítis torméntis vírginem aggréssus in cunas férreas subjécto igne candéntes, atque óleo, pice et resína liquátis plenas eam immísit, diúque infandíssime morári fecit. In eo supplício illésae caput abráditur, quod in capíllis maleficia latére praeses putáret; cujus jussu; ad simulácrum Apóllinis ut illi thus offérret, pertrácta est, quod tamen, Christína oránte, cóncidens in cíneres est redáctum. Hoc miráculo tria círciter hóminum míllia ad Christi fidem convérsa sunt; praeséque horróre corréptus expirávit. Illíus succéssor Juliánus in fornácem ardéntem illam conjécit, ubi quinque diébus, parcénte flamma permánsit. Tandem post superátos maleficórum serpéntes, post abscíssam linguam, sagittásque toto córpore infixas Diocletiáno Imperatóre martyrii cursum gloriosíssime confécit, ac de tribus tyránnis úndecim annórum adolescéntula felicíssime triumphávit.

℟. Afferéntur Regi.

IN III. NOCTURNO.

Lectiones de Comm. Virg. primo loco. IX. lect. de Hom. vig. ut in brev.

AD TERTIAM.

Capit. Confitébor *ut supr. in Vesper.*

AD SEXTAM

Capitulum.

Eccl. 51.

Liberásti me secúndum multitúdinem misericórdiae nóminis tui a rugiéntibus, praeparátis ad escam, de mánibus quaeréntium ánimam meam, et de multis tribulatiónibus, quae circumdedérunt me.

AD NONAM

Capitulum.

Eccl. 51.

Laudábit usque ad mortem ánima mea Dóminum: quóniam éruis sustinéntes te, et líberas eos de manu angústiae, Dómine Deus noster.

DIE XXX. JULII

In Metrop. SS. Abdon, et Sennen *Mart.* Duplex.

Oratio ut in Breviario.

Lect. 1. *noct. de Scrip. occurr.* 4. *pr. ut in Brev.* 5. *et* 6. Quotiescúmque *de Com. MM.* 1. *loc.*

IN III. NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthaeum.

Lectio VII.

Cap. 5.

In illo témpore: Videns Jesus turbas, ascéndit in montem; et cum sedísset, accessérunt ad eum discípuli ejus. Et réliqua.

De Homilía sancti Augustíni Epíscopi.

Ex Libro 1. *de Serm. Domini in Monte.*

Cap. 1. *e.* 2.

Nec aliúnde omníno incípere opórtuit beatitúdinem, quam a paupertáte spíritus; síquidem perventúra est ad summam sapiéntiam. Inítium áutem sapiéntiae, timor Dómini: quóniam et e contrário, inítium omnis peccáti supérbia scríbitur. Supérbi áutem áppetunt, et díligunt regna terrárum. Beáti mites: quóniam ipsi haereditáte possidébunt terram. Illam credo terram, de qua in Psalmo dícitur: Spes mea es tu, pórtio mea in terra vivéntium. Signíficat áutem quamdam solíditátem, et stabilitátem haereditátis perpétuae, ubi ánima per bonum afféctum, tamquam loco suo requiéscit, sicut corpus in terra; et inde cibo suo álitur, sicut corpus ex terra: ipsa est réquies, et vita sanctórum. Mites áutem sunt, qui cedunt improbitátibus, et non resístunt malo, sed vincunt in bono malum.

℟. Propter testaméntum.

Lectio VIII.

Beáti lugéntes, quóniam ipsi consolabúntur. Luctus est tristítia de amissióne charórum: convérsi áutem ad Deum, ea, quae in hoc mundo chara amplectebántur, amíttunt. Non enim gáudent his rebus, quibus ante gaudébant: et donec fiat in illis amor aeternórum, nonnúlla maestítia sauciántur. Consolabúntur ergo Spíritu sancto, qui máxime proptérea Paráclytus nominátur, idest, consolátor: ut temporália amitténtes, aetérna laetítia perfruántur.

℟. Sancti mei.

Lectio IX.

Beáti qui esúriunt, et sítiunt justítiam, quóniam ipsi saturabúntur. Jam istos a-

malóres dicit veri, et inconcússi boni. Illo ergo cibo saturabúntur, de quo ipse Dóminus dicit: Meus cibus est, ut fáciam voluntátem Patris mei, quod est justítia: et illa aqua, de qua quisquis bíberit, ut idem dicit, fiet in eo fons aquae saliéntis in vitam aetérnam. Beáti misericórdes; quóniam ipsórum miserébitur Deus. Beátos esse dicit, qui subvéniunt míseris; quod eis ita repénditur, ut de miséria liberéntur.

Te Deum laudámus.

FESTA AUGUSTI.

DIE II. AUGUSTI.

In Festo S. Stephani *Papae et Mart* Duplex.

Omnia de Commun. unius Mart. praeter ea, quae sequuntur.

ORATIO.

Deus, qui nos beáti Stéphani Mártyris tui, atque Pontíficis ánnua solemnitáte laetíficas: concéde propítius, ut cujus natalítia cólimus, de ejúsdem étiam protectióne gaudeámus. Per Dóminum.

IN I. NOCTURNO.

Lect. de Script occ.

IN II. NOCTURNO.

Lectio IV.

Stéphanus Július filius Románus, beáti Cornélii Papae, et mártyris Archidiáconus, ac post Lúcium ejúsdem succéssor, Valeriáno, et Galliéno imperántibus, difficíllimis tempóribus Románam rexit Ecclésiam. Novatiános, lapsis omnem ad poeniténtiam áditum intercludéntes, véluti infestíssimos Christiánae pietátis hostes pontifícia auctoritáte damnávit, Marciáno Arelaténsi eorúmdem in Gállia antesignáno Episcopáli Sede dejécto. Cum pleríque sanctitáte ac doctrína insígnes Epíscopi, in Asia, atque Africa coáctis Synodis, baptizátos ab Haeréticis, ac deínde ad Cathólicam Fidem accedéntes, íterum salutáribus undis abluéndos esse sanxíssent, Stéphanus Apostólicae traditiónis assértor, erróneam illórum senténtiam gravíssimis rescríptis damnávit, sancto Cypriáno scribens: Nihil innovétur, nisi quod tráditum est. Quod Stéphani decrétum univérsa póstea Ecclésia secúta est; idémque contra Donatístas sanctus Augustínus sólide propugnávit.

℟. Honéstum.

Lectio V.

De Christiána Religióne augénda sollícitus, plúrimos ad Christi fidem convértit, in iis Olympium Tribúnum cum uxóre Exupéria, et filio Theodúlo. Item Nemésium Tribúnum cum tota família, óculis Lucíllae ejus filiae restitútis; qui omnes Jesu Christi mártyres fuérunt. Idem semel centum et octo et íterum álios septuagínta promíscui sexus ab Idolórum superstitióne ad Christi cultum addúctos, baptizávit. Sed veheménter jam jam ingravescénte persecutióne imperatórum, Stéphanus, convocáto Clero, ad martyrium suos hortabátur, in cryptísque Mártyrum assídue Missas, et Concília celebrábat. Qui cum aliquándo raptus esset ab infidélibus ad templum Martis, ut ei sacrificáret, líbere negávit, se daemónibus eum honórem velle tribúere, qui uni Deo deberétur. Quibus in verbis Martis státua terraemótu cóncidit, templúmque contrémuit. Quare ómnibus aufugiéntibus, qui Stéphanum tenébant, Póntifex ad suos revértitur in coemetérium Lucínae.

℟. Desidérium ánimae.

Lectio VI.

Cum vero Stéphanus assíduis conciónibus, uti próxime dato exémplo jam fécerat, ad Christiánam Religiónem inter saeviéntis persecutiónis procéllas servándam, fidéles hortarétur, eósque divínis praecéptis instrúeret; dum Missárum solémnia pérficit, adveniéntibus íterum Imperatórum satellítibus, ei in sua sede caput abscínditur. Corpus cum eádem sede, conspérsa Mártyris sánguine, a Cléricis sepúltum est in coemetério Callísti quarto Nonas Augústi. Vixit in Pontificátu annos tres, menses tres, dies vigínti duos. Hábuit ordinatiónes duas mense Decémbri, quibus creávit Presbyteros sex, Diáconos quinque, Epíscopos tres. Erga quem beátum Pontíficem singulári devotióne permótus Cosmus Médices Primus Magnus Dux, institútum ab se sacrum Equitum Ordinem, de ejúsdem sancti Stéphani nómine nuncupávit, quem a Pio Quarto anno Dómini millésimo quingentésimo sexagésimo primo approbátum: successóres quoque Románi Pontífices insígnibus privilégiis cumulárunt. Cosmus ítidem Tértius Magnus Dux et Equitum magí-

ster, solémni supplicatióne beáti Stéphani relíquiis in príncipe Equitum Ecclésia Pisis collocátis, ejúsdem Offícium sub ritu dúplici minóri in suis ditiónibus recitándum ab Innocéntio Undécimo Pontífice Máximo obtinuit: quod póstea Alexánder Octávus Póntifex Máximus cum própriis lectiónibus in Ecclésiis Equéstris Ordinis, ac ab Equítibus Sacerdótibus uti de Patróno persolvéndum indúlsit.

℟. Stola jucunditátis.

IN III. NOCTURNO.

Homilia in Evangel. Si quis vult post me veníre, *de Com. unius Mart. 2. loco.*

DIE IX. AUGUSTI.

In Festo B. JOANNIS A SALERNO *Conf. Ordinis Praedicatorum.* Duplex minus.

Omnia de Com. Conf. non Pont. praec. seq.

ORATIO.

Deus, qui in fidei increméntum beátum Joánnem Confessórem verbi tui praecónem exímium effecísti: ejus nobis intercessióne largíre; ut quod corde crédimus ad justítiam, ore ad salútem confiteámur. Per Dóminum.

IN I. NOCTURNO.

Lectiones de Scriptura occurrente.

IN II. NOCTURNO.

Lectio IV.

Joánnes Salérni gente Quarna véterum Normannórum ortus, Bonóniae in Fratrum Praedicatórum famíliam cooptátus est, ejúsque de manu beáti Domínici vestes suscépit. Ipso duce et magístro tantum in sémita virtútis, et religiósae perfectiónis profécit, ut missis ab eódem sancto Fundatóre ad propagándum per Etrúriam Ordinem duódecim probatíssimis viris: Joánnem, etsi junióris aetátis tunc fuísse mérito cónjici possit, praefécerit. Sanctíssimi Patris praecéptis obtémperans, cum sóciis conténdit Floréntiam versus, ac Rípulis tértio ferme ab ea lápide primum cónstitit in domo a pio cive Florentíno illis paráta prope Sacéllum, quod éxtrui is ipse curáverat. Inde vir sanctus quotídie in urbem véniens, jugi verbi Dei praedicatióne, ac morum in-

nocéntia arctíssime sibi devínxit ánimos Florentinórum qui pérditos in viam salútis redíre, réliquos áutem in bono confirmári illíus hortaméntis, atque mónitis perspiciébant. Verum qui rem civitátis públicam tunc moderabántur animadverténtes, incómmodum eídem esse, quod síngulis diébus summo mane Floréntiam pérgere, et véspere ad hospítium Ripulitánum remeáre debéret, de loco in quo intra urbis moenia una cum sóciis dégere posset, ei providéndo cogitárunt. Itaque primum ad sancti Pancrátii, dein ad sancti Páuli, ac demum ad sanctae Maríae Novéllae, seu Vineárum rite fuit eis domicílium constitútum.

℟. Honéstum.

Lectio V.

Hoc in loco piórum largitiónibus sacra Aede amplificáta, constructóque Coenóbio novi Praedicatóres Floréntiae vívere coepérunt arctióri legum sui Ordinis observántia. Exémplo suo cunctis Joánnes praéibat. Assídua cibi potúsque abstinéntia, despiciéntia et castigatióne sui, quotidiáno oratiónis stúdio, rerum divinárum contemplatióne, quam ad plures horas, noctu praesértim, ducébat, fervénti devotióne, ac caeremoniárum observatióne diligentíssima dum Sacris operarétur, caeteríisque virtútibus, quae hóminem cum primis decent aliórum regímini praeféctum, ad sui imitatiónem, atque puriórem reguláris disciplínae cultum sodáles magnópere excitábat. Córporis animíque cástitas potíssimum in eo excélluit: qua sane quantum praestáret, miro prorsus modo Deus vóluit esse perspícuum. Síquidem cum ab impudíca muliére frustra tentátus relátam de immúndo spíritu ab se victóriam singulári humilitáte celáre niterétur, daemon ipse, Deo ita jubénte, per os energúmeni rem totam palam fecit negans, se líberum hóminem aliquándo dimissúrum, nisi is, qui inter flammas innóxius permánserat, se inde expélleret; vocatóque Dei fámulo, ad ipsíus nutum, aegrum multum discérpens, ílico discéssit. His, aliísque ab eo praecláre gestis, grátia quoque curatiónum, qua ferunt a Deo fuísse donátum factum est, ut plures pietáte, nobilitáte géneris, doctrínae fama, Ecclesiasticísque dignitátibus fulgéntes viri ab illo in Ordinem récipi postulárent, reque ipsa fúerint recépti: quos inter unus sán-

guine Christiánam fidem sancívit, duo áutem conspícuis fuérunt deínde Itáliae Ecclésiis praepósiti.

℟. Amávit eum.

Lectio VI.

Instánte óbitu sancti Domínici, Bonóniam perréxit, ut Parénti óptimo filii obsequéntis, atque amantíssimi extréma exhibéret officia. Floréntiam inde redux in haeréticos Paterénos, exitiálem Manichaeórum sóbolem, Ecclésiae aeque ac Reipúblicae statum perturbántes, cum id a Gregório Nono Románo Pontífice ipsi fuísset demandátum insúrgens eórum audáciam fregit, atque contuméliis, ac probris, quibus illum ab incoepto deterrére conabántur fórtiter tolerátis, cathólicam fidem egrégie tutátus est. Ejúsdem Pontíficis jussu opus reformatiónis apud Mónachos sancti Anthími Clusínae Dioecésis strénue promóvit. In aedibus Ripulárum, ubi primo suo in Hetrúriam advéntu conséderat, sacrárum Vírginum Collégium instítuit sub sui Ordinis régula. Innúmeris demum pro Ecclésiae bono, fideíque increménto perfúnctum labóribus, post administrátam ad plures annos ingénti cum suórum, tum cívium proféctu Coenóbii sanctae Maríae Novéllae praefectúram, dies última excépit, quam laetus aspéxit: Fratrésque, quos de suo óbitu ántea monúerat, ad vitae sanctimóniam, atque ad vota sua Deo fidéliter reddénda cohortátus, Sacris Ecclésiae expiátus, sanctíssime excéssit. Ad ejus sepúlchrum frequens coepit fieri concúrsus populórum, illíus opem implorántium, seque eam adéptos profiténtium, ac eídem cultum deferéntium Beatórum. Quem cultum ad haec usque témpora continénter propagátum Pius Sextus Póntifex Máximus Apostólica auctoritát probávit, et de beáto Joánne festum cum Officio, et Missa ab univérso Ordine Fratrum Praedicatórum celebrári benígne concéssit.

℟. Iste homo.

IN III. NOCTURNO.

De Com. 1. *loc.*

DIE XI. AUGUSTI.

In Festo S. PHILUMENAE *Virg. et Mar.* Dupl.

Omnia de Communi V. et M. 1. *loc. or.* Deus qui inter caetera.

IN I. NOCTURNO.

Lect. de Script. occurr.

IN II. NOCTURNO.

Lectio IV.

Inter caetera Mártyrum sepúlchra, quae in Coemetério Priscíllae ad viam saláriam reperíri solent, illud éxtitit, quo repósitum fúerat sanctae Philuménae Corpus uti ex túmuli inscriptióne tribus latérculis appósita perlegebátur. Licet vero invénta ibídem fúerit phíala sánguinis, et ália inscúlpta conspiceréntur Martyrii insígnia, doléndum tamen est res ab eádem gestas, áctaque, ac genus martyrii, quod ipsa fecit, obscúra perstitísse. Caeterum ubi primum sacrum hoc corpus ex beneficéntia Pii Séptimi inítio Pontificátus ejus accéptum, cúltui fidélis pópuli propósitum fuit Mugnáni in Noléna Dioecési, ingens íllico famae celébritas, ac relígio erga sanctam Mártyrem percrébuit praesértim ob signa, quae ejúsdem praesídio accessísse úndique ferebántur. Hinc factum est, ut complúrium Antístitum, cultorúmque mártyris postulatiónibus permótus Gregórius Décimus Sextus Póntifex Máximus, univérsa rei ratióne matúre perpénsa, festum ejúsdem cum officio, et missa in memoráta Nolána Dioecési, et álibi agéndum benígne permíserit.

Lectio V. et VI. Sermo S. Ambrosii Episc. Quóniam hódie natális etc. *quae sunt IV. et V. de Comm. 1. loc.*

IN III. NOCTURNO.

Lect. de eod. Comm. 1. loc.

DIE XIV. AUGUSTI
ASS. EX 2. HUJ.

In Festo S. ALPHONSI MARIAE DE LIGORIO. *Ep. et Conf.* Duplex.

Omn. de Com. CC. PP. Méruit suprémos.

ORATIO

Deus qui per beátum Alphónsum Maríam Confessórem tuum atque Pontíficem animárum zelo succénsum Ecclésiam tuam nova prole foecundásti, quaesumus ut ejus salutáribus mónitis edócti, et exémplis roboráti ad te perveníre felíciter valeámus. Per Dóminum.

IN I. NOCTURNO.

Lect. de Scrip. occ.

IN II. NOCTURNO.

Lectio IV.

Alphónsus María de Ligório Neápoli nobílibus paréntibus natus, ab ineúnte aetáte non obscúra praebuit sanctitátis indícia. Eum adhuc infántem cum paréntes obtulíssent sancto Francísco de Hierónymo a Societáte Jesu, is bene precátus edíxit eúmdem ad nonagésimum usque annum perventúrum, ad Episcopálem dignitátem evéctum iri, maximóque Ecclésiae bono futúrum. Jam tum a puerítia a ludis abhórrens nóbiles ephébos ad christiánam modéstiam verbo, et exémplo componébat. Adoléscens, dato piis Sodalitátibus nómine, in públicis Nosocomíis aegrótis inservíre, jugi in templis oratióni vacáre, ac sacra Mystéria frequénter obíre in delíciis habébat. Pietátem litterárum stúdiis ádeo conjúnxit, ut séxdecim vix annos natus utriúsque Juris láuream in pátria universitáte fúerit assecútus. Patri obtémperans causárum patrocínia suscépit, in quo múnere obeúndo etsi magnam sibi láudem comparásset, fori tamen perícula expértus, ejúsmodi vitae institútum ultro dimísit. Spreto ígitur praecláro conjúgio sibi a patre propósito, avíta primogenitúra abdicáta, et ad aram Vírginis de Mercéde ense suspénso, divínis ministériis se mancipávit. Sacérdos factus tanto zelo írruit in vítia, ut apostólico múnere fungens, huc illuc pérvolans ingéntes perditórum hóminum conversiónes perágeret. Páuperum praesértim, et ruricolárum miserátus Congregatiónem Presbyterórum instítuit sanctíssimi Redemptóris, qui ipsum Redemptórem secúti per agros, pagos, et castélla paupéribus evangelizárent.

℟. Invéni.

Lectio V.

Ne áutem a propósito unquam divérteret perpétuo se voto obstrínxit nullam témporis jactúram faciéndi. Hinc animárum zelo succénsus tum divíni verbi praedicatióne, tum scriptis sacra eruditióne et pietáte refértis, ánimas Christo lucrifácere, et ad perfectiórem vitam addúcere stúduit. Mirum sane quot ódia extínxerit, quot dévios ad rectum salútis iter revocáverit. Dei Genitrícis cultor exímius de illíus láudibus librum édidit, ac de iis, dum

fervéntius concionándo dísserit, a Vírginis imágine in eum immísso miro splendóre totus fácie coruscáre, et in éxtasim rapi coram univérso pópulo non semel visus est. Domínicae Passiónis, et sacre Eucharistíae contemplátor assíduus ejus cultum mirífice propagávit. Dum vero ad ejus aram oráret, vel Sacrum fáceret, quod numquam omísit pro amóris veheméntia, vel seráphicis liquescébat ardóribus, vel insólitis quatiebátur mótibus, vel abstrahebátur a sénsibus. Miram vitae innocéntiam, quam ulla umquam letháli labe foedávit pari cum poeniténtia sócians corpus suum inédia, férreis caténulis, cilíciis, cruentáque flagellatióne castigábat. Inter haec prophetíae, et scrutatiónis córdium, bilocatiónis, et miraculórum donis incláruit.

℟. Pósui.

Lectio VI.

Ab Ecclesiásticis dignitátibus sibi oblátis constantíssime abhórruit. At Cleméntis Décimi tértii Pontíficis auctoritáte coáctus sanctae Agathe Gothórum Ecclésiam gubernándam suscépit. Epíscopus extérnum dumtáxat hábitum non áutem sevéram vivéndi ratiónem immutávit. Eadem frugálitas, summus Christiánae disciplínae zelus, impénsum in vítiis coercéndis arcendísque erróribus, et in réliquis pastorálibus munéribus obeúndis stúdium. Liberális in páuperes omnes Ecclésiae provéntus iísdem distribuébat, et urgénte annónae caritáte ipsam doméstícam suppelléctilem in aléndis famélicis erogávit. Omnibus ómnia factus sanctimoniáles ad perfectiórem vivéndi formam redégit, suaeque Congregatiónis Moniálium Monastérium constituéndum curávit. Episcopátu ob graves, habituálésque morbos dimísso, ad alúmnos suos, a quibus páuper discésserat, revértitur páuper. Demum quamvis sénio, laboribusque, diutúrna arthrítide, aliísque gravíssimis morbis fractus córpore, spíritu tamen alácrior de coeléstibus rebus disseréndi, aut scribéndi finem numquam adhíbuit, donec nonagenárius Kaléndis Augústi anno millésimo septingentésimo octogésimo séptimo Nucériae Paganórum inter suórum alumnórum lácrymas placidíssime expirávit. Eum inde virtútibus, et miráculis clarum Pius Séptimus Póntifex Máximus anno millésimo octingentésimo décimo sexto Beatórum fastis, novísque fulgén-

tem signis Gregórius Decimus Sextus in festo Sanctíssimae Trinitátis Anno millésimo octingentésimo trigésimo nono solémni ritu Sanctórum cathálogo accénsuit.

℟. Iste est qui.

IN III. NOCTURNO.

Homilia S. Gregorii Papae in Evangel. Designávit Dóminus et álios etc. *ut in Communi Evangelistarum cum* ℟℟. *de Communi Conf. Pont.*

DIE XVI. AUGUSTI.

In Festo S. Rochi *Conf.* Duplex.

ORATIO.

Pópulum tuum, quaesumus Dómine, contínua pietáte custódi, et beáti Rochi suffragántibus méritis, ab omni fac ánimae, et córporis contagióne secúrum. Per Dóminum.

Lectiones I. Noct. de Scr. occurr.

IN II. NOCTURNO.

Lectio IV.

Rochus in monte Pessuláno natus, quanta in próximum charitáte flagráret, tum máxime osténdit, cum saevíssima peste longe, latéque per Itáliam grassánte, pátria relícta, Itálicam peregrinatiónem suscépit. Urbes, et óppida péragrans, seípsum in aegrotántium obséquium impéndere, animámque suam pro frátribus pónere, non dubitávit. Quod beáti viri stúdium, quam gratum Deo fúerit, miris sanatiónibus declarátum fuit. Complúres enim pestiléntia inféctos e mortis perículo signo crucis erípuit, et íntegrae sanitáti restítuit. In pátriam revérsus, virtútibus et méritis dives sanctíssime óbiit, ejúsque óbitum statim subsecúta est venerátio fidélium, quae in Constantiénsi deínde Concílio magnum recepísse dícitur increméntum, cum ad propulsándam ingruéntem luem, Rochi imágo solémni pompa, omni comitánte pópulo, per eámdem civitátem, Epíscopis approbántibus, est deláta. Itaque ejus cultus mirífice propagátus est in univérso terrárum orbe qui eúmdem sibi apud Deum advérsus contagiósam luem patrónum religióso stúdio adoptávit. Quibus accuráte perpénsis Urbánus Octávus, Póntifex Máximus, ut ejus dies festus iis in locis, in quibus forent Ecclésiae sancti Rochi nómi-

ne Deo dicátae, Officio Ecclesiástico celebrarétur indúlsit.

℟. Honéstum fecit.

Ex Tractátu sancti Augústini Epíscopi in Epístolam Jóannis.

Lectio V.

Tract. 5. in cap. 3.

Perfécta ista cháritas est, ut parátus sis mori pro fratre. Hanc ipse Dóminus in se exhíbuit mórtuus pro ómnibus, orans pro eis, a quibus crucifigebátur, et dicens: Pater, ignósce illis, quia nésciunt quid fáciunt: sed si solus hoc fecit, non erat Magíster, si discípulos non habébat. Si quis tantam habúerit charitátem, ut parátus sit pro frátribus étiam mori, perfécta est in illo cháritas: Sed numquid mox, ut náscitur, jam prorsus perfécta est? Ut perficiátur, náscitur, cum fúerit nata nutrítur, cum fúerit nutríta corroborátur, cum fúerit roboráta perfícitur, cum ad perfectiónem vénerit, quid dicit? Mihi vívere Christus est, et mori lucrum: optábam dissólvi, et esse cum Christo; multo enim magis óptimum, manére in carne necessárium propter vos. Propter eos volébat vívere, pro quibus parátus erat mori.

℟. Amávit eum.

Lectio VI.

Haec est perféctio charitátis, et major omníno non potest inveníri: sed quia non in ómnibus perfécta est, et desperáre non debet, in quo perfécta non est si jam nata est, quae perficiátur, et útique si nata est, nutriénda est, et quibúsdam suis nutriméntis ad perfectiónem própriam perducénda. Quaesívimus inchoatiónem charitátis unde incípiat, et ibi contínuo invénimus: si quis habet facultátes mundi, et víderit fratrem suum egéntem, et cláuserit víscera sua advérsus eum, quómodo diléctio Patris manet in illo? Ergo hic íncipit ista cháritas, fratres, ut de suis supérfluis tríbuat egénti in angústiis alíquibus constitúto, ex eo quod sibi abúndat secúndum tempus, a tribulatióne temporáli líberet fratrem: hinc exórdium est charitátis. Hanc ita coeptam, si verbo Dei, et spe futúrae vitae nutríeris, pervénies ad illam perfectiónem, ut parátus sis ánimam tuam pónere pro frátribus tuis.

℟. Iste homo.

IN III. NOCTURNO.

Homilia in Evang. Nolíte timére *de Comm. Conf. non Pont. 2. loc.*

DIE XX. AUGUSTI.

Sexta infr. oct. Assumptionis B. M. V. sem.

IN I. NOCTURNO.

De Cánticis Canticórum.

Lectio I.

cap. 2.

Ego flos campi, et lílium convállium. Sicut lílium inter spinas, sic amíca mea inter fílias. Sicut malus inter ligna silvárum, sic diléctus meus inter fílios. Sub umbra illíus, quem desideráveram, sedi: et fructus ejus dulcis gútturi meo. Introdúxit me in cellam vináriam, ordinávit in me charitátem. Fulcíte me flóribus, stipáte me malis: quia amóre lángueo. Laeva ejus sub cápite meo, et déxtera illíus amplexábitur me. Adjúro vos fíliae Jerúsalem per cápreas cervósque campórum, ne suscitétis, neque evigiláre faciátis diléctam, quodúsque ipsa velit.

℟. Vidi speciósam sicut colúmbam, ascendéntem désuper rivos aquárum: cujus inaestimábilis odor erat nimis in vestiméntis ejus: * Et sicut dies verni circúmdabant eam flores rosárum et lília convállium.

℣. Quae est ista, quae ascéndit per desértum sicut vírgula fumi, ex aromátibus mirrhae et thuris? Et sicut.

Lectio II.

Vox diléctí mei, ecce iste venit sáliens in móntibus, transíliens colles: símilis est diléctus meus cápreae, hinnulóque cervórum. En ipse stat post paríetem nostrum, respíciens per fenéstras, prospíciens per cancéllos. En diléctus meus lóquitur mihi: Surge, própera amíca mea, colúmba mea, formósa mea, et veni. Jam enim hiems tránsiit, imber ábiit, et recéssit. Flores apparuérunt in terra nostra, tempus putatiónis advénit: vox túrturis audíta est in terra nostra: ficus prótulit grossos suos: víneae floréntes dedérunt odórem suum.

℟. Sicut cedrus exaltáta sum in Líbano, et sicut cypréssus in monte Sion: quasi myrrha elécta, * Dedi suavitatem odóris.

℣. Et sicut cinnamómum et bálsamum aromatízans. Dedi.

Lectio III.

Surge, amíca mea, speciósa mea, et veni: colúmba mea in foramínibus petrae in cavérna macériae, osténde mihi fáciem tuam, sonet vox tua

in áuribus meis: vox enim tua dulcis et fácies tua decóra. Cápite nobis vulpes párvulas, quae demoliúntur víneas: nam vínea nostra flóruit. Diléctus meus mihi, et ego illi, qui páscitur inter lília, donec aspíret dies et inclinéntur umbrae. Revértere; Símilis esto, dilécte mi, cápreae hinnulóque cervórum super montes Bether.

℟. Quae est ista, quae processit sicut sol et formósa tamquam Jerúsalem ? * Vidérunt eam fíliae Sion et beátam dixérunt, et regínae laudavérunt eam.

℣. Et sicut dies verni circúmdabant eam flores rosárum, et lília convállium. Vidérunt. Glória Patri. Vidérunt.

IN II. NOCTURNO.

De Sermóne sancti Joánnis Damascéni.

Lectio IV.

Orat. 2. de dormit. Deipare.

Jubilémus in Arca Dómini Dei toto ánimo, et muri cadent Jeruchuntíni, contrariárium, inquam, potestátum inféstae munitiónes. Cum David exultémus spíritu: Arca enim Dómini hódie requiévit. Clamémus cum Gabriéle, qui primum locum óbtinet inter Angelos: Ave grátia plena, Dóminus tecum; Ave gáudii pélagus inexháustum: Ave únicum molestiárum levámen: Ave ómnium cordis dolórum medicaméntum. Ave sancta Virgo, per quem mors quidem fuit expúlsa, vita áutem introdúcta.

℟. Ornátam monílibus fíliam Jerúsalem Dóminus concupívit: * Et vidéntes eam fíliae Sion, beatíssimam praedicavérunt, dicéntes; Unguéntum effusum nomen tuum.

℣. Astitit Regína a dextris tuis in vestítu deauráto circúmdata varietáte. Et vidéntes.

Lectio V.

Tu vero, o sacrórum sepulchrórum sacratíssimum, post Dómini, quidem sepúlchrum, quod vitae dedit princípium, quod fuit fons resurrectiónis: tecum enim loquar tamquam cum animáto. Ubi nam est áurum illud purum, quod manus Apostolórum in te condidérunt? Ubi divítiae, quae consúmi néqueunt? Ubi pretiósus ille thesáurus, qui vitam suscépit? Ubi novum volúmen, in quo ineffabíliter Deus verbum sine manu inscríptum fuit? Ubi abyssus gratiae, ubi

pélagus curatiónum? Ubi est desiderábile illud Deíparae Vírginis corpus?

℟. Beátam me dicent omnes generatiónes: * Quia fecit mihi Dóminus magna, qui potens est, et sanctum nomen ejus.

℣. Et misericórdia ejus a progénie in progénies timéntibus eum. Quia fecit.

Lectio VI.

Quid quaeritis in sepúlchro eam, quae ad coeléstia tabernácula translàta est? Cur a me custódiae ratiónem expóscitis? Non possum ergo divínis jussis resístere. Sacrosánctum illud corpus, quod mihi quoque sanctitátem impertívit, ac pretiosíssimi unguénti fragrántia me replévit, et divínum templum effécit, relíctis sindónibus, ábiit raptum sublíme, comitántibus Angelis, Archángelis et ómnibus coeléstibus poténtiis. Nunc me circúmdant Angeli, nunc divína in me hábitat grátia. Ego evási officína medicínae aegrotántibus: ego fons perénnis curatiónum: ego remédium advérsus daemones: ego cívitas refúgii ómnibus ad me confugiéntibus.

℟. Beáta es Virgo María, quae Dóminum portásti Creatórem mundi: * Genuísti qui te fecit, et in aetérnum pérmanes Virgo.

℣. Ave María, grátia plena Dóminus tecum. Genuísti. Glória Patri. Genuísti.

IN III. NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio VII.

Cap. 10.

In illo témpore: Intrávit Jesus in quoddam castéllum et múlier quaedam, Martha nómine, excépit illum in domum suam. Et réliqua.

Homilía sancti Augustíni Epíscopi.

Ex Serm. 27. de verbis Domini.

Quid áutem? Putámus reprehénsum esse ministérium Marthae, quam cura hospitalitátis occupáverat, quae ipsum Dóminum hospítio recéperat? quómodo recte reprehendebátur, quae tanto hóspite laetabátur? Hoc si verum est, dimíttant hómines, quod minístrant egéntibus: éligant sibi partem meliórem, quae non auferétur ab eis: vacent verbo, ínhient doctrínae dulcédiní, occupéntur circa scién-

tiam salutárem: nihil eis curae sit, quis peregrínus in vico jáceat, quis égeat pane, quis induméntо, quis visitándus, quis rediméndus, quis sepeliéndus: vacent ópera misericórdiae, uni instétur sciéntiae.

℟. Diffúsa est grátia in lábiis tuis: * Proptérea benedíxit te Deus in aetérnum.

℣. Myrrha, et gutta, et cásia a vestiméntis tuis, a dómibus ebúrneis, ex quibus te delectavérunt filiae regum in honóre tuo. Proptérea.

Lectio VIII.

Si mélior pars est, cur non omnes hoc fáciunt, quod ipsum Dóminum in hac cáusa patrónum habémus? Non enim timémus in hac re, ne offendámus ejus justítiam, cum patrónam teneámus ejus senténtiam. Et tamen ita non est: sed sicut dixit Dóminus ita est. Quómodo intélligis, non est ita? Est áutem, quómodo intellígere débeas: ecce advérte. Circa multa es occupáta, quando unum est necessárium. María meliórem partem elégit: non tu malam, sed illa meliórem. Sed unde meliórem? Quia tu circa multa, illa circa unum. Praepónitur unum multis: non enim a multis unum, sed multa ab uno.

℟. Beáta es Virgo María, Dei Génitrix, quae credidísti Dómino, perfécta sunt in te, quae dicta sunt tibi: ecce exaltáta es super choros Angelórum: * Intercéde pro nobis ad Dóminum Deum nostrum.

℣. Ave María grátia plena: Dóminus tecum. Intercéde. Glória Patri. Intercéde.

Lectio IX.

Multa sunt quae facta sunt: unus est, qui fecit, coelum, et terram, mare et ómnia quae in eis sunt, quam multa sunt! quis ista enúmeret? quis honorum multitúdinem cógitet? quis haec fecit? Deus ómnia. Ecce bona valde. Bona valde quae fecit; quanto mélior est, qui fecit? Attendámus ígitur occupatiónes nostras circa multa. Necessárium est ministérium córpora refectúris. Quare hoc? quia esurítur, quia sitítur. Misericórdia míseris necessária est. Frangis panem esuriénti quia invenísti esuriéntem. Tolle famem, cui frangis panem? Tolle peregrinatiónem; cui éxhibes hospitalitátem? Tolle nuditátem, cui praestás vestem? Non sit aegritúdo; quem ví-

sitas? Non sit captívitas, quem rédimis? Non sit rixa; quem concórdas. Non sit mors; quem sépelis? In illo saeculo futúro non erunt ista mala; ergo nec ista ministéria.

Te Deum laudámus.

DIE XXI. AUGUSTI.

Septima die infra octavam ASSUMPTIONIS B. M. V.

IN I. NOCTURNO.

De Cánticis Canticórum

Lectio I.

Cap. 7.

Quid vidébis in Sulamíte nisi choros castrórum? Quam pulchri sunt gressus tui in calceaméntis, filia príncipis! Junctúrae fémorum tuórum, sicut monília, quae fabricáta sunt manu artíficis. Umbilícus tuus crater tornátilis, numquam índigens póculis. Venter tuus sicut acérvum trítici, vallátus líliis. Duo úbera tua, sicut duo hínnuli gemélli cápreae. Collum tuum sicut turris ebúrnea. Oculi tui sicut piscínae in Hésebon, quae sunt in porta filiae multitúdinis. Nasus tuus sicut turris Líbani, quae réspicit contra Damáscum. Caput tuum ut Carmélus: et comae cápitis tui, sicut púrpura regis vincta canálibus.

℟. Vidi speciósam. *Cum aliis ut die praec.*

Lectio II.

Quam pulchra es, et quam decóra, charíssima in delíciis! Statúra tua assimiláta est palmae, et úbera tua botris. Dixi: Ascéndam in palmam, et apprehéndam fructus ejus; et erunt úbera tua sicut botri víneae: et odor oris tui sicut malórum. Guttur tuum sicut vinum óptimum, dignum dilécto meo ad potándum, labiísque et déntibus illíus ad ruminándum.

Lectio III.

Ego dilécto meo, et ad me convérsio ejus. Veni dilécte mi, egrediámur in agrum, commorémur in villis. Mane surgámus ad víneas, videámus si flóruit vínea si flores fructus partúriunt, si floruérunt mala púnica: ibi dabo tibi úbera mea. Mandrágorae dedérunt odórem. In portis nostris ómnia poma: nova et vétera, dilécte mi, servávi tibi.

IN II. NOCTURNO.

Sermo sancti Bernárdi Abbatis.

Lectio IV.

Tempus loquéndi est omni carni, cum assúmitur Verbi mater in coelum: nec cessáre debet a láudibus humána mortálitas, cum hóminis sola natúra super immortáles spíritus exaltátur in Vírgine. Sed de ejus glória nec silére devótio pátitur, nec dignum áliquid stérilis concípere cogitátio, aut inerudíta potest locútio parturíre. Hinc est, quod et ipsi coeléstis cúriae príncipes in consideratióne tantae novitátis clamant non sine admiratióne: Quae est ista, quae ascéndit de desérto; delíciis áffluens? *Serm. 4. de Assumpt.*

Lectio V.

Ac si maniféstius dicant: Quanta est haec, et unde ei ascendénti útique de desérto, affluéntia tanta deliciárum? Nec enim pares inveniúntur delíciae vel in nobis, quos in civitáte Dómini laetíficat flúminis ímpetus, qui a vultu glóriae voluptátis glória potámur. Quae est ista, quae de sub sole (ubi nihil est, nisi labor et dolor, et afflíctio spíritus) ascéndit delíciis spirituálibus áffluens? Quidni delícias díxerim virginitátis decus cum múnere foecunditátis, humilitátis insígne, distillántem charitátis favum, misericórdiae víscera, plenitúdinem grátiae, praerogatívam glóriae singuláris?

Lectio VI.

Ascéndens ígitur de desérto Regína mundi étiam Angelis sanctis, ut canit Ecclésia, speciósa facta est et suávis in delíciis suis. Desígnant tamen desérti hujus mirári delícias: quia Dóminus dedit benignitátem et terra nostra dedit fructum suum. Quid mirántur de terra desérta Maríam ascéndere delíciis affluéntem? Miréntur pótius páuperem Christum de coeléstis regni plenitúdine descendéntem. Longe enim amplióri miráculo dignum vidétur, Dei Fílium páulo minus ab Angelis minorári, quam Dei matrem super Angelos exaltári. Illíus síquidem exinanítio, facta est replétio nostra: illíus miseríae mundi delíciae sunt. Dénique cum dives esset, propter nos páuper factus est, ut nos ejus inópia ditarémur.

IN III. NOCTURNO.

Léctio Sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio VII.

Cap. 10. *g.*

In illo témpore: Intrávit Jesus in quoddam castéllum: et múlier quaedam Martha nómine, excépit illum in domum suam. Et réliqua.

De Homilía sancti Augustíni Epíscopi.

Ex Serm. 27. de Verbis Domini.

Remansérunt ergo in illa domo, quae suscéperat Dóminum, in duábus féminis duae vitae, ambae innocéntes, ambae laudábiles. Una laborióa, áltera otiósa, nulla facinorósa, nulla desidiósa. Ambae innocéntes, ambae inquam laudábiles: sed una laborióa, áltera otiósa, nulla facinorósa, quam cavére debet laborióa: nulla desidiósa, quam cavére debet otiósa.

Lectio VIII.

Erant ergo in illa domo istae duae vitae, et ipse fons vitae. In Martha erat imágo praeséntium: in María futurórum. Quod agébat Martha, ibi sumus: quod agébat María hoc sperámus. Hoc agámus bene, ut illud habeámus plene. Nam quid inde habémus, in quantum habémus? Quámdiu hic sumus, quantum est quod inde habémus? Nam et modo inde áliquid ágimus: remóti a negótiis, sepósitis familiáribus curis, convenístis, statis, audítis.

Lectio IX.

In quantum hoc ágitis, Maríae símiles estis. Et facílius vos inténditis quod agit María, quam ego praerogo. Si quid tamen dico, Christi est. Ideo vos pascit Christus, quia panis commúnis est, unde et ego vobíscum vivo. Nunc áutem vívimus, si vos fratres statis in Dómino. Nolo in nobis, sed in Dómino: quia neque qui plantat, est áliquid, neque qui rigat: sed, qui increméntum dat, Deus.

Te Deum laudámus.

DIE XXIII. AUGUSTII.

In Festo S. PHILIPPI BENITII *Conf. Flor.* Dupl. 2. cl.

Omn. ut in Brev. cum lect.

1. *n. de Com.* 2. *loc.* Beátus vir, *et cum* 9. *l. et com. vig.*

DIE XXVI. AUGUSTII.

In Festo S. HYACINTHI C. *Ass. ex* 16. *huj.* Duplex.

Omn. ut in Brev. 16. *huj. cum* 9. *l. et com. S. Zephirini Pp. M.*

DIE XXVII. AUGUSTI.

In Festo S. JOSEPHI CALASANCTII *Conf.* Duplex.

Omnia de Comm. Conf. non Pont. praeter ea, quae sequuntur.

In hymn. Iste Conféssor *dicatur* Méruit Suprémos.

ORATIO.

Deus, qui per sanctum Joséphum Confessórem tuum ad erudiéndam spíritu intelligéntiae, ac pietátis juventútem, novum Ecclésiae tuae subsídium providére dignátus es; praesta quaesumus, nos ejus exémplo, et intercessióne ita fácere, et docére, ut praemia consequámur aetérna. Per Dóminum.

IN I. NOCTURNO.

Lectiones de Script. curr.

IN II. NOCTURNO.

Lectio IV.

Joséphus Calasánctius a Matre Dei Petráltae in Aragónia nóbili génere natus, a téneris annis futúrae in púeros charitátis, et eórum institutiónis indícia praebuit. Nam adhuc párvulus eos ad se convocátos in mystériis Fídei, et sacris précibus erudiébat. Humánis, divinísque lítteris egrégie doctus, cum stúdiis Theológicis Valéntiae óperam daret, nóbilis potentísque féminae illécebris fórtiter superátis, virginitátem quam Deo vóverat, inoffénsam insígni victória servávit. Sacérdos ex voto factus, a compluribus Epíscopis in Castéllae Novae, Aragóniae, et Catalauniae regnis in partem labóris adscítus: expectatiónem ómnium vicit, pravis ubíque móribus emendátis, Ecclesiástica disciplína restitúta, inimicítiis, cruentísque factiónibus mirífice extínctis. At coelésti visióne, et Dei voce frequénter admónitus Romam proféctus est.

℟. Honéstum.

Lectio V.

In urbe summa vitae asperitáte, vigíliis, et jejúniis cor-

pus affligens in oratiónibus, et coeléstium rerum contemplatióne dies noctésque versabátur, septem ejúsdem Urbis Ecclésias síngulis fere nóctibus obíre sólitus: quem inde morem complúres annos servàvit. Dato piis sodalitátibus nómine, mirum quanto ardóre páuperes, infirmos potíssimum, aut carcéribus deténtos eleemósynis, omníque pietátis officio subleváret. Lue urbem depopulánte, una cum sancto Camíllo, tanto fuit actus ímpetu charitátis, ut praeter subsídia aegròtis paupéribus large colláta, ipsa étiam defunctórum cadávera suis húmeris tumulánda transférret. Verum cum divínitus accepísset, se ad informándos intelligéntiae, ac pietátis spíritu adolescéntulos, praecípue páuperes destinári, Ordinem Clericórum Regulárium Paúperum Matris dei Scholárum Piárum fundávit, qui peculiárem curam circa puerórum eruditiónem ex próprio Institúto profiteréntur: ipsúmque Ordinem a Cleménte Octávo, Páulo Quinto, aliísque Summis Pontifícibus magnópere probátum, brevi témpore per plúrimas Európae Províncias, et Regna mirabíliter propagávit. In hoc áutem tot labóres perpéssus est, ac tot aerúmnas invícto ánimo tolerávit, ut ómnium voce miráculum fortitúdinis, et sancti Jobi exémplum dicerétur.

℟. Amávit eum.

Lectio VI.

Quamvis Ordini univérso praeesset, totísque víribus ad animárum salútem incúmberet, numquam tamen intermísit púeros, praesértim pauperióres, erudíre, quorum scholas vérrere, eósque domum comitári consuévit. In eo summae patiéntiae, et humilitátis múnere, valetúdine étiam infirma, duos et quinquagínta annos perseverávit: dignus proptérea, quem crebris Deus miráculis coram discípulis illustráret, et cui Beatíssima Virgo cum púero Jesu, illis orántibus benedicénte, apparéret. Amplíssimis interim dignitátibus repudiátis, prophétia, ábdita córdium, et abséntia cognoscéndi donis, et miráculis clarus, Deíparae, Vírginis quam singulári pietáte et ipse ab infántia cóluit, et suis máxime commendávit, aliorúmque Coelitum frequénti apparitióne dignátus, cum óbitus sui diem, et Ordinis tunc prope evérsi restitutiónem, atque increméntum praenunciásset, secúndum et nonagésimum annum agens, Romae obdormívit in Dómino octávo Kalén-

das Septémbris, anno millésimo sexcentésimo, quadragésimo octávo. Ejus Cor, et Lingua post saeculum íntegra, et incorrúpta repérta sunt. Ipse vero multis post óbitum quoque signis a Deo illustrátus, primum a Benedícto Decimoquárto Beatórum cultu decorátus fuit, ac deínde a Cleménte Decimotértio inter Sanctos solémniter est relátus.

℞. Iste homo.

IN III. NOCTURNO.

Léctio Sancti Evangélii secúndum Matthaeum.

Lectio VII.

Cap. 18.

In illo témpore: Accessérunt Discípuli ad Jesum dicéntes: Quis putas, major est in regno coelórum? Et réliqua.

Homilía sancti Joánnis Chrysóstomi.

In Cap. 18. *Matth. Hom.* 60.

Vidéte, ne áliquem istórum contempséritis parvulórum, quia eórum Angeli Patris mei fáciem semper aspíciunt, et quia ego propter eos veni, et haec Patris mei volúntas est. Ad tuéndos, conservandósque pusíllos diligentióres nos reddit. Pérspicis quam ingéntia in tutélam tenúium moenia eréxerit, et quantum stúdium, curámque hábeat, ne perdántur, tum quia suprémas decipiéntibus eos poenas státuit, tum quia summam pollicétur mercédem his, qui curam eórum suscípiunt, idque tam suo, quam Patris exémplo corróborat.

℞. Iste est.

Lectio VIII.

Dóminum ígitur étiam nos imitémur, et nihil pro frátribus omittámus étiam eórum, quae humília, víliaque nìmium videántur; sed si administratióne nostra étiam opus fúerit, quamvis ténuis, atque abjéctus quidem, cui administrándum sit, fúerit; quamvis árdua nobis res, atque labóris plena esse videátur, ómnia haec pro fratris salúte tolerabilióra facilióraque, oro, videántur. Tanto enim stúdio, tantáque cura Deus dignam esse ánimam osténdit, ut neque Fílio suo pepércerit.

℞. Sint lumbi vestri.

Lectio IX.

Si non est nobis satis ad salútem quod virtuóse ipsi

vivámus, sed opórtet aliórum salútem re ipsa desideráre: cum neque nos recte vivámus, neque álios hortémur, quid respondébimus? quae nobis spes salútis réliqua erit? Quid majus quam ánimis moderári, quam adolescentulórum fingere mores? Omni certe pictóre, omni certe statuário, coeteríisque hujúsmodi ómnibus excellentiórem hunc duco, qui júvenum ánimos fingere non ignóret.

Te Deum.

DIE XXX. AUGUSTI.

In Festo S. ROSAE A S. MARIA *Virg. Limanae.* Duplex.

Omnia de Communi Virginum, praeter ea, quae assignantur propria.

ORATIO.

Bonórum ómnium largítor omnípotens Deus, qui beátam Rosam coeléstis grátiae rore praevéntam, virginitátis, et patiéntiae decóre Indis floréscere voluísti: da nobis fámulis tuis, ut in odórem suavitátis ejus curréntes, Christi bonus odor éffici mereámur: Qui tecum vivit.

Et fit com. SS. Felicis, et Adaucti Mart. ut in Breviario.

IN I. NOCTURNO.

Lectiones de Scriptura occurr.

IN II. NOCTURNO.

Lectio IV.

Primus Américae Meridionális flos sanctitátis virgo Rosa, Christiánis paréntibus Limae progénita, mox ab incunábulis cláruit futúrae sanctimóniae indíciis: nam vultus infántis mirabíliter in rosae effigiem transfigurátus huic nómini occasiónem dedit: cui póstea Virgo Deípara cognómen adjécit, jubens vocári deínceps Rosam a sancta María. Quinquénnis votum perpétuae virginitátis emísit. Adúltior, ne a paréntibus ad núptias cogerétur, clam síbimet venustíssimam cápitis caesáriem praescídit. Jejúniis supra humánum modum addícta, íntegras Quadragésimas transégit pane ábstinens, ac diétim solis quinque gránulis mali cítrini víctitans.

℟. Propter.

Lectio V.

Hábitu Tértii Ordinis sancti Domínici assúmpto, prístinas

vitae austeritátes duplicávit: oblóngo, asperrimóque cilício sparsim minúsculas acus innéxuit: sub velo corónam densis acúleis intrórsus obarmátam intérdiu, noctúque gestávit. Sanctae Catharínae Senénsis árdua premens vestígia, caténa férrea, tríplici nexu circumdúcta, lumbos cinxit. Léctulum sibi e truncis nodósis compósuit; horúmque vácuas commissúras fragmínibus testárum implévit. Céllulam sibi angustíssimam struxit in extrémo horti ángulo, ubi coeléstium contemplatióni dédita, crebris disciplínis, inédia, vigíliis corpúsculum exténuans, at spíritu vegetáta, larvas daemónum, frequénti certámine victrix, impávide potrívit, ac superávit.

℟. Dilexísti justítiam.

Lectio VI.

Aegritúdinum torméntis, domesticórum insúltibus, linguárum mórsibus dire agitáta, nondum satis pro mérito se affligi querebátur. Per quíndecim annos ad plúsculas horas desolatióne spíritus, et ariditáte misérrime contabéscens, forti ànimo tulit agónes omni morte amarióres. Exínde coepit supérnis abundáre delíciis, illustrári visiónibus, colliquéscere seráphicis ardóribus. Angelo tutelàri, sanctae Catharínae Senénsi, Vírgini Deíparae inter assíduas apparitiónes mire familiáris, a Christo has voces audíre méruit: Rosa cordis mei tu mihi sponsa esto. Dénique Sponsi hujus Paradíso felíciter invéctam, plurimísque ante, et post óbitum miráculis corúscam Clemens Décimus Póntifex Máximus Sanctárum Vírginum Catálogo ritu solémni adscrípsit.

℟. Afferéntur regi.

IN III. NOCTURNO.

Ut in Com. vv. 1. *loc. cum* 9. *lect. et com. SS. MM. ut in Brev.*

FESTA SEPTEMBRIS

DOMINICA PROXIMIORI KAL. SEPT., VEL IMMEDIATAE POST. FEST. S. AUGUSTINI.

In Festo B. M. V. DE CONSOLATIONE Duplex majus.

AD VESPERAS.

Ant. Odor etc. *ut in Laud. Psal. ut in Officio parvo B. M. V.*

Capitulum

Isaiae 11.

Egrediétur virga, de radíce

Jesse, et flos de radíce ejus ascéndet, et requiéscet super eum spíritus Dómini.

Hymnus Ave Maris Stella.

℣. Numquid obliviscétur Virgo ornaménti sui?

℟. Aut Sposa fásciae pectorális suae?

AD MAGNIFICAT.

Ant. Sancta María succúrre míseris, juva pusillànimes, réfove flébiles, ora pro pópulo, intérveni pro Clero, intercéde pro devóto foemíneo sexu, séntiant omnes tuum juvámen quicúmque célebrant tuam sanctam Festivitátem.

ORATIO

Dómine Jesu Christe, Pater misericordiárum, et Deus totíus consolatiónis, concéde propítius, ut sicut lumbos praecíncti puríssimam Genitrícem tuam Maríam sub Consolatiónis título gaudéntes venerámur in terris, ita perénni ejúsdem consórtio pérfrui mereámur in coelis: Qui vivis et regnas.

AD MATUTINUM

Invitator. Jesum per Maríam nos consolántem * Veníte, adorémus.

IN I. NOCTURNO.

Antiph. et Psalmi, ut in Officio parvo.

℣. Spécie tua; et pulchritúdine tua.

℟. Inténde, próspere procéde, et regna.

De Cánticis Canticórum.

Lectio I.

Cap. 4.

O quam pulchra es amíca mea, quam pulchra es! Oculi tui columbárum absque eo quod intrínsecus latet. Capílli tui sicut greges caprárum, quae ascendérunt de monte Gálaad. Dentes tui sicut greges tonsárum, quae ascendérunt de lavácro, omnes geméllis foetibus, et stérilis non est inter eas. Sicut vitta coccínea lábia tua, et elóquium tuum dulce. Sicut fragmen mali púnici; ita genae tuae absque eo, quod intrínsecus latet. Sicut turris David collum tuum, quae aedificàta est cum propugnáculis: mille clypei pendent ex ea omnis armatúra fórtium.

℟. Sancta et immaculáta Virgínitas, quibus te láudibus éfferam néscio: * Quia quem coeli cápere non póterant, tuo grémio contulísti.

℣. Benedícta tu in mulié-

ribus, et benedíctus fructus ventris tui. Quia.

Lectio II.

Tota pulchra es, et mácula non est in te. Veni de Líbano, sponsa mea, veni de Líbano, veni: coronáberis de cápite Amana, de vértice Sanir, et Hermon, de cubílibus leónum, de móntibus pardórum. Vulnerásti cor meum soror mea sponsa, vulnerásti cor meum in uno oculórum tuórum, et in uno crine colli tui. Quam pulchrae sunt mammae tuae, soror mea sponsa; Pulchrióra sunt úbera tua vino, et odor unguentórum tuórum super ómnia arómata.

℟. Congratulámini mihi omnes, qui dilígitis Dóminum, quia cum essem párvula plácui Altíssimo, * Et de meis viscéribus génui Deum, et hóminem.

℣. Beàtam me dicent omnes generatiónes, quia Ancíllam húmilem respéxit Deus. Et de meis.

Lectio III.

Favus distíllans lábia tua, sponsa; mel, et lac sub lingua tua: et odor vestimentórum tuórum sicut odor thuris. Hortus conclúsus, soror mea sponsa. hortus conclúsus, fons signátus· Emissiónes tuae Paradísus malórum punicórum cum pomòrum frúctibus. Cypri cum Nardo: Nardus, et Crocus: Fístula, et Cinnamómum cum univérsis lignis Líbani. Myrrha et Aloe cum ómnibus primis unguéntis. Fons hortórum: púteus aquárum vivéntium, quae fluunt ímpetu de Líbano. Surge Aquilo, et veni Auster, perfla hortum meum, et fluant arómata illíus.

℟. Beáta es Virgo Maria, quae Dóminum portásti Creatórem mundi: * Genuísti qui te fecit, et in aetérnum pérmanes Virgo.

℣. Ave María grátia plena, Dóminus tecum. Genuísti.

Glória Patri. Genuísti.

IN II. NOCTURNO.

℣. Adjuvábit eam Deus vultu suo.

℟. Deus in médio ejus non commovébitur.

Sermo sancti Bernárdi Abbátis.

Lectio IV.

Serm. in Dom. infr. oct Assumpt. B. M. V. super sign. magn.

Jure María Sole perhibétur amícta, quae profundíssimam Divínae Sapiéntiae, ultra quam credi váleat, penetrávit abyssum, ut quantum sine personali unióne condítio pátitur, luci illi inaccessíbili videátur immérsa: illo nimírum igne Prophétae lábia purgántur, illo igne Séraphim accendúntur. Longe vero áliter María méruit non summátim tangi, sed operíri magis úndique, et circumfúndi, et tamquam ipso igne conclúdi. Candidíssimus sane, sed et calidíssimus hujus mulíeris amíctus, cujus ómnia tam excellénter irradiáta noscúntur, ut nihil in ea, non dico tenebrósum, sed ne subobscúrum saltem, vel minus lúcidum, sed ne tépidum quidem áliquid, aut non ferventíssimum líceat suspicári.

℟. Sicut cedrus exaltáta sum in Líbano, et sicut cypréssus in monte Sion; quasi myrrha elécta * Dedi suavitátem odóris.

℣. Et sicut cinnamómum, et bálsamum aromatízans. Dedi.

Lectio V.

Múlier amícta Sole. Plane amícta lúmine tamquam vestiménto. Non pércipit forte carnális: nimírum spirituále est: stultítia illi vidétur. Non sic videbátur Apóstolo, qui dicébat: indúimini Dóminum Jesum Christum. Quam familiáris ei facta es Dómina! quam próxima, immo quam íntima fieri meruísti: quantam invenísti grátiam apud eum! In te manet, et tu in eo; et vestis eum, et vestíris ab eo. Vestis eum substántia carnis, et vestit ille te glória suae majestátis. Vestis Solem nube: Sole ipsa vestíris. Novum enim fecit Dóminus super terram, ut múlier circúmdaret virum.

℟. Quae est ista, quae procéssit sicut Sol, et formósa tamquam Jerúsalem? * Vidérunt eam fíliae Sion, et beátam dixérunt, et regínae laudavérunt eam.

℣. Et sicut dies verni circúmdabant eam flores rosárum, et lília convállium. Vidérunt.

Lectio VI.

Te ítaque Mater misericórdiae mediatrícem nobis apud Solem justítiae constitútam devótis supplicatiónibus interpellámus, ut in lúmine tuo videámus lumen, et Solis grátiam tuo mereámur obténtu, quam vere amávit prae ómnibus, et ornávit,

stola glóriae índuens, et corónam pulchritúdinis ponens in cápite tuo. Plena es gratiárum, plena rore coelésti, inníxa super diléctum, delíciis áffluens. Ciba hódie páuperes tuos, Dómina; ipsi quoque catélli de micis edant, nec púero Abrahae tantum, sed et camélis potum tríbuas de supereffluénti hydria tua, quia tu vere puélla es praeelécta: et praeparàta Altíssimi Fílio, cujus divíno instínctu Sanctus Póntifex et Doctor Ambrósius postquam Augustínum sacro Baptísmate expiávit, novum hóminem novis véstibus induit, cucul-láque nigra, et cíngulo ex cório ipse, ut fertur, praecínxit. Hujus áutem sacri Cínguli ornaméntum póstea Relígio Augustiniána semper gestávit in signum devotiónis erga Beátam Vírginem Maríam, sanctum Patrem Augustínum, piámque ejus matrem Mónicam, ita ut Eugénio Quarto adprobánte, fúerit instilúta Sociétas Cincturatórum sanctòrum Augustíni, et Mónicae, et ália símilis sub invocatióne Beátae Maríae Vírginis de Consolatióne, quas Gregórius Decimustértius in unum corpus redégit, ac Sodalítium Cincturatórum Beàtae Maríae Vírginis vóluit appellári; illúdque tum Gregórius ipse, tum multi álii ejus Successóres innúmeris gràtiis, et privilégiis cumulárunt.

℟. Ornátam monílibus Fíliam Jerúsalem Dóminus concupívit, * Et vidéntes eam fíliae Sion beatíssimam praedicavérunt, dicéntes: * Unguéntum, effúsum nomen tuum.

℣. Adstitit Regína a dextris tuis in vestítu deauráto circúmdata varietáte. Et vidéntes. Glória Patri. Unguèntum.

IN III. NOCTURNO.

℣. Elégit eam Deus, et praeelégit eam.

℟. In tabernáculo suo habitáre facit eam.

Lectio Sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio VII.

Cap. 1. *d.*

In illo témpore: Exúrgens María ábiit in montána cum festinatióne in civitátem Juda, et intrávit in domum Zacharíae, et salutávit Elísabeth. Et réliqua.

Homilía sancti Augustíni Epíscopi.

Libro de Praesentia Dei, sive Epist. 187. *alias* 57. *numero* 23.

Haec sunt certe verba Elisabeth matris Joánnis: Beáta tu inter mulíeres; et beátus fructus ventris tui: et unde hoc mihi, ut véniat Mater Dómini mei ad me? Ecce enim ut facta est vox salutatiónis tuae in áuribus meis, exultávit in gáudio Infans in útero meo. Hoc áutem ut díceret, sicut Evangelísta praelocútus est, repléta est Spíritu Sancto, quo procul dúbio reveláute, cognóvit quid illa exultátio significáret Infántis, idest illíus venísse Matrem, cujus praecúrsor ipse et demonstrátor esset futúrus. Pótuit ergo esse ista significátio rei tantae a majóribus cognoscéndae, non a párvulo cógnitae.

℟. Sub tuum praesídium confúgimus, clementíssima Virgo: súscipe nos, única spes nostra, et nostris delectáre láudibus, * Quibus indígni omni te láude digníssimam collaudámus.

℣. Aufer a nobis iniquitátes nostras, ut digni canámus tibi glóriae melos. Quibus.

Lectio VIII.

Nam neque cum hoc ante in Evangélio narrarétur, dictum est: crédidit infans in útero ejus, sed exultávit: neque ipsa dixit: exultávit in fide Infans in útero meo, sed exultávit in gáudio. Vidémus áutem exultatiónem non solum parvulórum, sed étiam pécorum, non útique de áliqua fide, vel religióne, vel qualicúmque rationáli cognitióne veniéntem. * Sed haec plane inusitáta et nova éxtitit, quia in útero, et ad ejus advéntum, quae hóminum Salvatórem fúerat paritúra. Ideo mira, ídeo in magnis signis deputánda. Ideo haec exultátio, et tamquam Matri Dómini réddita resalutátio, sicut solent mirácula fieri, facta est divínitus in Infánte, non humánitus ab Infánte.

℟. Porta coeli, et stella Maris es Virgo María, Regis aetérni Mater, gratos nos redde Fílio tuo * Quia omnis virtus, et decor, et glória ex te respléndent.

℣. Tu véniae vena, tu grátiae Mater, tu spes mundi, exàudi nos clamántes ad te. Quia omnis. Glória Patri. Quia omnis.

Lectio IX. De Homilia Dominicae.

AD LAUDES

ET PER HORAS

Ant. Odor vestimentórum tuórum sicut odor thuris.

Ant. Cíngulo suo confortávit nos, et potestátem suam dedit in manu nostra.

Ant. Justítia cíngulum lumbórum ejus, et fides cinctórium renum ejus.

Ant. Myrrha, et gutta, et cásia a vestiméntis tuis.

Ant. Séntiens vestimentórum illíus fragrántiam, benedíxit nobis Deus noster.

Capitulum

Isaiae 11.
Egrediétur Virga de radíce Jesse, et flos de radíce ejus ascéndet, et requiéscet super eum Spíritus Dómini.

Hymnus. O Gloriósa Vírginum etc.

℣. Benedícta tu in muliéribus.

℟. Et benedíctus fructus ventris tui.

AD BENEDICTUS.

Ant. Quae est ista, quae ascéndit sicut auróra consúrgens, pulchra ut luna, elécta ut sol, terríbilis ut castrórum ácies ordináta?

ORATIO

Dómine Jesu Christe, Pater misericordiárum, et Deus totíus consolatiónis, concéde propítius, ut sicut lumbos praecíncti puríssimam Genitrícem tuam Maríam sub Consolatiónis título gaudéntes venerámur in terris, ita perénni ejúsdem consórtio pérfrui mereámur in coelis, Qui vivis et regnas.

AD PRIMAM

Ant. Odor.

℟. *br.* Qui natus es de María Vírgine.

AD TERTIAM

Cíngulo suo.

Capitulum

Isaiae 11.
Egrediétur Virga de radíce Jesse. *ut supr.*

℟. *br.* Spécie tua, * Et pulchritúdine tua. Spécie.

℣. Inténde, próspere procéde, et regna. Et pulchritúdine tua. Glória Patri. Spécie.

℣. Adjuvábit eam Deus vultu suo.

℟. Deus in médio ejus non commovébitur.

AD SEXTAM

Ant. Justítia cíngulum.

Capitulum

Eccl. 24.
Et sic in Sion firmáta sum,

et in civitáte sanctificáta simíliter requiévi, et in Jerúsalem potéstas mea. Et radicávi in pópulo honorificáto, et in parte Dei mei haeréditas illíus, et in plenitúdine sanctórum deténtio mea.

℟. *br.* Adjuvábit eam, * Deus vultu suo. Adjuvábit eam.

℣. Deus in médio ejus non commovébitur. Deus vultu suo. Glória Patri. Adjuvábit eam.

℣. Elégit eam Deus, et praeelégit eam.

℟. In tabernáculo suo habitáre facit eam.

AD NONAM

Ant. Séntiens vestimentórum.

Capitulum.

Eccl. 24. *b.*

In platéis sicut cinnamómum et bálsamum aromatízans odórem dedi: quasi myrrha elécta dedi suavitátem odóris.

℟. *br.* Elégit eam Deus, * Et praeelégit eam. Elégit. ℣. In tabernáculo suo habitáre facit eam. Et praeelégit eam. Glória Patri. Elégit.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis.

℟. Proptérea benedíxit te Deus in aetérnum.

IN II. VESPERIS.

Omnia ut in primis, praeter Antiph. seq.

AD MAGNIFICAT.

Ant. Sub tuum praesídium confúgimus clementíssima Virgo: súscipe nos, única spes nostra, et nostris delectáre láudibus.

DOMENICA III. SEPTEMBRIS.

Officium SEPTEM DOLORUM B. M. V.

Duplex 2. Class. cum Octava.

AD VESPERAS.

Ant. Quo ábiit diléctus tuus, *cum reliq. de Laudibus ut infra; Psalmi*. Dixit Dóminus, *et reliqui consueti, prout in Officio parvo ejusdem B. M. V.*

Capitulum.

Thren. 2.

Cui comparábo te? vel cui assimilábo te, Fília Jerúsalem? cui exaequábo te, et consolábor te, Virgo fília Sion? magna est velut mare contrítio tua.

Hymnus.

O quot undis lacrymárum,
Quo dolóre vólvitur,
Luctuósa de cruénto
Dum revúlsum stípite,
Cernit ulnis incubántem
Virgo Mater Fílium!
Os suáve, mite pectus,
Et latus dulcíssimum:
Dexterámque vulnerátam,
Et sinístram sáuciam;
Et rubras cruóre plantas
Ægra tingit lácrymis.
Centiésque, milliésque
Stringit arctis néxibus
Pectus illud, et lacértos,
Illa figit vúlnera,
Sicque tota colliquéscit
In dolóris ósculis.
Eja, Mater, obsecrámus
Per tuas has lácrymas,
Filiíque triste funus,
Vulnerúmque púrpuram,
Hunc tui cordis dolórem
Conde nostris córdibus.
Esto Patri, Filióque,
Et coaevo Flámini,
Esto summae Trinitáti
Sempitérna glória,
Et perénnis laus, honórque
Hoc, et omni saeculo. Amen.

℣. Regína Mártyrum, ora pro nobis.

℟. Quae juxta crucem Jesu constitísti.

AD MAGNIFICAT

Ant. Nolíte me consideráre, quod fusca sim, quia de colorávit me sol: filii matris meae pugnavérunt contra me.

ORATIO.

Deus, in cujus passióne, secúndum Simeónis prophetíam, dulcíssimam ánimam gloriósae Vírginis, et Matris Maríae dolóris gládius pertransívit: concéde propítius, ut, qui dolóres ejus venerándo recólimus, passiónis tuae efféctum felícem consequámur. Qui vivis, et regnas.

Deinde fit commem. Dominicae currentis. Hymni Complet. et aliarum Horar. terminantur sic.

Jesu, tibi sit glória,
Qui passus es pro sérvulis;
Cum Patre, et almo Spíritu,
In sempitérna saecula.
Amen.

AD MATUTINUM

Invitator. Stemus juxta Crucem cum María Matre Jesu, * Cujus ánimam dolóris gládius pertransívit

Psalm. Veníte, exultémus.

Hymnus

Jam toto súbitus vesper eat polo,

Et sol attónitum praecípitet
diem,
Dum saevae récolo ludíbrium
necis,
Divinámque catástrophen'
Spectátrix áderas supplício
parens.
Malis uda, gerens cor ada-
mántinum;
Natus funérea péndulus in
Cruce
Altos cum gémitus dabat.
Pendens ante óculos Natus,
atrócibus
Sectus verbéribus; Natus hián-
tibus.
Fossus vulnéribus; quot pe-
netrántibus
Te cónficit acúleis!
Heu! sputa, álapae, vérbe-
ra, vúlnera,
Clavi, fel, áloe, spóngia, láncea,
Sitis, spina, cruor, quam vá-
ria pium
Cor pressére tyránnide!
Cunctis intérea stat gene-
rósior
Virgo Martyribus; prodígio
novo
In tantis móriens non mórе-
ris Parens
Diris fixa dolóribus.
Sit summae Tríadi glória,
laus, honor:
A qua supplíciter, solícita
prece,
Posco Virgínei róboris ae-
mulas
Vires rebus in ásperis.
Amen.

IN I. NOCTURNO.

Ant. Multiplicáti sunt, qui tríbulant me, multi insúrgunt advérsum me.

Psalm. 3.

Dómine, quid multiplicáti sunt qui tríbulant me? * multi insúrgunt advérsum me.

Multi dicunt ánimae meae; * non est salus ipsi in Deo ejus.

Tu áutem, Dómine, suscéptor meus es, * glória mea et exáltans caput meum.

Voce mea ad Dóminum clamávi: * et exaudívit me de monte sancto suo.

Ego dormívi, et soporátus sum: * et exurréxi, quia Dóminus suscépit me.

Non timébo míllia pópuli circumdántis me: * exúrge Dómine, salvum me fac Deus meus.

Quóniam tu percussísti omnes adversántes mihi sine cáusa: * dentes peccatórum contrivísti.

Dómini est salus: * et super pópulum tuum benedíctio tua.

Ant. Multiplicáti sunt, qui tríbulant me, multi insúrgunt advérsum me.

Ant. Paravérunt sagíttas suas in pháretra, ut sagíttent in obscúro rectos corde.

Psalm. 10.

In Dómino confido: quómodo dícitis ánimae meae; * Tránsmigra in montem sicut passer?

Quóniam ecce peccatóres intendérunt arcum, paravérunt sagíttas suas in pháretra, * ut sagíttent in obscúro rectos corde.

Quóniam quae perfecísti destruxérunt: * justus áutem quid fecit?

Dóminus in templo sancto suo, * Dominus in coelo sedes ejus.

Oculi ejus in páuperem respíciunt: * pálpebrae ejus intérrogant filios hóminum.

Dóminus intérrogat justum et ímpium: * qui áutem díligit iniquitátem, odit ánimam suam.

Pluet super peccatóres láqueos, * ignis et sulphur, et spíritus procellárum, pars cálicis eórum.

Quóniam justus Dóminus, et justítias diléxit: * aequitátem vidit vultus ejus.

Ant. Paravérunt sagíttas suas in pháretra, ut sagíttent in obscúro rectos corde.

Ant. Defécit in dolóre vita mea, et anni mei in gemítibus.

Psalm. 30.

In te Dómine sperávi non confúndar in aetérnum in justítia tua líbera me.

Inclína ad me áurem tuam * accélera ut éruas me.

Esto mihi in Deum protectórem, et in domum refúgii * ut salvúm me fácias.

Quóniam fortitúdo mea et refúgium meum es tu: * et propter nomen tuum dedúces me et enútries me.

Edúces me de láqueo hoc, quem abscondérunt mihi: * quóniam tu es protéctor meus.

In manus tuas comméndo spíritum meum * redemísti me Dómine Deus veritátis.

Odísti observántes vanitátes, * supervácue.

Ego áutem in Dómino sperávi; * exultábo et laetábor in misericórdia tua.

Quóniam respexísti humilitátem meam, * salvásti de necessitátibus ánimam meam.

Nec conclusísti me in mánibus inimíci: * statuísti in loco spatióso pedes meos.

Miserére mei Dómine, quóniam tríbulor; * conturbátus est in ira óculus meus, ánima mea, et venter meus.

Quóniam defécit in dolóre vita mea, * et anni mei in gemítibus.

Infirmáta est in paupertáte virtus mea: * et ossa mea conturbáta sunt.

Super omnes inimícos meos factus sum oppróbrium, et vi-

cínis meis valde, * et timor notis meis.

Qui vidébant me, foras fugérunt a me: oblivióni datus sum, tamquam mórtuus a corde.

Factus sum tamquam vas pérditum: * quóniam audívi vituperatiónem multórum commorántium in circúitu.

In eo dum convenírent simul advérsum me: * accípere ánimam meam consiliáti sunt.

Ego áutem in te sperávi, Dómine * dixi, Deus meus es tu: in mánibus tuis sortes meae.

Eripe me de manu inimicórum meórum, * et a persequéntibus me.

Illústra fáciem tuam super servum tuum, salvum me fac in misericórdia tua; * Dómine non confúndar, quóniam invocávi te.

Erubéscant ímpii, et deducántur in inférnum: * muta fiant lábia dolósa.

Quae loquúntur advérsus justum iniquitátem, * in supérbia, et in abusióne.

Quam magna multitúdo dulcédinis tuae Dómine, * quam abscondísti timéntibus te!

Perfecísti eis qui sperant in te, * in conspéctu filiórum hóminum.

Abscóndes eos in abscóndito faciéi tuae, * a conturbatióne hóminum.

Próteges eos in tabernáculo tuo, * a contradictióne linguárum.

Benedíctus Dóminus, * quóniam mirificávit misericórdiam suam mihi in civitáte muníta.

Ego áutem dixi in excéssu mentis meae: * projéctus sum a fácie oculórum tuórum.

Ideo exaudísti vocem oratiónis meae, * dum clamárem ad te.

Dilígite Dóminum omnes sancti ejus, quóniam veritátem requíret Dóminus, et retríbuet abundánter faciéntibus supérbiam.

Viríliter ágite, et confortétur cor vestrum, * omnes qui sperátis in Dómino.

Ant. Defécit in dolóre vita mea, et anni mei in gemítibus.

℣. Regína Mártyrum, ora pro nobis.

℟. Quae juxta Crucem Jesu constitísti.

Ex Jeremía Prophéta.

Lectio I.

Thren. 1.

Plorans plorávit in nocte, et lácrymae ejus in maxíllis ejus, non est qui consolétur eam ex ómnibus charis ejus. Omnes amíci ejus sprevérunt eam, et facti sunt ei inimíci. Vide, Dómine, quoniam tríbulor, conturbátus est venter

meus: subvérsum est cor meum in memetípsa, quóniam amaritúdine plena sum. Foris intérficit gládius, et domi mors símilis est. Audiérunt, quia ingemísco ego, et non est, qui consolétur me.

℟. Símeon vir justus, et timorátus dixit ad Maríam: * Tuam ipsíus ánimam pertransíbit gládius.

℣. Ne vocétis me pulchram, sed amáram, quia amaritúdine valde replévit me omnípotens. Tuam.

Lectio II.

Cui comparábo te? vel cui assimilábo te fília Jerúsalem? cui exaequábo te, et consolábor te, Virgo fília Sion? Magna est enim velut mare contrítio tua: quis medébitur tui? plausérunt super te mánibus omnes transeúntes per viam; sibilavérunt et movérunt caput suum super fíliam Jerúsalem: Haeccine est urbs, dicéntes, perfécti decóris, gáudium univérsae terrae? Aperuérunt super te os suum omnes inimíci tui: sibilavérunt, et fremuérunt déntibus, et dixérunt: Devorábimus.

℟. Surge, et áccipe púerum et matrem ejus, et fuge in Aegyptum: * Et esto ibi, usque dum dicam tibi.

℣. Vocávi Fílium meum ex Aegypto, ut véniat salus in Israel. Et esto.

Lectio III.

Fecit Dòminus, quae cogitávit, complévit sermónem suum, quem praecéperat a diébus antíquis; destrúxit, et non pepércit, et laetificávit super te inimícum, et exaltávit cornu hóstium tuórum. Clamávit cor eórum ad Dóminum super murös fíliae Sion. Deduc quasi torréntem lácrymas per diem, et noctem, non des réquiem tibi, neque táceat pupílla óculi tui.

℟. Fili, quid fecísti nobis sic? * Ego et Pater tuus, * Doléntes quaerebámus te.

℣. Quid est quod me quaerebátis? In his, quae Patris mei sunt opórtet me esse. Ego.

Glória Patri. Doléntes.

IN II. NOCTURNO.

Ant. Factum est cor meum, tamquam cera liquéscens in médio ventris mei.

Psalm. 21.

Deus Deus meus, réspice in me; quare me dereliquísti? * longe a salúte mea verba delictórum meórum.

Deus meus clamábo per diem, et non exáudies: * et nocte, et non ad insipiéntiam mihi.

Tu áutem in sancto hábitas, * laus Israel.

In te speravérunt patres nostri: * speravérunt et liberásti eos.

Ad te clamavérunt, et salvi facti sunt: in te speravérunt, et non sunt confúsi.

Ego áutem sum vermis, et non homo: * oppróbrium hóminum, et abjéctio plebis.

Omnes vidéntes me derisérunt me: * locúti sunt lábiis, et movérunt caput.

Sperávit in Dómino erípiat eum: * salvum fàciat eum quóniam vult eum.

Quóniam tu es, qui extraxísti me de ventre: * spes mea ab ubéribus matris meae. In te projéctus sum ex útero:

De ventre matris meae Deus meus es tu, * ne discésseris a me:

Quóniam tribulátio próxima est: * quóniam non est qui ádjuvet.

Circumdedérunt me vítuli multi: * táuri pingues obsedérunt me.

Aperuérunt super me os suum: * sicut leo rápiens et rúgiens.

Sicut aqua effúsus sum: * et dispérsa sunt ómnia ossa mea.

Factum est cor meum tamquam cera liquéscens: * in médio ventris mei.

Aruit tamquam testa virtus mea, et lingua mea adhaesit fáucibus meis: et in púlverem mortis deduxísti me.

Quóniam circumdedérunt me canes multi: * concílium malignántium obsédit me.

Fodérunt manus meas et pedes meos: * dinumeravérunt ómnia ossa mea.

Ipsi vero consideravérunt et inspexérunt me: * divisérunt sibi vestiménta mea, et super vestem meam misérunt sortem.

Tu áutem Dómine, ne elongáveris auxìlium tuum a me: * ad defensiónem meam cónspice.

Erue a frámea, Deus, ánimam meam: * et de manu canis únicam meam.

Salva me ex ore leónis: * et a córnibus unicórnium humilitátem meam.

Narrábo nomen tuum frátribus meis: * in médio Ecclésiae laudábo te.

Qui timétis Dóminum, laudáte eum: * univérsum semen Jacob glorificáte eum.

Tímeat eum omne semen Israel: * quóniam non sprevit, neque despéxit deprecatiónem páuperis:

Nec avértit fáciem suam a me: * et cum clamárem ad eum, exaudívit me.

Apud te laus mea in Ecclésia magna, * vota mea reddam in conspéctu timéntium eum.

Edent páuperes, et saturabúntur; et laudabunt Dóminum qui requírunt eum: * vivent corda eórum in saeculum saeculi,

Reminiscéntur et converténtur ad Dóminum * univérsi fines terrae.

Et adorábunt in conspéctu ejus * univérsae famíliae Géntium.

Quóniam Dómini est regnum: * et ipse dominábitur Géntium.

Manducavérunt et adoravérunt omnes pingues terrae: * in conspéctu ejus cadent omnes qui descéndunt in terram.

Et ánima mea illi vivet: * et semen meum sérviet ipsi.

Annuntiábitur Dómino generátio ventúra: * et annuntiábunt caeli justítiam ejus, pópulo qui nascétur, quem fecit Dóminus.

Ant. Factum est cor meum, tamquam cera liquéscens in médio ventris mei.

Ant. Deus vitam meam annuntiávi tibi; posuísti lácrymas meas in conspéctu tuo.

Psalm. 55.

Miserére mei Deus, quóniam conculcávit me homo, * tota die impúgnans tribulávit me.

Conculcavérunt me inimíci mei tota die: * quóniam multi bellántes advérsum me.

Ab altitúdine diéi timébo: * ego vero in te sperábo.

In Deo laudábo sermónes meos, in Deo sperávi: * non timébo quid fáciat mihi caro.

Tota die verba mea execrabántur: * advérsum me omnes cogitatiónes eórum, in malum.

Inhabitábunt et abscóndent: * ipsi calcáneum meum observábunt.

Sicut sustinuérunt ánimam meam, pro níhilo salvos fácies illos: * in ira pópulos confrínges.

Deus vitam meam annuntiávi tibi: * posuísti lácrymas meas in conspéctu tuo.

Sicut et in promissióne tua: * tunc converténtur inimíci mei retrórsum.

In quacúmque die invocávero te: * ecce cognóvi quóniam Deus meus es.

In Deo laudábo verbum, in Dómino laudábo sermónem: in Deo sperávi, non timébo quid fáciat mihi homo.

In me sunt Deus vota tua, * quae reddam, laudatiónes tibi.

Quóniam eripuísti ánimam meam de morte, et pedes

meos de lapsu: * ut pláceam coram Deo in lúmine vivéntium.

Ant. Deus vitam meam annuntiávi tibi; posuísti lácrymas meas in conspéctu tuo.

Ant. Fuérunt mihi lácrymae meae panes die, ac nocte.

Psalm. 41.

Quemádmodum desíderat cervus ad fontes aquárum: * ita desíderat ánima mea ad te Deus.

Sitívit ánima mea ad Deum fortem vivum: * quando véniam et apparébo ante fáciem Dei?

Fuérunt mihi lácrymae meae panes die ac nocte: * dum dícitur mihi quotídie: ubi est' Deus tuus?

Haec recordátus sum, et effúdi in me ánimam meam: quóniam transíbo in locum tabernáculi admirábilis, usque ad domum Dei.

In voce exultatiónis, et confessiónis: * sonus epulántis.

Quare tristis es ánima mea: * et quare contúrbas me?

Spera in Deo, quóniam adhuc confitébor illi: * salutáre vultus mei, et Deus meus.

Ad meípsum ánima mea contúrbata est: * proptérea memor ero tui de terra Jordánis, et Hermóniim a monte módico.

Abyssus abyssum ínvocat, * in voce cataractárum tuárum.

Omnia excélsa tua et fluctus tui, * super me transiérunt.

In die mandávit Dóminus misericórdiam suam, * et nocte cánticum ejus.

Apud me orátio Deo vitae meae, * dicam Deo: Suscéptor meus es.

Quare oblítus es mei? * et quare contristátus incédo, dum affligit me inimícus?

Dum confringúntur ossa mea, * exprobravérunt mihi, qui tríbulant me inimíci mei.

Dum dicunt mihi per síngulos dies: Ubi est Deus tuus? * quare tristis es ánima mea? et quare contúrbas me?

Spera in Deo, quóniam adhuc confitébor illi: * salutáre vultus mei, et Deus meus,

Ant. Fuérunt mihi lácrymae meae panes die, ac nocte.

℣. Fascículus myrrhae diléctus meus mihi.

℟. Inter úbera mea commorábitur.

Sermo sancti Bernárdi Abbátis.

Lectio IV.

Ex Sermone de 12. Stellis.

Martyrium Vírginis tam in Simeónis Prophétia, quam in ipsa Domínicae Passiónis história commendátur. Pósitus est hic (ait sanctus Senex de púero Jesu) in signum, cui contradicétur. Et tuam ipsíus ánimam (ad Maríam áutem dicébat) pertransíbit gládius. Vere tuam, o Beáta Mater, ánimam pertransívit: alióquin non nisi eam pertránsiens, carnem filii tui penetráret. Et quidem posteáquam emísit spíritum tuus ille Jesus, ipsíus plane non áttigit ánimam crudélis láncea, quae ipsíus apéruit latus, sed tuam útique ánimam pertransívit. Ipsíus nimírum ánima jam ibi non erat, sed tua plane inde nequíbat avélli.

℟. Jesum bajulántem sibi crucem: * Sequebátur turba mulíerum, quae plangébant, et lamentabántur eum.

℣. Fíliae Jerúsalem super vos ipsas flete, et super filios vestros. Sequebátur.

Lectio V.

Tuam ergo pertransívit ánimam vis dolóris, ut plusquam Mártyrem non immérito praedicémus, in qua nimírum corpóreae sensum passiónis excésserit compassiónis afféctus. An non tibi plusquam gládius fuit sermo ille revéra pertránsiens ánimam, et pertíngens usque ad divisiónem ánimae, ac spíritus: Múlier, ecce filius tuus? O commutátionem! Joánnes tibi pro Jesu tráditur, servus pro Dómino, discípulus pro Magístro, filius Zebedaei pro filio Dei, homo purus pro Deo vero. Quómodo non tuam affectuosíssimam ánimam pertransíret haec audítio, quando et nostra licet sáxea, licet férrea péctora sola recordátio scindit?

℟. Postquam venérunt in locum, qui dícitur Calváriae, ibi crucifixérunt eum: * Stabat áutem juxta Crucem Jesu Mater ejus.

℣. Tunc beátam illíus ánimam dolóris gládius pertransívit. Stabat.

Lectio VI.

Non mirémini, fratres, quod María Martyr in ánima fuísse dicátur. Mirétur, qui non memínerit, se audivísse Páulum inter máxima géntium crímina memorántem, quod

sine affectióne fuíssent. Longe id fuit a Maríae viscéribus, longe sit a sérvulis ejus. Sed forte quis dicat, numquid non eum praescíerat moritúrum? Et indubitánter. Numquid non sperábat contínuo resurrectúrum? et fidéliter. Super haec dóluit Crucifixum? et veheménter. Alióquin quisnam tu, frater, aut unde tibi haec sapiéntia, ut miréris plus Maríam compatiéntem, quam Maríae filium patiéntem? Ille enim mori córpore potuit; ista cómmori corde non pótuit? Fecit illud Cháritas, qua majórem nemo hábuit: fecit et hoc Cháritas, cui post illam símilis áltera non fuit.

℟. Joseph ab Arimathaea; * pétiit corpus Jesu, quod de Cruce depósitum; * Suo compléxu Mater excépit.

℣. Dolens Sunamítis sinu, et génibus suis sustínuit mórtuum filium. Pétiit corpus.

Glória Patri. Suo compléxu.

IN III. NOCTURNO.

Ant. Intendérunt arcum rem amáram, ut sagíttent in occúltis immaculátum.

Psalm. 63.

Exáudi Deus oratiónem meam, cum déprecor: * a timóre inimíci éripe ánimam meam.

Protexísti me a convéntu malignántium, * a multitúdine operántium iniquitátem.

Quia exacuérunt ut gládium linguas suas: * intendérunt arcum rem amáram, ut sagíttent in occúltis immaculátum.

Súbito sagittábunt eum, et non timébunt: * firmavérunt sibi sermónem nequam.

Narravérunt ut abscónderent láqueos: * dixérunt: Quis vidébit eos?

Scrutáti sunt iniquitátes: * defecérunt scrutántes scrutinio.

Accédet homo ad cor altum, * et exaltábitur Deus.

Sagíttae parvulórum factae sunt plagae eórum: * et infirmátae sunt contra eos linguae eórum.

Conturbáti sunt omnes, qui vidébant eos: * et tímuit omnis homo.

Et annuntiavérunt ópera Dei, * et facta ejus intellexérunt.

Laetábitur justus in Dómino, et sperábit in eo, * et laudabúntur omnes recti corde.

Ant. Intendérunt arcum rem amáram, ut sagíttent in occúltis immaculátum.

Ant. Anima mea turbáta est valde, sed tu Dómine, úsquequo?

Psalm. 6.

Dómine, ne in furóre tuo árguas me, * neque in ira tua corrípias me.

Miserére mei Dómine, quóniam infirmus sum: * sana me, Dómine, quóniam conturbáta sunt ossa mea.

Et ánima mea turbáta est valde: * sed tu Dómine úsquequo?

Convértere Dómine et éripe ánimam meam: * salvum me fac propter misericórdiam tuam.

Quóniam non est in morte qui memor sit tui: * in inférno áutem quis confitébitur tibi?

Laborávi in gémitu meo, lavábo per síngulas noctes lectum meum: * lácrymis meis stratum meum rigábo.

Turbátus est a furóre óculus meus: * inveterávi inter omnes inimícos meos.

Discédite a me omnes, qui operámini iniquitátem: * quóniam exaudívit Dóminus vocem fletus mei.

Exaudívit Dóminus deprecatiónem meam: * Dóminus oratiónem meam suscépit.

Erubéscant, et conturbéntur veheménter omnes inimíci mei: * convertántur, et erubéscant valde velóciter.

Ant. Anima mea turbáta est valde, sed tu Dómine úsquequo?

Ant. Deus adjútor in tribulatiónibus quae invenérunt nos nimis.

Psalm. 45.

Deus noster refúgium, et virtus: * adjútor in tribulatiónibus, quae invenérunt nos nimis.

Proptérea non timébimus dum turbábitur terra: * et transferéntur montes in cor maris.

Sonuérunt, et turbátae sunt aquae eórum: * conturbáti sunt montes in fortitúdine ejus.

Flúminis ímpetus laetíficat civitátem Dei: * sanctificávit tabernáculum suum Altíssimus.

Deus in médio ejus non commovébitur: * adjuvábit eam Deus mane dilúculo.

Conturbátae sunt Gentes, et inclináta sunt regna: * dedit vocem suam, mota est terra.

Dóminus virtútum nobíscum: * suscéptor noster Deus Jacob.

Veníte, et vidéte ópera Dómini, quae pósuit prodígia super terram: áuferens bella usque ad finem terrae.

Arcum cónteret, et confrínget arma: * et scuta combúret igni.

Vacáte, et vidéte quóniam ego sum Deus: * exaltábor

in Géntibus, et exaltábor in terra.

Dóminus virtútum nobíscum: * suscéptor noster Deus Jacob.

Ant. Deus adjútor in tribulatiónibus, quae invenérunt non nimis.

℣. Per te salútem hauriámus, Virgo María.

℟. Ex vulnéribus Christi.

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Lectio VII.

Cap. 19.

In íllo témpore: Stabant juxta Crucem Jesu Mater ejus, et soror Matris ejus, María Cléophae, et María Magdaléne. Et réliqua.

Homilía sancti Ambrósii Epíscopi.

De Instit. Virg. Cap. 7.

Stabat juxta Crucem Mater, et fugiéntibus viris stabat intrépida. Vidéte, utrum pudórem mutáre potúerit Mater Jesu, quae ánimum non mutávit. Spectábat piis óculis filii vúlnera, per quae sciébat ómnibus futúram Redemptiónem. Spectábat non degéneri Mater spectáculo, quae non metúeret peremptórem. Pendébat in Cruce Fílius, Mater se persecutóribus offerébat.

℟. Quis tibi sensus fuit, o Mater dolórum: * Dum Joseph síndone filium tuum invólvit, et pósuit eum in monuménto?

℣. Consideráte, et vidéte, si est dolor sicut dolor meus. Dum.

Ex ejusdem Epistola 25 *ad Ecclesiam Vercellensem prope finem.*

Lectio VIII.

María Mater Dómini ante Crucem Fílii stabat. Nullus me hoc dócuit, nisi sanctus Joánnes Evangelísta. Mundum álii concússum in Passióne Dómini conscripsérunt, coelum ténebris obdúctum, refugísse solem, in Paradísum Latrónem, sed post piam confessiónem, recéptum. Joánnes dócuit, quod álii non docuérunt, quemádmodum in Cruce pósitus Matrem appelláverit. Pluris putátur, quod victor suppliciórum, pietátis officia Matri exhibébat, quam quod regnum coeléste donábat. Nam si religiósum est, quod Latróni donátur vénia, multo uberióris pietátis est, quod a Fílio Mater tanto afféctu honorátur.

℟. In toto corde tuo gé-

mitus Matris tuae ne obliviscáris: * Ut perficiátur propitiátio, et benedíctio.

℣. Ave Princeps generósa, Martyrúmque prima rosa, Virginúmque lílium. Ut perficiátur. Glória Patri. Ut perficiátur.

Lectio IX. de Hom. Dominicae currentis.

AD LAUDES

ET PER HORAS.

Ant. Quo ábiit diléctus tuus, o pulchérrima mulíerum? quo declinávit diléctus tuus, et quaerémus eum tecum?

Psalm. Dóminus regnávit, *cum reliquis de Laudib. Dominicae.*

Ant. Recédite a me, amáre flebo, nolíte incúmbere, ut consolémini me.

Ant. Non est ei spécies, neque decor, et vídimus eum, et non erat aspéctus.

Ant. A planta pedis usque ad vérticem cápitis non est in eo sánitas.

Ant. Fulcíte me flóribus, stipáte me malis, quia amóre lángueo.

Capitulum.

Thren. 2.

Cui comparábo te? vel cui assimilábo te, Fília Jerúsalem? cui exaequábo te, et consolábor te, Virgo filia Sion? magna est velut mare contrítio tua.

Hymnus.

Summae Deus cleméntiae,
Septem dolóris Vírginis,
Plagásque Jesu Fílii
Fac rite nos revólvere.

Nobis salútem cónferant
Deíparae tot lácrymae,
Quibus laváre súfficis
Totíus orbis crímina.

Sit quinque Jesu vúlnerum
Amára contemplátio,
Sint et dolóres Vírginis
Aetérna cunctis gáudia.

Jesu, tibi sit glória,
Qui passus es pro sérvulis,
Cum Patre, et almo Spíritu,
In sempitérna saecula,
Amen.

℣. María Virgo per virtútem tot dolórum.

℟. Fac nos gaudére in regno coelórum.

AD BENEDICTUS

Ant. Venite, ascendámus ad montem Dómini, et vidéte, si est dolor, sicut dolor meus.

ORATIO

Deus, in cujus passióne secúndum Simeónis prophe-

tíam, dulcíssimam ánimam gloriósae Vírginis, et Matris Maríae dolóris gládius pertransívit: concéde propítius; ut qui dolóres ejus venerándo recólimus, passiónis tuae efféctum felícem consequámur. Qui vivis, et regnas.

Deinde fit commem. Dominic. occurrentis.

AD PRIMAM.

In ℟. *br. dicitur.*
℣. Qui passus es propter nostram salútem.

AD TERTIAM.

Ant. Recédite a me.
Capitul. Cui comparábo te.
℟. *br.* O vos omnes, * Qui transítis per viam. O vos.
℣. Atténdite, et vidéte, si est dolor, sicut dolor meus. Qui transítis. Glória Patri. O vos.
℣. Defecérunt prae lácrymis óculi mei.
℟. Conturbáta sunt ómnia víscera mea.

AD SEXTAM

Ant. Non est ei spécies.

Capitulum

Thren. 1.

Plorans plorávit in nocte, et lácrymae ejus in maxíllis ejus: non est qui consolétur eam ex ómnibus charis ejus.
℟. *br.* Defecérunt, * Prae lácrymis óculi mei. Defecérunt.
℣. Conturbáta sunt ómnia víscera mea. Prae lácrymis. Glória Patri. Defecérunt.
℣. Fascículus myrrhae diléctus meus mihi.
℟. Inter úbera mea commorábitur.

AD NONAM

Ant. Fulcíte me.

Capitulum

Thren. 2.

Deduc quasi torréntem lácrymas per diem, et noctem: non des réquiem tibi, neque táceat pupílla óculi tui.
℟. *br.* Fascículus myrrhae, * Diléctus meus mihi. Fascículus myrrhae.
℣. Inter úbera mea commorábitur. Diléctus meus. Glória Patri. Fascículus.
℣. Anima mea liquefácta est.
℟. Ut diléctus locútus est.

IN II. VESPERIS.

Dicuntur omnia ut in primis.

AD MAGNIFICAT.

Ant. Oppréssit me dolor, et

fácies mea intúmuit a fletu, et pálpebrae meae caligavérunt.

Oratio. Deus, in cujus passióne. *ut supra.*

Et fit commem. Dominicae.

DOMENICA IV. SEPTEMBRIS

Octava VII. DOLOR. B. M. V. Duplex.

IN I. NOCTURNO.

Lectiones de Scriptura occurrente.

IN II. NOCTURNO.

Sermo sancti Bonaventúrae Epíscopi.

Sermo 1. *de Beata Virgine.*

Lectio IV.

Magnus Dóminus noster, et magna virtus ejus, et sapiéntiae ejus non est númerus. Unde hoc probátur? Qui númerat multitúdinem stellárum et ómnibus eis nómina vocat. Dómina áutem fuit coelum firmaméntum unifórmiter semper motum per patiéntiae firmitátem: et coelum stellíferum per ómnium donórum, et gratiárum Dei compositàtem. Sicut enim coelum non est ullo modo porósum, sed sólidum: sic Dei mater pia nullo modo fuit porósa, vel vácua, sed sólida, quia omni grátia fuit plena. Cujus admirábilis patiéntia, et solíditas non porósa, tunc máxime cláruit, quando praedúlcem filium suum mori conspéxit.

℟. Jesum bajulántem.

Lectio V.

Nam licet in ea aquae inferióres, idest vires sensitívae, vel sensíbiles fortíssime fúerint concússae ventis in sui filii passióne: superióres tamen a sua non fuérunt pace permótae. Et licet sentina navis, idest pars sensíbilis, repléta tunc fúerit aquis maris; pars tamen supérior navis semper ventis prósperis navigávit. Unde ipsa est illa petra, super quam domus fundáta et firmáta, quam etsi flúmina ventíque percútiant; tamen inter flúmina illa immóbilis persevérat. Unde ei pótuit dícere Christus illud Matthaei: Super hanc petram aedificábo Ecclésiam meam: quia in passióne Domínica, tota deficiénte Ecclésia primitivórum in fide, sola Dómina nostra firma in fide permánsit, ut petra.

℟. Postquam venérunt.

Lectio VI.

Fuit ergo símilis adamánti, cujus tanta est fortitúdo, ut sánguine solo rumpátur hircíno. Quia María régia virgo numquam nisi Christi sánguine recénter effúso pótuit esse turbáta, quia nullo fuit álio témpore perturbáta. Si enim, juxta Philosophórum senténtiam, non cadit perturbátio in sapiéntem virum, quanto magis Dómina ómnium sapientíssima numquam perturbatiónem mentis est passa?

℟. Joseph ab Arimathaea.

IN III. NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Lectio IV.

Cap. 19.

In illo témpore: Stabant áutem juxta crucem Jesu mater ejus, et soror matris ejus María Cléophae, et María Magdaléne. Et réliqua.

Homilía sancti Ansélmi Epíscopi.

De Excellent. B. V. cap. 5. *circa medium.*

Cum ad ipsam ejus passiónem ventum fuísset, et ipse cruci affixus hinc ipsam matrem suam, hinc discípulum, quem diligébat, prope astántes intúitus esset, ne matrem pénitus orbátam relínqueret, ei praeséntem discípulum suo loco in filium surrogávit: Múlier, inquit, ecce filius tuus. O commutátio! Pro aetérno et incommutábili Deo, purum, et corruptíbilem hóminem: pro naturáli, et único filio, servum accépit in filium. O Dómina, quae, precor, in te sibi succedébant, cum tam inaestimábilem commutatiónem ab ipso, quem super ómnia diligébas, tibi fieri audiébas?

℟. Quis tibi sensus.

Lectio VIII.

Vere petransívit ánimam tuam gládius, qui tibi amárior fuit ómnibus polóribus cujusvis corpóreae passiónis. Quidquid enim crudelitátis inflíctum est corpóribus Mártyrum, leve fuit, aut pótius nihil comparatióne tuae passiónis, quae nimírum sua immensitáte transfixit cuncta penetrália tua, tuíque benigníssimi cordis íntima. Et útique, pia Dómina, non credíderim te potuísse ullo facto stímulos tanti cruciátus, quin vitam amítteres, sustinére,

nisi ipse spíritus vitae, spíritus consolatiónis, spíritus scílicet dulcíssimi Fílii tui, pro quo moriénte conquerebáris, tantópere torquebáris, te confortáret, te consolarétur, te intus docéret, non esse mortem eum absuméntem, sed magis triúmphum ómnia ei subjiciéntem, quod in ipso fieri coram moribúndo vidébas. Mórtuus est tamen, et ab óculis tuis, te spectánte, sepúlchro reclúsus.
℟. In toto corde tuo.

Lectio IX. de Homil. Dom. occurr.

DIE I. SEPTEMBRIS.
ASS. EX XX. AUGUSTI.

In Festo S. Bernardi *Conf. et Eccl. Doctoris.* Duplex.

In hymn. Iste Confessor *dicit.* Méruit suprémos. *In utrisq. Vesp. ad Magn. Ant.* O doctor.

ORATIO.

Deus, qui pópulo tuo aetérnae salútis beátum Bernárdum minístrum tribuísti : praesta quaesumus; ut quem doctórem habúimus in terris, intercessórem habére mereámur in coelis. Per Dóminum.

Et fit com. S. Raymundi C., S. Aegidii Ab.
Ant. Similábo.
℣. Lex Dei.
Oratio. Intercéssio, et SS. Duodecim Fratrum mm.

IN I. NOCTURNO.

Lect. de Scrip. occ.

IN II. NOCTURNO.

Lectio IV.

Bernárdus, Fontánis in Burgúndia honesto loco natus, adoléscens propter egrégiam formam veheménter solicitátus a muliéribus, numquam de senténtia coléndae castitatis dimovéri pótuit. Quas diáboli tentatiónes ut effúgeret, duos et vigínti annos natus, Monastérium Cisterciénse, unde hic ordo incépit, et quod tum sanctitáte florébat, íngredi constítuit. Quo Bernárdi consílio cógnito, fratres summópere conáti sunt eum a propósito deterrére, in quo ipse eloquéntior ac felícior fuit. Nam sic eos, aliósque multos in suam perdúxit senténtiam, ut cum eo trigínta júvenes eámdem religiónem

suscéperint. Mónachus jejúnio ita déditus erat, ut quóties suméndus esset cibus, tóties torméntum subíre viderétur. In vigíliis étiam et oratiónibus miríﬁce se exercebat; et Christiánam paupertátem colens, quasi coeléstem vitam agébat in terris, ab omni caducárum rerum cura et cupiditáte aliénam.

℟. Honéstum fecit.

Lectio V.

Elucébat in eo humílitas, misericórdia, benígnitas: contemplatióni autem sic addíctus erat, ut vix sénsibus, nisi ad officia pietátis, uterétur: in quibus tamen prudéntiae laude excellébat. Quo in stúdio occupátus, Genuénsem, ac Mediolanénsem, aliósque Episcopátus oblátos recusávit; proféssus, se tanti officii múnere indígnum esse, Abbas factus Claravallénsis multis in locis aedificávit Monastéria, in quibus praeclára Bernárdi institútio, ac disciplína diu víguit Romae, sanctórum Vincéntii et Anastásii monastério ab Innocéntio secúndo Papa restitúto praeféci Abbátem illum, qui póstea Eugénius tértius Summus Póntifex fuit, ad quem étiam librum misit de Consideratióne.

℟. Amávit eum.

Lectio VI.

Multa praetérea scripsit, in quibus appáret, eum doctrína pótius divínitus trádita, quam labóre comparáta, instrúctum fuísse. In summa virtútum laude exorátus a máximis Princípibus de eórum componéndis controvérsiis, et de Ecclesiásticis rebus constituéndis, saepius in Itáliam venit. Innocéntium item secundum Pontíficem máximum in confutándo schísmate Petri Leónis, cum apud Imperatórem, et Henrícum Angliae regem, tum in Concílio Pisis coácto, egrégie adjúvit. Dénique tres et sexagínta annos natus obdormívit in Dómino, ac miráculis illústris, ab Alexándro Tértio Papa inter Sanctos relátus est. Pius vero Octávus Póntifex Máximus ex Sacrórum Rítuum Congregatiónis consílio sanctum Bernárdum universális Ecclésiae Doctórem declarávit et confirmávit, nec non Missam et Officium de Doctóribus ab ómnibus recitári jussit, atque Indulgéntias Plenárias quotánnis in perpétuum Ordinis Cisterciénsium Ecclésias visitántibus die hujus Sancti festo concéssit.

℟. Iste homo.

IN III. NOCTURNO.

Homil. Osténdit Dóminus *in Ev.* Vos estis sal terrae *ut in Com. DD.* 9. *l. S. Aegidii Ab. et com. ejusd. Ant.* Similábo ℣. Amávit. *or.* Intercéssio et SS. XII. Fratrum mm.

DIE II. SEPTEMBRIS.

Pro Metrop. tant.

In Festo S. Justi *Ep. Lugdun. C.* Duplex. *Or.* Da quaesumus *etc.*

Omn. ut in Com. CC. PP. 1. *loc. Lect.* 1. *n. de Scrip. occ.*

DIE III. SEPTEMBRIS.
ASS. EX XXI. AUGUSTI.

In Festo S. Joannae Franciscae Fremiot de Chantal *Vid.* Duplex.

Omnia de Comm. nec. Virg. nec. Mart. praeter ea, quae sequuntur.

ORATIO.

Omnípotens et miséricors Deus, qui beátam Joánnam Franciscam tuo amóre succénsam admirábili spíritus fortitúdine per omnes vitae sémitas in via perfectiónis donásti, quique per illam illustráre Ecclésiam tuam nova prole voluísti: ejus méritis, et précibus concéde; ut qui infirmitátis nostrae cónscii de tua virtúte confídimus, coeléstis grátiae auxílio, cuncta nobis adversántia vincámus. Per Dóminum.

IN I. NOCTURNO.

Lect. de Script. occ.

IN II. NOCTURNO.

Lectio IV.

Joánna Francísca Frémiot a Chantal Divióne in Burgúndia claríssimis orta natálibus ab ineúnte aetáte exímiae sanctitátis non obscúras édidit significatiónes. Eam enim vix quinquénnem nóbilem quemdam Calvinístam sólida supra aetátem argumentatióne perstrinxísse ferunt, collatúmque ab eo munúsculum flammis íllico tradidísse in haec verba: En quómodo haerétici apud ínferos comburéntur, qui loquénti Christo fidem detréctant. Matre orbáta Deíparae Vírginis tutélae se commendávit, et fámulam, quae ad mundi amórem eam alliciébat, ab se rejécit. Nihil pueríle in móribus éxprimens, a saeculi delíciis abhórrens, martyriúmque anhélans, re-

ligióni, ac pietáti impénse studébat. Baróni de Chantal núptui a patre trádita, virtútibus ómnibus excoléndis óperam dedit, líberos, fámulos, aliósque sibi subjéctos in fidei doctrína, bonísque móribus imbúere sátagens. Profúsa liberalitáte páuperum inópiam sublevábat, annóna divínitus non raro multiplicáta; quo factum est, ut némini se umquam Christi nómine rogánti stipem abnegatúram spopónderit.

℟. Propter veritátem.

Lectio V.

Viro in venatióne interémpto perfectióris vitae consílium íniens, continéntiae voto se obstrínxit. Viri necem non solum aequo ánimo tulit, sed in públicum indúltae véniae testimónium occisóris filium e sacro fonte suscípere sui victrix elégit. Módica família, ténui victu, atque vestítu conténta, pretiósas vestes in pios usus convértit. Quidquid a doméstieis curis supérerat témporis, précibus, piis lectiónibus, laboríque impendébat. Numquam addúci pótuit, ut álteras núptias, quamvis útiles, et honoríficas iníret. Ne áutem a propósito castimóniae observándae in pósterum dimoverétur, illíus voto innováto, sanctíssimum Jesu Christi nomen candénti ferro péctori inscúlpsit. Ardéntius in dies charitáte fervéscens páuperes, derelíctos, aegros, teterrimísque morbis inféctos ad se adducéndos curábat: eósque non hospítio tantum excipiébat, solabátur, fovébat, verum étiam sórdidas eorúmdem vestes depurgábat, láceras reficiebat, et manántibus foetido pute ulcéribus, lábia admovére non exhorrébat.

℟. Dilexísti.

Lectio VI.

A sancto Francísco Salésio quo spíritus moderatóre usa fuit, divínam voluntátem edócta, próprium paréntem, sócerum, filium dénique ipsum, quem étiam vocatióni obsisténtem sua e domo egrédiens pédibus calcáre non dubitávit, invícta constántia deséruit, et sacri Institúti Visitatiónis sanctae Maríae fundaménta jecit. Ejus Institúti leges integérrime custodívit; et ádeo paupertàtis fuit amans, ut vel necessária sibi deésse gaudéret. Christiánae vero ánimi demissiónis, et obediéntiae, virtútum dénique ómnium perfectíssimum exémplar se praebuit. Altióres

in corde suo ascensiónes dispónens arduíssimo efficiéndi semper id, quod perféctius esse intellígeret, voto se obstrínxit. Dénique sacro Visitatiónis Institúto ejus potíssimum ópera longe latéque diffúso, verbo, exémplo, et scriptis étiam divína sapiéntia refértis ad pietátem, et charitátem soróribus excitátis, méritis reférta, et Sacraméntis rite suscéptis, Molíni anno millésimo sexcentésimo quadragésimo primo, die decimatértia Decémbris migràvit ad Dóminum, ejúsque ànimam occurrénte sancto Francísco Salésio in coelos deférri sanctus Vincéntius a Páulo procul distans aspéxit. Ejus corpus póstea Annécium translátum fuit; eámque miráculis ante et post óbitum claram Benedíctus decimus quártus Beatórum, Clemens decimustértius albo Sanctórum adjécit. Festum áutem ejúsdem diem duodécimo Kaléndas Septémbris ab univérsa Ecclésia Clemens decimus quártus Póntifex Máximus celebrári praecépit.

℟. Fallax grátia.

IN III. NOCTURNO.

Hom. in Ev. Thesáuro *de Comm.*

DIE IV SEPTEMBRIS

In Festo S. Rosae *Viterbiensis Virg.* Duplex.

Omnia de Communi Virginum praeter ea quae sequuntur.

ORATIO.

Deus qui beátam Rosam sanctárum tuárum Vírginum collégio aggregáre dignátus es: tríbue nobis, quaesumus; ut ejus précibus et méritis a culpis ómnibus expiémur, et tuae majestátis consórtio perfruámur aetérno. Per Dóminum.

IN I. NOCTURNO.

Lect. de Script. occurr.

IN II. NOCTURNO.

Lectio IV.

Rosa Vitérbii piis paréntibus nata ab ipsa infántia omni virtúte enítuit facta perfectiónis magístra, cum vix loqui didicísset. Mundi exósa vanitátes, rudi amíctu, pedum nuditáte, cilício, jejúniis, aliísque austeritátibus corpúsculum affligens, divínae contemplatióni júgiter vacábat. Hanc vero exímiam sanctitá-

tem insígni miráculo Deus testátam vóluit; nam adhuc puélla avúnculam, defúnctam ad vitam revocávit. Ad virginitátem, quam perpétuo cóluit, solo aspéctu intuéntium, ánimos excitábat. Charitátis erga páuperes studiosíssima, cum aliquándo hibérno témpore subtráctum sibi panem clam illis deférret, patre imperánte, ut próderet, quid grémio abscónditum ferret, panis in rosas convérsus est

℟. Propter veritátem

Lectio V.

Cum séptimum explésset annum: solitúdinis desidério flagrans, domus suae angústam céllulam elégit, cui se tamquam voluntário cárceri inclúsit, et oratióni, corporísque castigatióni ardénter incúmbens, Dei cleméntiam deprecabátur pro sanctae Ecclésiae tranquillitáte, quam Friderici secúndi Imperatóris impíetas acérrime divexábat. Ex diútina áutem maceratióne in morbum lethálem íncidit: in quo beátae Vírginis visitatióne recreáta, hábitum Tértii órdinis sancti Francísci indúere jussa est. Decénnis a Deo inspiráta, piis adhortatiónibus, validísque arguméntis multos haeréticos ad fidem et obediéntiam Románi Pontíficis redúxit. Qua de cáusa cum tota cognatióne sua in exílium ejécta ad vicína óppida venit, ubi Friderici mortem, et Ecclésiae pacem prophético spíritu praedíxit. Mulíerem caecam a nativitáte illuminávit; et ad fidei veritátem astruéndam, succénsum rogum ingréssa, ac tribus horis in eo illaesa pérmanens, cujúsdam haeréticae mulíeris pervicáciam vicit, eámque cum áliis ad fidem convértit.

℟. Dilexísti.

Lectio VI.

Tandem Vitérbium summa cívium gratulatióne revérsa in consórtium Sanctimoniálium sanctae Mariae de Rosis admítti pétiit; sed illis ingréssum ob puéllae inópiam denegántibus, se mórtuam in eo Coenóbio commoratúram praedíxit. Mox ad prístinum domus suae cárcerem regréssa, cum in ea duóbus annis permansísset, morbo corrépta, et ad beátam pátriam suspírans, méritis plena migrávit ad sponsum décimo octávo suae vitae anno nondum exácto. Corpus ejus miro splendóre illustrátum, suavíque odóre perfúsum, in templo sanctae Maríae de Pódio, effóssa humo, ac désuper ingésta, tumulátum fuit; donec post tri-

gínta círciter menses ab Alexándro Quarto tunc Vitérbii sedénte, et in somnis ter ab ea admónito, refóssum, et incorrúptum repértum, prídie nonas Septémbris ad praefátum Monastérium, quod póstea sanctae Rosae nuncupátum est, solémniter translátum fuit, ubi usque ad hodiérnam diem íntegrum, et flexíbile summa totíus orbis admiratióne asservátur, et novis semper miráculis corúscat.

℟. Afferéntur.

IN III. NOCTURNO.

Homilia S. Gregorii Papae in Ev. Símile erit regnum coelórum decem Virgínibus, *ut in Communi Virginum primo loco.*

DIE VI. SEPTEMBRIS
ASS. EX II. HUJ.

Pro Metrop. tant.

In Festo S. STEPHANI *Reg. Conf.* sem. *omn. ut in Brev. 2. huj.*

VII. SEPTEMBRIS DIES ASS.

In Festo B. JOANNAE SODERINI *Virginis Tertii Ordinis Servorum B. M. V.* Duplex.

Omnia de Communi Virginum praeter sequentia.

ORATIO

Deus, qui Beátae Joánnae Vírgini tuae assídua vitae austeritáte innocéntiam custodíre tribuísti; da nobis ipsíus intercessióne cordis nostri máculas jugi poeniténtia detérgere, et purificátis tibi méntibus deservíre. Per Dóminum.

IN I. NOCTURNO.

Lectiones de Scriptura occurr.

IN II. NOCTURNO.

Lectio IV.

Joánna piis, nobilibúsque paréntibus Guiliélmo Soderínio, et Therésia Minerbétta Floréntiae nata anno reparátae salútis millésimo tercentésimo primo, ab ipsis puerítiae annis qualis futúra esset non obscúre praesignávit. Ut enim linguam in voces sólvere pótuit, nil avídius expétiit, quam de Redemptiónis nostrae Mystériis audíre, aliísque verba fácere, ita ut brevi témpore in iis mirabíliter instrúcta apparúerit erga quae proptérea magno

devotiónis afféctu semper exársit. Deíparam quoque Vírginem impénse cólere coepit, eámque quotidiánis láudibus, piísque précibus prosequebátur. Cum áutem divínitus accepísset, piam mulíerem Feliciánam Tónniam, quam a paréntibus institutrícem accéperat, brevi moritúram adeóque áliam sibi magístram esse queréndam, Joànna statim Feliciánam de his praemónuit, quae divínae dispositióni prompto ánimo acquiéscens ipsi sanctam Juliánam Falconériam, quae nuper Mantellatárum tértii Ordinis Servórum Beátae Maríae Vírginis famíliam fundáverat, in novam magístram designávit. Verum paréntes, quibus nulli, praeter Joánnam, erant filii, eam concív suo pari nobilitáte claro Matrimónio júngere cogitábant. Ut vero ab ipsa intellexére, se jam divíno Sponso dicàsse, eam a propósito dimovére non sunt áusi. Itaque duodénnis sub beátae Juliánae disciplína se constítuit, ejúsque recéssum ingréssa religiósum hábitum laeta suscépit.

℟. Propter.

Lectio V.

Sub tanta magístra in omni virtútum génere ita profécit, ut charíssima illi eváserit, et licet júnior caeteris tamen soróribus in virtútis exémplum ab ipsa proponerétur, unde praediléсta ejus discípula mérito semper hàbita fuit. Ante imáginem Beatíssimae Vírginis ab Angelo salutátae Floréntiae celebérrimam perpétuae Virginitátis votum emísit, quam usque ad éxitum vitae jejúniis, vigíliis, cilício, flagéllis, omníque asperitàtum género corpus domándo servávit illaesam. Oratiòni, et coeléstium rerum contemplatióni semper incúbuit. Ea fuit humilitáte, ut ábjectíssima quaeque domus ministéria obíre, et sorórìbus in re quacúmque famulári in delíciis habúerit; quarum proínde amórem, et benevoléntiam singulári sua lenitáte, mansuetúdine, et jucunditáte proméruit. Eárum étiam régimen ex obediéntia suscéptum aliquándiu sanctíssime administrávit. Prophetíae dono insignìta futúra praedíxit, quorum veritátem probávit evéntus. A tenebrárum príncipe, qui ut eam decíperet, sub spécie Angeli lucis non raro se conspiciéndum dabat, horríbiles passa est tentatiónes, et moléstias, quas tamen invícto ánimo superávit, ejúsque astus elúsit.

℟. Dilexísti.

Lectio VI.

Magístrae suae aegrotánti non solum usque ad últimum vitae summa charitáte ministrávit, sed et defúnctae pietátis officia sédulo impéndit. Hinc ómnium prima imáginem Jesu Christi Crucifixi illíus péctori véluti sigíllo impréssam detéxit, aliísque soróribus conspiciéndam exhíbuit. Quo mirábili prodígio commóta, ferventióri étiam in Deum amóre incénsa est, et beátae Juliànae vestígiis per íntegros vigínti sex annos, quibus illi fuit supérstes ita inhaesit, ut non mórtua sed adhuc vivens in Joánna, ómnibus viderétur. Quam vero vivens móribus expréssérat, móriens quoque imitáta est. Nam bonis opéribus cumuláta, et longa carnis maceratióne consúmpta, ita ut pelle tantum et óssibus constans apparéret; ad extréma devénit, atque Eucharístico Pane vix refécta spíritum Deo placidíssime réddidit Kaléndis Septémbris anno millésimo tercentésimo sexagésimo séptimo. Ejus corpus ad Ecclésiam Annuntiatiónis Beátae Maríae Vírginis Fratrum Servórum delátum crebris a Deo miráculis illustrátum fuit, et frequénti populórum concúrsu venerátum. Perpétuum beátae Joánnae cultum Leo Duodécimus Póntifex Màximus oráculo suo confirmávit, ejúsque depositiónis anniversárium diem in univérso Ordine Servórum Beátae Maríae Vírginis officio próprio, et Missa coléndum indúlsit.

℟. Afferéntur.

IN III. NOCTURNO.

Hom. S. Gregorii Papae in Evangel. Símile erit etc. *ut in Communi Virgin. primo loco.*

DIE XXVIII SEPTEMBRIS

In Festo S. JOSEPHI A CUPERTINO *Conf. Ordinis Minorum Conventual. S. Francisci.* Duplex.

Omnia de Communi Conf. non Pont. praeter ea, quae sequuntur.

IN I. VESPERIS

AD MAGNIFICAT.

Ant. Mórtuus sum, et vita mea est abscóndita cum Christo in Deo.

ORATIO.

Deus, qui ad unigénitum Fi-

lium tuum exaltátum a terra ómnia tráhere disposuísti: pérfice propítius, ut méritis et exémplo seráphici Confessóris tui Jósephi supra terrénas omnes cupiditátes eleváti, ad eum perveníre mereámur. Qui tecum vivit, et regnat.

IN I. NOCTURNO.

De Epístola secúnda Beáti Páuli Apóstoli ad Coríntbios.

Lectio I.

Cap. 3, *v.* 6 *ad* 11. Deus, qui dixit de ténebris lucem splendéscere, ipse illúxit in córdibus nostris ad illuminatiónem sciéntiae claritátis Dei, in fácie Christi Jesu. Habémus áutem thesáurum istum in vasis fictílibus: ut sublímitas sit virtútis Dei, et non ex nobis. In ómnibus tribulatiónem pátimur, sed non angustiámur: aporiámur, sed non destitúimur: persecutiónem pátimur, sed non derelínquimur: dejícimur, sed non perímus: semper mortificatiónem Jesu in córpore nostro circumferéntes, ut et vita Jesu manifestétur in corpóribus nostris. Semper enim nos, qui vívimus, in mortem trádimur propter Jesum, ut et vita Jesu manifestétur in carne nostra mortáli.

℟. Euge serve bone.

Lectio II.

Cap. 5, *v.* 1 *ad* 9. Scimus enim, quóniam si terréstris domus nostra hujus habitatiónis dissolvátur, quod aedificatiónem ex Deo habémus, domum non manufáctam, aetérnam in coelis. Nam et in hoc ingemíscimus. habitatiónem nostram, quae de coelo est, superíndui cupiéntes, si tamen vestíti, non nudi inveniámur. Nam, et qui sumus in hoc tabernáculo, ingemíscimus graváti: eo quod nólumus expoliári, sed supervestíri; ut absorbeátur, quod mortále est a vita. Qui áutem éfficit nos in hoc ipsum, Deus, qui dedit nobis pignus spíritus. Audéntes ígitur semper, sciéntes, quóniam dum sumus in córpore, peregrinámur a Dómino: (per fidem enim ambulámus, et non per spéciem). Audémus áutem, et bonam voluntátem habémus magis peregrinári a córpore, et praeséntes esse ad Dóminum.

℟. Justus germinábit.

Lectio III.

Cap. 12. *v.* 1. *ad* 10. Si gloriári opórtet (non

expedit quidem) véniam áutem ad visiónes, et revelatiónes Dómini. Scio hóminem in Christo ante annos quatuórdecim (sive in córpore, sive extra corpus, néscio, Deus scit) raptum hujúsmodi usque ad tértium coelum. Et scio hujúsmodi hóminem (sive in córpore, sive extra corpus, néscio, Deus scit) quóniam raptus est in Paradísum: et audívit arcána verba, quae non licet hómini loqui. Pro hujúsmodi gloriábor: pro me áutem nihil gloriábor, nisi in infirmitátibus meis. Nam, etsi volúero gloriári, non ero insípiens: veritátem áutem dicam: parco áutem, ne quis me exístimet supra id, quod videt in me, aut áliquid audit ex me. Et ne magnitúdo revelatiónum extóllat me, datus est mihi stímulus carnis meae Angelus Sátanae, qui me colaphízet. Propter quod ter Dóminum rogávi, ut discéderet a me, et dixit mihi: súfficit tibi grátia mea nam virtus in infirmitáte perfícitur. Libénter ígitur gloriábor in infirmitátibus meis, ut inhábitet in me virtus Christi.

℟. Iste cognóvit.

IN II. NOCTURNO.

Lectio IV.

Joséphus a Cupertíno, óppido in Salentínis Diocésis Neritonénsis, anno reparátae salútis millésimo sexcentésimo tértio, piis ibídem paréntibus ortus, Deíque amóre praevéntus, puerítiam, atque adolescéntiam summa cum simplicitáte, morúmque innocéntia transégit. A diutúrno, molestóque morbo patientíssime toleráto Deíparae Vírginis ope liberátus, se totum pietátis opéribus, ac excoléndis virtútibus dedit: utque Deo ad majóra vocánti se intímius conjúngeret, Ordini seráphico nomen dare constítuit. Post vários evéntus voti tandem compos factus, apud Minóres Conventuáles in coenóbio Cryptulae, inter láicos primum ob litterárum imperítiam, deínde inter Cléricos divìna dispositióne connumerátus est. Sacerdótio post solémnia vota initiátus, perféctius sibi vitae institútum propósuit. Quamóbrem mundánis quibuscúmque afféctibus, terrenísque rebus pene ad vitam necessáriis íllico a se abdicátis, cilíciis, flagéllis, caténis, omni demum asperitátum, ac poenárum génere corpus afflíxit; spíritum vero sanctae oratiónis, altissimaeque contemplatiónis assiduitáte dúlciter enutrívit. Hinc factum est, ut cháritas Dei, quae jam erat in ejus corde a prima aetáte

diffúsa, miro, planéque singulári modo in dies coruscáverit.

℟. Honéstum fecit.

Lectio V.

Elúxit praecípue ardentíssima ejus cháritas in extásibus ad Deum suavíssimis, stupendísque ráptibus, quibus frequénter afficiebátur. Mirum áutem, quod alienàto a sénsibus ánimo statim ab éxtasi eum revocábat sola obediéntia. Hanc quippe virtútem exímio stúdio prosequebátur, dícere sólitus, se ab ea véluti caecum circumdúci, et mori pótius velle, quam non obedíre. Paupertátem vero seráphici Patriárchae ita aemulátus est, ut morti próximus Praeláto suo assérere vere potúerit, se nihil habére, quod more Religiosórum resignáret. Itaque mundo, sibíque mórtuus vitam Jesu manifestábat in carne sua, quae dum in alíquibus ex turpitúdine obscoenum flagítium sentiébat, prodigiósum de se efflábat odórem, indícium nitidíssimae illíus puritátis, quam, immúndo spíritu vehementíssimis tentatiónibus frustra obnubiláre diu conánte, servávit illaesam, tum arcta sénsuum custódia, tum jugi córporis maceratióne, tum déni-que speciàli protectióne puríssimae Vírginis Maríae, quam Matrem suam appelláre consuévit, ac véluti Matrem dulcíssimam íntimo cordis afféctu venerabátur, eámque ab áliis venerári exoptábat, ut cum ejúsdem patrocínio, sicut ipse ajébat, ómnia bona consequeréntur.

℟. Amávit eum Dóminus.

Lectio VI.

Haec beáti Joséphi sollicitúdo a sua erga próximos charitáte prodíbat: tanto énim animárum zelo exardébat, ut ómnium salútem modis ómnibus instantíssime procuráret. Exténdens páriter charitátem suam in próximum sive páuperem, sive infírmum sive quacúmque ália tribulatióne vexátum, quantum in ipso erat, illum recreábat. Nec aliéni erant ab ejus charitáte, qui objurgatiónibus, probris, omnísque géneris injúriis ipsum appéterent; nam eádem patiéntia, mansuetúdine, vultúsque hilaritáte tália excipiébat, qua tot inter ac tantas vicissitúdines resplénduit, dum vel Moderatórum Ordinis, vel sacrae Inquisitiónis jussu hac illac erráre, versaríque coáctus est. Quamquam vero pópuli non solum, sed

viri príncipes exímiam ejus sanctitátem, et supérna charísmata admiraréntur, ea nihilóminus erat humilitáte, ut magnum se peccatórem réputans Deum eníxe deprecarétur, ut sua ab eo illústria dona removéret; hómines vero exoráret, ut in eum locum mórtuum ejus corpus injícerent, ubi memória sui esset prorsus obliteráta. At Deus qui ponit húmiles in sublíme quique servum suum, dum víveret, coelésti sapiéntia, prophetía, córdium perscrutatióne, curatiónum grátia, ceterísque donis cumulatíssime exornáverant, ejus quoque mortem iis, quibus ipse ántea praedíxerat, loco, ac témpore anno aetátis suae sexagésimo primo, Auxími in Picéno pretiósam réddidit, sepulchrúmque gloriósum. Illum dénique étiam post óbitum miráculis coruscántem Benedíctus Quartusdécimus Beatórum, Clemens Tertiusdécimus Sanctórum fastis adscrípsit; ejus áutem offícium, et Missam Clemens Quartusdécimus ejúsdem Ordinis ad univérsam Ecclésiam exténdit.

℟. Iste homo perfecit.

IN III. NOCTURNO.

Léctio Sancti Evangélii secúndum Matthaeum.

Lectio VII.

Cap. 22.

In illo témpore: Loquebátur Jesus princípibus sacerdótum, et pharisaeis in parábolis dicens: Símile factum est regnum coelórum hómini regi qui fecit núptias fílio suo. Et réliqua.

Homilía sancti Gregórii Papae.

Lib. 2. Homiliar. Homil. 38. *circa medium.*

Quia jam, largiénte Dómino nuptiárum domum idest sanctam Ecclésiam intrástis, solérter, fratres, aspícite, ne áliquid de mentis vestrae hábitu rex ingrédiens reprehéndat. Cum magno enim cordis timóre pensándum est, quod prótinus súbditur: Intrávit áutem rex, ut vidéret discumbéntes et vidit ibi hóminem non vestítum veste nuptiáli. Quid, fratres charíssimi, éxprimi per nuptiálem vestem putámus? Si enim vestem nuptiálem baptísma vel fidem dícimus, quis sine baptísmate, et fide has núptias intrávit? Eo enim ipso foris est qui necdum crédidit. Quid ergo debémus intellígere nuptiálem vestem, nisi charitátem? Intrat enim ad núptias, sed

cum nuptiáli veste non intrat, qui in sancta Ecclésia assístens fidem habet, sed charitátem non habet. Recte enim cháritas nuptiális vestis vocátur, quia hanc in se cónditor noster hábuit, dum ad sociándae sibi Ecclésiae nùptias venit.

℞. Iste est, qui.

Lectio VIII.

Sola quippe dilectióne Dei actum est, ut ejus Unigénitus mentes sibi electórum hóminum uníret, Unde et Joánnes dicit: Sic enim diléxit Deus mundum, ut Fílium suum unigenitum daret pro nobis. Qui ergo per charitátem venit ad hómines, eámdem charitátem innótuit vestem esse nuptiálem. Omnis ergo vestrum, qui in Ecclésia pósitus Deo crédidit, jam ad núptias intrávit: sed cum nuptiáli veste non venit, si charitátis grátiam non custódit. Et certe, fratres, si quis ad carnáles núptias esset invitátus, vestem mutáret, congaudére se sponso, et sponsae ex ipso sui hábitus decóre osténderet, inter gaudéntes, et festa celebrántes despéctis véstibus apparére erubésceret. Nos ad Dei núptias venímus, et cordis vestem mutáre dissimulámus. Congáudent Angeli, cum ad coelum assumúntur elécti. Qua ergo mente haec spirituália festa conspícimus, qui nuptiálem vestem, id est charitátem, quae sola nos speciósos éxhibet, non habémus?

℞. Sint lumbi vestri.

Lectio IX.

Sciéndum vero est, quia sicut in duóbus lignis, superióre vidélicet, et inferióre vestis téxitur: ita in duóbus praecéptis cháritas habétur, in dilectióne scílicet Dei, et próximi. Scriptum quippe est: Díliges Dóminum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota ánima tua, et ex tota virtúte tua, et próximum tuum sicut teípsum. Qua in re notándum est, quia in dilectióne próximi mensúra amóris pónitur, cum dícitur: Díliges próximum tuum sicut teípsum. Dei áutem diléctio nulla mensúra constríngitur, cum dícitur: Díliges Dóminum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota ànima tua, ex tota virtúte tua. Non enim jubétur quisque quantum díligat, sed ex quanto, cum dícitur ex toto, quia ille veráciter Deum díligit, qui sibi de se nihil relínquit. Duo ergo necésse est ut charitátis praecépta custódiat, quisquis habére in núptiis vestem nuptiálem curat.

Te Deum.

AD BENEDICTUS.

Ant. Osténdit mihi Dóminus flúvium aquae vivae, spléndidum tamquam crystállum procedéntem de sede Dei, et Agni.

IN II. VESPERIS.

AD MAGNIFICAT.

Ant. Exístimo ómnia detriméntum esse propter eminéntem sciéntiam Jesu Christi Dómini mei.

DIE XXII. SEPTEMBRIS.

In Festo B. MARIAE DE CERVELLIONE, *alias de Subsidio Virginis.* Duplex.

Omnia de Communi Virg. praeter ea, quae sequuntur.

IN I. VESPERIS.

AD MAGNIFICAT

Ant. Flagéllis, et caténa María corpus domábat: siléntio, et abstinéntia ánimum custodiébat: oratiónibus incessánter instábat, docens Christi sponsas vas incorruptíbile in sanctificatióne et honóre possidére.

ORATIO.

Deus, qui nos cónspicis in tot perículis constitútos pro nostra fragilitáte non posse subsístere: concéde propítius, ut intercedénte beáta María fámula tua, de praeséntis vitae flúctibus edúcti, ad aetérnae salútis portum perveníre valeámus. Per Dóminum.

IN I. NOCTURNO.

Lectiones de Scriptura occurrentis.

IN II. NOCTURNO.

Lectio IV.

María ex nóbili família de Cervellióne Barchinóne in Hispánia nata, et a paréntibus in Dei timóre primis ab annis enutríta, virginitátem suam, cum decem et octo esset annórum illi devóvit. Ejus vivéndi rátio erat in públicum rárius prodíre, aegrotántibus domésticis sédulo adésse, et in nosocomío ter in hebdómada paupéribus ministráre. Annum trigésimum agens, defúncto patre hábitum Ordinis Sanctae Maríae de Mercéde prima ex foeminis suscípiens, sanctimoniáli-

bus ejúsdem Ordinis ducem, magístram, et exémplar se praebuit; ac distribúto património in redemptiónem captivórum, professiónem in eódem Ordine una cum voto de laborándo pro rediméndis captívis emísit.

℟. Propter veritátem.

Lectio V.

Matre e vivis subláta, cum áliquot honéstis foeminis ejúsdem Institúti, piam sanctámque vitam perégit, sólita quotídie mulíerum a suis frátribus redemptárum, ac Barcinónem adveniéntium, pedes in hospitáli domo laváre; quínquies in hebdómada sacra Eucharistía réfici, terque jejunáre solo pane et aqua conténta, quotidiánis flagéllis ínsuper et férrea caténa corpus suum afflígens. Siléntium, quod mira observántia colébat, inánibus verbis numquam infrégit, ac párcius indúlgens somno, expetébat ab hujúsmodi necessitáte liberári, ut illo fruerétur incessánter, quo jucundántur coeli, et Angeli laetántur. Quod diúrni témporis supérerat ab oratióne, et pietátis exercítiis, in páuperes juvándos impendébat, nullum officii genus praetermíttens, quo afflíctos consolarétur, oppréssos liberaret, et vinctos edúceret de carcéribus.

℟. Dilexísti justítiam.

Lectio VI.

Futúras maris tempestátes praenuntiábat, illásque saepe suis oratiónibus sedávit; visa aliquóties super undas incédere, quo fratres captivórum redemptóres, aliósque in mari periclitántes serváret incólumes; unde ei Maríae de Subsídio, vulgo de Socos, nomen est índitum. Dénique post multa virtútum insígnia Barcinóne migrávit ad Dóminum, decimotértio Kaléndas Octóbris, anno salutis millésimo ducentésimo nonagésimo. Ejus corpus, ex quo suavíssimus odor manábat, sepúltum est in Ecclésia Fratrum Ordinis sui, quod nonagésimo post anno, Epíscopo Barcinonénsi, Petro Aragóniae rege, ceterísque aulae, et civitátis primátibus adstántibus, solémni pompa elevátum, incorrúptum repértum fuit, ac decentióri loco, ubi religióse cólitur, asservátur.

℟. Afferéntur Regi.

IN III. NOCTURNO.

Homilia S. Gregorii Papae in Evang. Símile erit regnum

coelórum decem Virgínibus, *de Communi Virg.*

AD BENEDICTUS

Ant. Adducéntur in laetítia, et exultatióne Regi Dómino vírgines post Maríam, ut in sanctitáte, et justítia sérviant illi, et quocúmque íerit, ipsum Agnum sequántur.

IN II. VESPERIS.

AD MAGNIFICAT.

Ant. Mare, et venti Maríae obédiunt: Angélici candóris virtúte pollénti, aquae multae cessérunt ardóri charitátis ejus.

DIE XXIII. SEPTEMBRIS.

In Festo S. LINI *Pp. M.* Duplex.

Omnia ut in Brev.

FESTA OCTOBRIS

DOMINICA I. OCTOBRIS.

In Solemnitate SS. ROSARII B. M. V. Duplex majus.

Omnia dicuntur, ut in Officio S. Mariae ad Nives, in Breviario 5. Aug. praeter ea, quae hic sequuntur.

AD MAGNIFICAT.

Ant. Sancta María, succúrre míseris, juva pusillánimes, réfove flébiles, ora pro pópulo, intérveni pro clero, intercéde pro devóto foemíneo sexu: séntiant omnes tuum juvámen quicúmque célebrant tuam sanctam solemnitátem.

ORATIO

Deus, cujus Unigénitus per Vitam, Mortem, et Resurrectiónem suam nobis salútis aetérnae praemia comparávit: concéde, quaesumus, ut haec mystéria sanctíssimo Beátae Maríae Vírginis Rosário recoléntes, et imitémur quod cóntinent, et quod promíttunt, assequámur. Per. eúmdem.

Deinde fit commem. Dominicae occurrent.

IN I. NOCTURNO.

Lectiones de Parabolis Salomonis, Ego Sapiéntia, *ut in supradicto Festo ad Nives.*

IN II. NOCTURNO.

Lectio IV.

Cum Albigénsium haeresis per Tolosátium regiónem ímpie grassarétur, atque áltius

in dies radíces ágeret, sanctus Domínicus, qui nuper Praedicatórum Ordinis fundaménta jécerat, ad eam convelléndam totus incúbuit. Id ut praestáret valídius, auxílium Beátae Vírginis, cujus dígnitas illis erróribus impudentíssime petebátur, cuíque datum est cunctas haereses interímere in univérso mundo, eníxis précibus implorávit: a qua (ut memóriae próditum est) cum mónitus esset, ut Rosárium pópulis praedicáret, velut singuláre advérsus haereses ac vítia praesídium, mirum est quanto mentis fervóre, et quam felíci succéssu injúnctum sibi munus sit execútus. Est áutem Rosárium certa precándi fórmula, quam quíndecim Angelicárum Salutatiónum Décades Oratióne Domínica interjécta, distínguimus, et ad eárum síngulas tótidem nostrae reparatiónis mystéria pia meditatióne recólimus. Ex eo ergo témpore pius hic orándi modus mirabíliter per sanctum Domínicum promulgári, augeríque coepit: quem ejúsdem institutórem, auctorémque fuísse Summi Pontífices Apostólicis lítteris passim affirmárunt.

℟. Sicut cedrus.

Lectio V.

Innumerábiles porro fructus ex hac tam salutári institutióne in Christiànam Rempúblicam dimanárunt: inter quos victória illa mérito numerátur, quam sanctíssimus Póntifex Pius Quintus, et ab eo inflammáti Christiáni Príncipes apud Echínadas Insulas de Turcárum tyránno potentíssimo reportárunt. Nam cum illa ipsa die ea victória reláta sit, qua die Sanctíssimi Rosárii Sodalitátes per univérsum orbem consuétas supplicatiónes perágerent, statutásque preces de more fúnderent, iis précibus haud immérito refértur accépta. Quod quidem cum étiam Gregórius Tertiusdécimus testátus esset; ut pro tam singulári benefício Beátae Vírgini sub appellatióne Rosárii perénnes grátiae ubíque terrárum haberéntur, in Ecclésiis ómnibus, in quibus altáre Rosárii foret, prima quaque Octóbris Domínica offícium ritu dúplici majóri perpétuo celebrándum indíxit: aliíque Pontífices Rosárium recitántibus, ejusdémque Rosárii Sodalitátibus Indulgéntias pene innúmeras concessére.

℟. Quae est ista.

Lectio VI.

Nuper vero Clemens Un-

décimus ánimo répulans, insígnem páriter victóriam anno millésimo septingentésimo decimoséxto in Hungáriae regno a Cárolo Sexto in Imperatórem Romanórum eléeto, de innúmeris Turcárum cópiis relátam, eo die contigísse, quo festum Dedicatiónis Sanctae Maríae ad Nives celebrarétur, atque eódem ferme témpore, quo Sanctíssimi Rosárii Confrátres públicam, solemnémque supplicatiónem in alma Urbe, ingénti pópuli concúrsu, magnáque religióne peragéntes férvidas ad Deum preces pro Turcárum depressióne fúnderent, ac poténtem opem Deíparae Vírginis in auxílium Christianórum humíliter implorárent; eam ob rem victóriam illam, nec non liberàtam páulo post eorúmdem Turcárum obsidióne Corcyrénsem Insulam ejúsdem Beátae Vírginis patrocinio pie cénsuit adscribéndam. Quamóbrem, ut hujus quoque tam insígnis beneficii perénnis semper et memória extáret, et grátia, sanctíssimi Rosárii festum eádem die, eodémque ritu celebrándum ad Ecclésiam univérsam extén-dit. Haec áutem ómnia Benedíctus Decimustértius in Breviário Románo novíssime appóni jussit. Sanctíssimam ergo Dei Genitrícem cultu hoc eídem gratíssimo júgiter venerémur: ut quae tóties Christifidélibus, Rosárii précibus exoráta terrénos hostes profligáre dedit, ac pérdere. Inférnos páriter superáre concédat.

℟. Ornátam monílibus.

IN III. NOCTURNO.

Homilia in Evang. Loquénte Jesu, *ut in supradicto Officio S. Mariae ad Nives excepto quod in fine Respons. Lect. VII. dicit.* Sanctam Solemnitátem.

Lectio IX. legitur de Homilia Dominicae.

AD LAUDES

ET PER HORAS

Omnia item ut in supradicto Officio S, Mariae ad Nives.

IN II. VESPERIS.

Fit commem. Dominicae occurr.

DOMINICA II. OCTOBRIS.
In Festo MATERNITATIS B. M. V. Duplex majus.

AD VESPERAS.

Ant. Beáta es Virgo María *cum reliquis de Laud. Psalm. consueti de S. Maria ut in ejus Officio parvo.*

Capitulum

Eccl. 24.

Qui creávit me, requiévit in tabernáculo meo, et dixit mihi: in Jacob inhábita, et in eléctis meis mitte radíces.

Hymn. Ave maris Stella.

℣. Benedícta tu in muliéribus.

℟. Et benedíctus fructus ventris tui.

AD MAGNIFICAT.

Aut. Cum jucunditáte Maternitátem Beátae Maríae semper Vírginis celebrémus.

ORATIO.

Deus, qui de Beátae Maríae Vírginis útero Verbum tuum Angelo nuntiánte carnem suscípere voluísti, praesta supplícibus tuis: ut qui vere eam Genitrícem Dei crédimus, ejus apud te intercessiónibus adjuvémur. Per eúmdem Dóminum.

Deinde fit commem. Domin. occurr.

AD MATUTINUM.

Invit. Maternitátem Beátae Maríae Vírginis celebrémus: * Christum ejus Fílium adorémus Dóminum.

Psalm. Veníte, exultémus.

Hymnus.

Coelo Redémptor praetulit
Felícis alvum Vírginis,
Ubi futúra víctima
Mortále corpus índuit.
Haec Virgo nobis édidit
Nostrae salútis áuspicem,
Qui nos redémit Sánguine,
Poenas, crucémque pértulit.
Spes laeta nostro e péctore
Pellat timóres ánxios:
Haec quippe nostras lácrymas
Precésque defert Fílio.
Voces Paréntis éxcipit,
Votísque Natus ánnuit.
Hanc quisque semper díligat,
Rebúsque in arctis ínvocet.
Sit Trinitáti glória,
Quae Matris intáctum sinum
Ditávit almo Gérmine,
Laus sit per omne saeculum.
Amen.

Antiph. et Psalm. Noct. ut in ejus Off. parv.

IN I. NOCTURNO.

℣. Spécie tua, et pulchritúdine tua.

℟. Inténde, próspere procéde, et regna.

De Libro Ecclesiástici.

Lectio I.

Cap. 24.

Ego ex ore Altíssimi prodívi primogénita ante omnem creatúram. Ego feci in coelis, ut orirétur lumen indeficiens, et sicut nébula texi omnem terram. Ego in altíssimis habitávi, et thronus meus in colúmna nubis. Gyrum coeli circuívi sola, et profúndum abyssi penetrávi; in flúctibus maris ambulávi, et in omni terra steti, et in omni pópulo, et in omni gente primátum hábui: et ómnium excelléntium, et humílium corda virtúte calcávi: et in his ómnibus réquiem quaesívi, et in haereditáte Dómini morábor.

℟. Felix es sacra Virgo María, et omni láude digníssima: * Ex qua ortus est sol justítiae Christus Deus noster, per quem salváti et redémpti sumus.

℣. Maternitátem Beátae Maríae Vírginis cum gáudio celebrémus. Ex qua.

Lectio II.

Tunc praecépit, et dixit mihi Creátor ómnium: et qui creávit me, requiévit in tabernáculo meo, et dixit mihi: in Jacob inhábita, et in Israel haereditáre, et in eléctis meis mitte radíces. Ab inítio et ante saecula creáta sum, et usque ad futúrum saeculum non désinam, et in habitatióne sancta coram ipso ministrávi. Et sic in Sion firmáta sum, et in civitáte sanctificáta simíliter requiévi, et in Jerúsalem potéstas mea. Et radicávi in pópulo honorificáto, et in parte Dei mei haeréditas illíus, et in plenitúdine sanctórum deténtio mea.

℟. Sine tactu pudóris invénta es Mater Salvatóris: * Qui coelum, terrámque regit, in tua se cláusit víscera factus homo.

℣. Benedícta tu in muliéribus, et benedictus fructus ventris tui. Qui coelum.

Lectio III.

Quasi cedrus exaltáta sum in Líbano, et quasi cypréssus in monte Sion. Quasi palma exaltàta sum in Cades, et quasi plantàtio rosae in Jéricho. Quasi olíva speciósa in campis, et quasi plátanus exaltáta sum juxta aquam in platéis. Sicut cynnamómum et bálsamum aromatízans odórem dedi: quasi myrrha elécta dedi suavitátem odóris: et quasi storax, et gálbanus, et úngula, et gutta, et quasi Líbanus non incísus

vaporávi habitatiónem meam et quasi bálsamum non mixtum odor meus. Ego quasi therebíntus exténdi ramos meos, et rami mei honóris, et grátiae. Ego quasi vitis fructificávi suavitátem odóris.

℟. Multae filiae congregavérunt divítias: tu supergréssa es univérsas: * Speciósa facta es, et suávis in delíciis tuis sancta Dei Génitrix.

℣. Séntiant omnes tuum juvámen, quicúmque célebrant tuam sanctam Maternitátem. Speciósa. Glória Patri. Speciósa.

IN II. NOCTURNO.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis.

℟. Proptérea benedíxit te Deus in aetérnum.

Ex Sermóne sancti Leónis Papae.

Serm. 1. de Nat. Dom.

Lectio IV.

Virgo régia Davídicae stirpis elígitur, quae sacro gravidánda foetu, divínam, humanámque Prolem prius concíperet mente, quam córpore: et ne supérni ignára consílii ad inusitátos pavéret affátus, quod in ea operándum erat a Spíritu Sancto, collóquio dídicit Angélico, nec damnum crédidit pudóris Dei Génitrix mox futúra. Cur enim de conceptiónis novitáte despéret, cui efficiéntia de Altíssimi virtúte promíttitur? Confirmátur credéntis fide étiam praeeúntis attestatióne miráculi. Donátur Elísabeth inopináta foecúnditas, ut qui concéptum déderat stérili, datúrus non dubitarétur et Vírgini. Verbum ígitur Dei Fílius, qui in princípio erat apud Deum, per quem facta sunt ómnia, et sine quo factum est nihil propter liberándum hóminem ab aetérna morte factus est homo.

℟. Gloriósae Vírginis Maríae Maternitátem digníssimam recolámus, * Cujus Dóminus humilitátem respéxit, quae Angelo nuntiánte concépit Salvatórem mundi.

℣. Christo canámus glóriam in hac sacra Solemnitáte mirábilis Genitrícis Dei. Cujus.

Serm. 2. de Nat. Dom.

Lectio V.

Ingréditur haec ínfima Jesus Christus Dóminus noster de coeli sede descéndens, et a patérna glória non recédens, novo órdine, nova nativitáte

generátus. Novo órdine, quia invisíbilis in suis, visíbilis factus est in nostris, incomprehensíbilis vóluit comprehéndi; ante témpora manens esse coepit in témpore. Nova áutem nativitáte génitus est, concéptus a Vírgine, natus ex Vírgine, sine patérnae carnis concupiscéntia, sine matérnae integritátis injúria, quia futúrum hóminum Salvatórem talis ortus decébat, qui et in se habéret humánae substántiae natúram, et humánae carnis inquinaménta nescíret. Orígo dissímilis, sed natúra consímilis: humáno usu et consuetúdine, quod crédimus, caret; sed divína potestáte subníxum est, quod Virgo concéperit, Virgo pepérerit, Virgo permánserit.

℟. Benedícta filia tu a Dómino, quia per te fructum vitae communicávimus: * Sola sine exémplo placuísti Dómino nostro Jesu Christo.

℣. Nostras deprecatiónes ne despícias in necessitátibus nostris, et a perículis cunctis líbera nos sancta Dei Génitrix. Sola.

Lectio VI.

Opórtuit ut primam Genitrícis integritátem nascéntis incorrúptio custodíret, et complácitum sibi cláustrum pudóris, et sanctitátis hospítium divíni Spíritus virtus infúsa serváret, quae statúerat dejécta erígere, confrácta solidáre, et superándis carnis illécebris multiplicátam pudicítiae donáre virtútem; ut virgínitas, quae in áliis non póterat salva esse generándo, fieret áliis imitábilis renascéndo. Hoc ipsum áutem, quod Christus nasci éligit ex Vírgine, nonne appáret altíssimae fuísse ratiónis? Ut scílicet humáno géneri natam salútem diábolus ignoráret, et spirituáli laténte concéptu, quem non álium vidéret, quam álios, non áliter créderet natum esse, quam coeteros. Quod ut fieret, éditus est Christus ex Vírgine, quam Spíritus Sanctus foecundávit, et cum in ómnibus mátribus non fiat sine peccáti sorde concéptio, haec inde purgatiónem traxit unde concépit.

℟. Benedícta inter mulíeres, et benedíctus fructus ventris tui: * Unde hoc mihi, ut véniat Mater Dómini mei ad me?

℣. Respéxit humilitátem ancíllae suae, et fecit mihi magna qui potens est. Unde Glória Patri. Unde.

IN III. NOCTURNO.

℣. Fecit mihi magna qui potens est.

℟. Misericórdia ejus a progénie in progénies timéntibus eum.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio VII.

Cap. 3.

In illo témpore: Cum redírent, remánsit puer Jesus in Jerúsalem, et non cognovérunt paréntes ejus. Et réliqua.

Homilía sancti Bernárdi Abbátis.

Homil 1. *de Laud. Virg. Matris.*

Deum, et Dóminum Angelórum María suum Fílium appéllat, dicens, Fili, quid fecísti nobis sic? Quis hoc áudeat Angelórum? Súfficit eis, et pro magno habent, quod cum sint spíritus ex conditióne, ex grátia facti sint, et vocáti Angeli, testánte David: Qui facit Angelos suos spíritus. María vero Matrem se agnóscens, majestátem illam, cui illi cum reveréntia sérviunt, cum fidúcia suum núncupat Fílium: nec dedignátur nuncupári Deus, quod esse dignátus est. Nam páulo post subdit Evangelísta: Et erat súbditus illis. Quis? Quibus? Deus homínibus. Deus, inquam, cui Angeli súbditi sunt, cui Principátus, et Potestátes obédiunt, súbditus erat Maríae.

℟. Beáta es Virgo María Dei Génitrix, quae credidísti Dómino: perfécta sunt in te. quae dicta sunt tibi * Proptérea benedíxit te Deus in aetérnum.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis: intercéde pro nobis ad Dóminum Deum nostrum. Proptérea.

Ben. Cujus festum cólimus ipsa Virgo Vírginum.

Lectio VIII.

Miráre utrúmlibet, et élige quod ámplius miréris sive Fílii benigníssimam dignatiónem, sive Matris excellentíssimam dignitátem. Utrínque stupor, utrínque miráculum. Et quod Deus foeminae obtémperet, humílitas absque exémplo: et quod Deo foemina principétur, sublímitas sine sócio. In láudibus Vírginum singuláriter cánitur quod sequúntur Agnum quocúmque íerit. Quibus ergo láudibus júdicas dignam, quae étiam

praeit? Disce homo obedíre, disce terra subdi, disce pulvis obtemperáre. De Auctóre tuo loquens Evangelísta: Et erat, inquit, súbditus illis. Erubésce supérbe cinis, Deus se humíliat, et tu te exáltas, Deus se homínibus subdit, et tu dominári géstiens homínibus tuo te praepónis Auctóri. * Felix María, cui nec humílitas défuit, nec virgínitas. Et quidem singuláris virgínitas, quam non temerávit, sed honorávit foecúnditas. Et nihilóminus speciàlis humílitas, quam non ábstulit, sed éxtulit foecúnda virgínitas, et incomparábilis prorsus foecúnditas, quam virgínitas simul comitátur, et humílitas. Quid horum non mirábile? quid non incomparábile? quid non singuláre? Mirum vero si non haesitas in horum ponderatióne, quid tua júdices dignius admiratióne, utrum vidélicet pótius stupénda sit foecúnditas in Vírgine, an in Matre intégritas: sublímitas in prole, an cum tanta sublimitáte humílitas? Nisi quod indubitánter horum síngulis praeferénda sunt simul cuncta, et incomparabíliter excelléntius est, atque felícius ómnia percepísse, quam áliqua. Et quid mirum si Deus, qui miràbilis cérnitur, in Sanctis suis, mirábilem se exhíbuit in Matre sua? Venerámini ergo, cónjuges, in carne corruptíbili carnis integritátem. Vos sacrae Vírgines in Vírgine foecunditátem. Imitámini omnes hómines Dei Matris humilitátem.

℟. Congratulámini mihi omnes, qui dilígitis Dóminum, quia cum essem pàrvula plácui Altíssimo: * Et de meis viscéribus génui Deum, et hòminem,

℣. Beatam me dicent omnes generatiónes, quia ancíllam húmilem respéxit Deus. Et. Glória Patri. Et.

Nona Lectio Homil. Domin, curr. deinde.

Te Deum.

AD LAUDES

ET PER HORAS.

Ant. Beáta es Virgo María, quae ómnium portàsti Creatórem,

Psalm. Dóminus regnávit, *cum rel. de Dom.*

Ant. Genuísti qui te fecit, et in aetérnum pérmanes Virgo.

Ant. Beátam me dicent omnes generatiónes, quia ancíllam húmilem respéxit Dóminus.

Ant. Fecit mihi magna, qui potens est, et sanctum nomen ejus.

Ant. Vidérunt eam filiae

Sion, et beàtam dixérunt, et regínae laudavérunt eam.

Capitulum.

Eccl. 24.

Qui creávit me requiévit in tabernáculo meo, et dixit mihi: in Jacob inhábita, et in eléctis meis mitte radíces.

Hymnus.

Te Mater alma Núminis
Orámus omnes súpplices,
A fráude nos ut daemonis
Tua sub umbra prótegas.
Ob pérditum nostrum genus
Primi paréntis crímine
Ad ínclytum Matris decus
Te Rex suprémus éxtulit.
Cleménter ergo próspice
Lapsis Adámi pósteris:
Ad te rogátus Fílius
Depónat iram víndicem.
Jesu, tibi sit glória,
Qui natus es de Vírgine,
Cum Patre, et almo Spíritu
In sempitérna saecula.
Amen.

℣. Germinávit radix Jesse: orta est stella ex Jacob.

℟. Virgo péperit Salvatórem, te laudámus Deus noster.

AD BENEDICTUS.

Ant. Sancta María succúrre míseris, juva pusillánimes, réfove flébiles, ora pro pópulo, intérveni pro Clero, intercéde pro devóto foemíneo sexu; séntiant omnes tuum juvámen, quicúmque célebrant tuam admirábilem Maternitátem.

ORATIO.

Deus, qui de Beátae Maríae Vírginis útero Verbum tuum Angelo nuntiánte carnem suscípere voluísti, praesta supplícibus tuis: ut qui vere eam Genitrícem Dei crédimus, ejus apud te intercessiónibus adjuvémur. Per eúmdem Dóminum.

Deinde fit com. Dominicae.

Ad Hor. Ant. et or. ut in Laud. rel. ut in Off. B. M. V. in Sab.

AD PRIMAM

℣. Qui natus es.

IN II. VESPERIS.

Omn. ut in prim.

AD MAGNIFICAT.

Ant. Matérnitas tua, Dei Génitrix Virgo, gáudium an-

nuntiávit univérso mundo: ex te enim ortus est sol justítiae Christus Deus noster.

Deinde fit com. Dominicae:

DOMENICA III. OCTOBRIS.

In Festo PURITATIS B. M. V. Duplex majus.

AD VESPERAS.

Ant. Sicut lílium inter spinas *cum reliq. de Laud. Psalm.* dixit dóminus *cum reliq. ut in Officio parvo B. M. V.*

Capitulum

Sap. 4.

O quam pulchra est casta generátio cum claritáte: immortális est enim memória illíus, quóniam apud Deum nota est, et apud hómines.

Hymnus.

Praeclára Custos Vírginum,
Intácta Mater Núminis,
Coeléstis áulae jánua,
Spes nostra, coeli gáudium.
Inter rubéta lílium.
Colúmba formosíssima,
Virga e radíce gérminans
Nostro medélam vúlneri.
Turris dracóni impérvia,
Amíca stella náufragis,
Tuére nos a fráudibus,
Tuáque luce dírige.
Erròris umbras díscute,
Syrtes dolósas ámove.
Fluctus tot inter déviis
Tutam reclúde sémitam.
Jesu, tibi sit glória,
Qui natus es de Vírgine,
Cum Patre, et almo Spíritu
In sempitérna saecula.
Amen.

Haec conclus. dicit. in fine omnium Hymnor.

℣. Cum jucunditáte Virginitátem Beátae Maríae semper Vírginis celebrémus.

℟. Ut ipsa pro nobis intercédat ad Dóminum Jesum Christum.

AD MAGNIFICAT.

Ant. Nihil inquinátum in eam incúrrit; candor est lucis aetérnae, et spéculum sine mácula.

ORATIO

Da, quaesumus, omnípotens, aetérne Deus; ut puríssimae Vírginis Maríae integérrimam Virginitátem festíva celebritáte venerántes, ejus intercessióne, puritátem mentis, et córporis consequámur. Per Dóminum.

Et fit commemor. Dominic.

AD MATUTINUM.

Invitat. Virginitátem Deíparae celebrémus: * Christum ejus Fílium adorémus Dóminum.
Psalm. Veníte, exultémus.

Hymnum.

O Stella Jacob fúlgida,
O Solis instar spléndida,
Auróra, qua nil púrius
Refúlget inter sídera.
Stolis amíctae cándidis
Tibi catérvae coelitum
Pláudunt, sacraeque Vírgines
Láudes perénnes cóncinunt.
Quin obsequéntes ófferunt
Ligústra, et alba lília:
Candor sed horum víncitur
Candóre casti péctoris.
Nostra Angelórum láudibus
Abjécta tellus ássónans
Ad astra voces éfferat
Et Vírginis praecónia.
Jesu, tibi sit glória,
Qui natus es de Vírgine,
Cum Patre, et almo Spíritu
In sempitérna saecula.
Amen.

Ant. et Psalm. Noct. ut in ejus Off. parvo.

IN I. NOCTURNO.

℣. Venérunt mihi ómnia bona páriter cum illa.
℟. Et innumerábilis honéstas per manus illíus.

De Cánticis Canticórum.

Lectio I.

Cap. 1.

Ego flos campi, et lílium convállium. Sicut lílium inter spinas, sic amíca mea inter filias. Sicut malus inter ligna silvárum, sic diléctus meus inter filios. Sub umbra illíus, quem desideràveram, sedi, et fructus ejus dulcis gútturi meo. Introdúxit me in cellam vináriam, ordinávit in me charitátem. Fulcìte me flóribus, stipáte me malis, quia amóre lángueo. Laeva ejus sub càpite meo, et déxtera illíus amplexábitur me. Adjúro vos, filiae Jerúsalem, per cápreas cervósque campórum, ne suscitétis, neque evigiláre faciátis diléctam, quoadúsque ipsa velit. Vox diléctí mei: ecce iste venit sáliens in móntibus, transíliens colles: símilis est diléctus meus cápreae hinnulóque cervórum. En ipse stat post paríetem nostrum, respíciens per fenéstras, prospíciens per cancéllos. En diléctus meus lóquitur mihi: Surge própera, amíca mea, colúmba mea, formósa mea, et veni.
℟. Diléctus meus mihi, et

ego illi, qui páscitur inter lília: * Pulchra es amíca mea, suávis, et decóra sicut Jerúsalem, terríbilis ut castrórum ácies ordináta.

℣. Una est colúmba mea, perfécta mea: Vidérunt eam filiae Sion: et beatíssimam praedicavérunt. Pulchra.

Lectio II.

c. 4.

Quam pulchra es, amíca mea; quam pulchra es! óculi tui columbárum, absque eo quod intrínsecus latet. Capílli tui sicut greges caprárum, quae ascendérunt de monte Gálaad, dentes tui sicut greges tonsárum, quae ascendérunt de lavácro, omnes geméllis foetibus, et stérilis non est inter eas. Sicut vitta coccínea lábia tua, et elóquium tuum dulce. Sicut fragmen mali púnici, ita genae tuae. Sicut turris David collum tuum, quae aedificáta est cum propugnáculis: mille clypei pendent ex ea, omnis armatúra fórtium. Duo úbera tua sicut duo hínnuli cápreae geméllí, qui pascúntur in líliis, donec aspíret dies, et inclinéntur umbrae. Vadam ad montem myrrhae, et ad collem thuris. Tota pulchra es, amíca mea, et mácula non est in te.

℟. Surge, própera, amíca mea, colúmba mea, formósa mea, et veni: * Jam hyems tránsiit, imber ábiit, et recéssit: flores apparuérunt in terra nostra.

℣. Surgam, et circuíbo civitátem: per vicos, et platéas quaeram quem díligit ánima mea. Jam.

Lectio III.

Veni de Líbano Sponsa mea, veni de Líbano, veni: coronáberis de cápite Amána, de vértice Sanir et Hermon, de cubílibus leónum, de móntibus pardórum. Vulnerásti cor meum soror mea sponsa, vulnerásti cor meum in uno oculórum tuórum, et in uno crine colli tui. Quam pulchrae sunt mammae tuae, soror mea sponsa! pulchrióra sunt úbera tua vino, et odor unguentórum tuórum super ómnia arómata. Favus distíllans lábia tua, sponsa, mel, et lac sub lingua tua: et odor vestimentórum tuórum, sicut odor thuris. Hortus conclúsus, soror mea spónsa, hortus conclúsus, fons signátus.

℟. Adjúro vos, filiae Jerúsalem, si invenéritis diléctum meum, ut nuntiétis ei, quia amóre lángueo: * Qualis est diléctus tuus, o pulchérrima mulíerum?

℣. Diléctus meus cándidus, et rubicúndus, eléctus ex míllibus: Talis est diléctus meus, ipse est amícus meus, fíliae Jerúsalem. Qualis. Glória Patri. Qualis.

IN II. NOCTURNO.

℣. Post partum Virgo invioláta permansísti.
℟. Dei Génitrix intercéde pro nobis.

Ex Libro sancti Ambrósii Epíscopi de Virgínibus.

Lectio IV.

Lib. 2. post initium.

Sit vobis tamquam in imágine descrípta Virgínitas, vítaque beátae Maríae, de qua velut in spéculo, refúlget spécies castitátis, et forma virtútis. Hinc sumátis licet exémpla vivéndi: ubi, tamquam, in exemplári, magistéria expressa probitátis, quid corrígere, quid effúgere, quid tenére debeátis, osténdunt. Primus discéndi ardor, nobílitas est magístri. Quid nobílius Dei Matre? Quid splendídius ea, quam splendor elégit? Quid cástius ea, quae corpus sine córporis contagióne generávit?

℟. Beatíssima Virgo María hortus conclúsus, fons signátus, Regína Angelórum, Dómina mundi: * Per quam Deus descéndit in terras, ut hómines ascéndere mereréntur ad coelos.
℣. Ad te clamámus éxules filii Hevae: recordáre nostri, sanctíssima Virgo. Per quam.

Lectio V.

De coeteris ejus virtútibus quid loquar? Virgo erat non solum córpore, sed étiam mente, quae nullo doli ámbitu sincérum adulteráret afféctum. Corde húmilis, verbis gravis, ánimi prudens, loquéndi párcior, legéndi studiósior, non in incérto divitiárum, sed in prece páuperis spem repónens: inténta óperi, verecúnda sermóne, árbitrum mentis sólita non hóminem, sed Deum quaerere, nullum laedere, bene velle ómnibus, fúgere jactántiam, ratiónem sequi, amáre virtútem.

℟. Beáta María tantae éxtitit puritátis, ut Mater Dómini esse mererétur: * Deus quam elégerat creávit, de qua crearétur elégit.
℣. Ipsa est Stella ex Jacob, cujus rádius univérsum orbem illúminat. Deus.

Ex sancto Petro Crisólogo

Lectio IV.

Serm. 143.

Haec dedit coelis glóriam,

terris Deum, fidem géntibus, finem vítiis, vitae órdinem, móribus disciplínam. Grátiam, quam détulit Angelus, accépit Virgo, salútem saeculis reddititúra. Vere benedícta Virgo, quae et Virginitátis póssidet decus, et Matris dignitátem. Vere benedícta, quae et supérni concéptus méruit grátiam, et servávit integritátis corónam. Vere benedícta, quae et divíni gérminis suscépit glóriam, et Regína éxtitit totíus castitátis.

℟. Quómodo fiet istud, quóniam virum non cognósco? Spíritus Sanctus supervéniet in te: * Virtus Altíssimi obumbrábit tibi, ideóque, * Quod nascétur ex te sanctum vocábitur Fílius Dei.

℣. Dixit áutem María: Ecce ancílla Dómini, fiat mihi secúndum verbum tuum. Virtus. Glória Patri. Quod.

IN III. NOCTURNO.

℣. Invenísti grátiam apud Deum.

℟. Sancta Dei Génitrix Virgo immaculáta.

Lectio Sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio VII.

Luc. 1. *c.*

In illo témpore: Missus est Angelus Gábriel a Deo in civitátem Galilaeae, cui nomen Názareth, ad Vírginem desponsátam viro. Et réliqua.

Homilía sancti Bernárdi Abbátis.

Homil. 2. super Missus est.

Novum cánticum illud, quod solis dábitur in regno Dei cantáre virgínibus, ipsam Vírginum Regínam, immo primam inter caeteras esse cantatúram, nemo est qui ámbigat. Puto áutem illam, praeter illud, quod solis licet, cum ómnibus tamen Virgínibus ei, ut dixi, commúne erit, dulcióri quodam, atque elegantióri cármine laetificatúram esse Civitátem Dei. Hujus ítaque dulcísonos deprómere, vel exprímere módulos ne ipsárum quidem Vírginum ulla digna inveniétur, quia mérito decantándum servábitur illi, quae sola de partu, et partu divíno gloriátur. Gloriátur, dixi, de partu, non in se, sed in ipso quem péperit. Deus síquidem, Deus enim est quem péperit; et qui Matrem suam in coeléstibus donatúrus glória singulári, in terris praevenire curávit et grátia, qua vidélicet ineffabíliter et intácta concíperet, et páreret incorrúpta.

℟. Egrediétur virga de radíce Jesse, et flos de radíce ejus ascéndet: * Ecce virgo concípiet, et páriet Fílium, et vocábitur nomen ejus Emmánuel.

℣. Joseph Fili David noli timére accípere Maríam cónjugem tuam, quod enim in ea natum est de Spíritu Sancto est. Ecce.

Benedictio. Cujus festum cólimus, ipsa Virgo Vírginum.

Lectio VIII.

Deum hujúsmodi decébat natívitas, qua non nisi de vírgine nascerétur. Talis congruébat et Vírgini partus, ut non páreret, nisi Deum. Proínde factor hóminum, ut homo fieret nascitúrus de hómine talem sibi ex ómnibus débuit delígere, immo cóndere Matrem, qualem et se decére sciébat, et sibi nóverat placitúram. Vóluit ítaque esse Vírginem, de qua immaculáta immaculátus procèderet, ómnium máculas purgatúrus. Vóluit et húmilem, de qua mitis, et húmilis corde prodìret, harum in se virtútum necessárium ómnibus saluberrimúmque exémplum ostensúrus. Dedit Vírgini partum, qui ei jam ante et virginitátis inspiráverat votum, et humilitátis praerogáverat méritum. Ut ígitur, quae Sanctum Sanctórum conceptúra erat páriter, et paritúra, sancta esset córpore, accépit donum virginitátis, ut esset et mente, accépit donum humilitátis. * O admirábilem, et omni honóre digníssimam Vírginem! O foeminam singuláriter venerándam, super omnes foeminas admirábilem, paréntum reparatrícem, posterórum vivificatrícem! Missus est Angelus ad Vírginem, Vírginem carne, Vírginem mente, Vírginem professióne, Vírginem dénique, qualem descríbit Apóstolus, mente et córpore sanctam. Nec nóviter, nec fortúito inventam; sed a saeculo eléctam, ab Altíssimo praecógnitam, et sibi praeparátam, ab Angelis servátam, a pátribus praefigurátam, a Prophétis promíssam.

℟. Beáta Dei Génitrix María, templum Dómini, sacrárium Spíritus Sancti: * Sola sine exémplo placuísti Dómino nostro Jesu Christo.

℣. Genuísti qui te fecit, et in aetérnum pérmanes Virgo. Sola. Glória Patri. Sola.

Nona Lectio de Homil. Dominic.

Te Deum laudámus.

AD LAUDES

ET PER HORAS.

Ant. Sicut lílium inter spinas, sic amíca mea inter fílias.

Psalm. Dóminus regnávit, *cum rel. de Dom.*

Ant. Diléctus meus mihi, et ego illi, qui páscitur inter lília.

Ant. Quam pulchra es, amíca mea, quam pulchra es.

Ant. Una est colúmba mea perfécta mea.

Ant. Vidérunt eam fíliae Sion, et beatíssimam praedicavérunt.

Capitulum

Sap. 4.

O quam pulchra est casta generátio cum claritáte: immortális est enim memória illíus, quóniam apud Deum nota est, et apud hómines.

Hymn. O gloriósa Vírginum.

℣. Spécie tua, et pulchritúdine tua.

℟. Inténde, próspere procéde, et regna.

AD BENEDICTUS.

Ant. Sancta, et immaculáta Maríae Virgínitas, quibus te láudibus ésseram néscio, quia per te Redemptórem nostrum suscépimus Dóminum nostrum Jesum Christum.

ORATIO.

Da, quaesumus, omnípotens, aetérne Deus, ut puríssimae Vírginis Maríae integérrimam Virginitátem festíva celebritáte venerántes, ejus intercessióne, puritátem mentis, et córporis consequámur. Per Dóminum.

Deinde fit. comm. Dominic.

AD PRIMAM.

℣. Qui natus es.

Ad Horas, Ant. et Orat. ut in Laud. reliq. ut in Offic. B. M. V. in Sabb.

IN II. VESPERIS

Omn. ut in prim.

AD MAGNIFICAT.

Ant. Beáta Dei Génitrix María, Virgo perpétua, sacrárium Spíritus Sancti, sola sine exémplo placuísti Dómino nostro Jesu Christo.

Et fit com. Dom. occurr.

DIE I. OCTOB.

ASS. EX IX. AUG.

In Festo S. Emidii *Episc. et Mart.* Duplex.

Omnia de Communi unius Mart. praeter sequentia.

ORATIO.

Deus qui beátum Emídium mártyrem tuum, atque Pontíficem Idolórum victória, et miraculórum glória decorásti: concéde propítius, ut eo interveniénte, malórum spirítuum fráudes víncere, et coruscáre virtútibus mereámur. Per Dóminum.

Et fit com. praec. et S. Remigii Ep. C. ut in Brev.

IN I. NOCTURNO.

Lect. de Scrip. occ.

IN II. NOCTURNO.

Lectio IV.

Emídius e nóbili Francórum prosápia Tréviris natus, anno aetátis vigésimo tértio, paréntibus idolátris frustra obstántibus, fidem Christi suscépit, et constantíssime proféssus est. Cum tribus discípulis Euplo, Germáno, et Valentíno vitam duxit: humánis sprétis oblectaméntis, rebus divínis plénius incumbébat: erga próximum charitátis ardóre aestuábat, idcírco ad procurándam multórum salútem Romam se cóntulit. Hospítio excéptus in Insula Tíberis, hóspitis fíliam per quinquénnium jam immedicábili morbo languéntem Baptísmo sanávit.

℟. Honéstum fecit illum.

Lectio V.

Mox óculi caeci coram pópulo signo Crucis apértis, a multitúdine eum fílium Apóllinis credénte in templum Aesculápii rápitur. Ibi Christi servum se proféssus, ejus invocatióne magnum númerum aegrórum, nequídquam Idóli opem implorántium, valetúdini restítuit, aras díruit, Aesculápii signum confráctum in Tíberim projécit. Quibus rebus, et mille tercentórum Gentílium praeter Aesculápii sacerdótes, conversióne inde sequúta, irritáti Posthúmii Titiáni Praeffécti urbis minas, Angeli mónitu declínans, sanctum Marcéllum Pontíficem ádiit, a quo Epíscopus ordinátus, et Asculum missus est.

℟. Desidérium ánimae.

Lectio VI.

Multis in itínere miráculis, ingénti multitúdine Christo adjúncta, simul ac Ascu-

lum Emídius pervénit, daemones e simulácris Idolórum per cuncta fana ejulátibus éditis, peregrínum dolóris sui cáusam indicárunt. Quem cum concitáta plebs ad caedem quaereret, éxcitus tumúltu Polymius civitátis praeses eum ad se vocátum multis sed írritis verbis ad Jovis, et Angáriae deae Asculi patrónae veneratiónem hortátur, promíssis étiam in praemium núptiis própriae filiae Polísiae, quam Emídius ad Christum convérsam baptizàvit, et post eam mille et sexagínta hómines, edúcta e saxo per ingens miráculum aquárum cópia. His in ràbiem actus Polymius sancto Epíscopo caput abscídit: quo facto, truncus ejus mirabíliter eréctus abjéctum humo próprium caput attóllens mánibus, per spátium trecentórum passuum ad Oratórium portávit; inde ad templum máximum translátus est, ubi magna religióne Asculáni pópuli, et concúrsu exterórum hanc usque in diem cólitur. Incidit ejus beáta mors, persecutióne Diocletiáni duránte. ℟. Stola jucunditátis.

IN III. NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio VII.

Cap. 15.

In illo témpore, dixit Jesus discípulis suis: Cum audiéritis praelià, et sedítiónes, nolíte terréri: opórtet primum haec fieri, sed nondum statim finis. Tunc dicébat illis: surgèt gens contra gentem, et regnum advérsus regnum, et terraemótus magni erunt per loca. Et réliqua.

Homilía sancti Gregórii Papae.

Homilia 1. in Evang.

Dóminus et Redémptor noster parátos nos inveníre desíderans, senescéntem mundum quae mala sequántur, denúntiat, ut nos ab ejus amóre compéscat. Appropinquántem ejus términum, quantae persecutiónes praevéniant, innotéscit: ut si Deum metúere in tranquillitáte nólumus, saltem vicínum ejus judícium vel persecutiónibus attríti timeámus. ℟. Coróna áurea.

Lectio VIII.

Huic étenim lectióni sancti Evangélii; quam modo ve-

stra fratérnitas audívit, páulo supérius Dóminus praemísit dicens: Exúrget gens contra gentem, et regnum advérsus regnum: Et erunt terraemótus magni per loca, pestiléntiae, et fames. Et quibúsdam interpósitis, hoc quod modo audístis, adjúnxit: Erunt signa in sole, et luna, et stellis, et in terris pressúra géntium prae confusióne sónitus maris, et flúctuum. Ex quibus profécto ómnibus ália jam facta cérnimus, ália in próximo ventúra formidámus.

℟. Hic est vere martyr.

Lectio IX. de S. Remigio. Si vero contigerit transferri, erit sequens.

Lectio IX.

Nam gentem contra gentem súrgere, earùmque pressúram terris insístere plus jam in nostris tempóribus cérnimus, quam in codícibus légimus. Quod terraemótus urbes innúmeras óbruant, ex áliis mundi pártibus scitis, quam frequénter audívimus: pestiléntias sine cessatióne pátimur. Signa vero in sole, et luna, et stellis adhuc apérte mínime vídimus, sed quia et haec non longe sint, ex ipsa jam áeris immutatióne collígimus.

Te Deum laudámus.

Et fit com. S. Remigii ut in Brev.

DIE VIII. OCTOBRIS.

In Festo S. REPARATAE V. M. *Contitul. Eccl. Metrop. ibi* Duplex 1. cl. cum oct.

Omn. de Com. vv. et mm. 1. loc.

ORATIO.

Deus, qui inter coetera poténtiae tuae mirácula étiam in sexu frágili victóriam martyrii contulísti: concéde propítius, ut qui beátae Reparátae vírginis et mártyris tuae natalítia cólimus, per ejus ad te exémpla gradiámur. Per Dóminum.

Extr. dup. *omn. ut supr. sed in 1. noct. ll. de Script. occurr.*

DIE XI. OCTOBRIS.

ASS. EX VIII. HUJ.

In Festo S. BIRGITTAE Vid. Duplex.

Omn. ut in Brev. 8. *huj.*

DIE XII. OCTOBRIS.

In Metropol. quarta in-

fra oct. S. REPARATAE *Virg. et Mart. semid.*

IN I. NOCTURNO.

Lect. de Script. occurr.

IN II. NOCTURNO.

Sermo sancti Augustíni Epíscopi.

Lectio IV.

De S. Virg. c. 2. Cum univérsa Ecclésia virgo sit desponsáta uni viro Christo, sicut dicit Apóstolus, quanto digna sunt honóre membra ejus, quae hoc custódiunt étiam in ipsa carne, quod tota custódit in fide quae imitámur matrem viri et Dómini sui. Nam Ecclésia quoque et virgo, et mater est: cujus enim integritáti consúlimus, si virgo non est? Aut cujus prolem allóquimur si mater non est? María corporáliter caput hujus córporis péperit: Ecclésia spirituáliter membra illíus cápitis parit, in utráque virgínitas foecunditátem non ímpedit, in utráque foecúnditas virginitátem non ádimit.

℟. Propter.

Lectio V.

Virginális áutem intégritas, et per piam continéntiam ab ómni concúbitu immúnitas, Angélica pórtio est, et in carne corruptíbili incorruptiónis perpétuae meditátio. Cedat huic omnis foecúnditas carnis, omnis pudicítia conjugális. Illa non est in potestáte, ista non est in aeternitáte. Foecunditátem carnálem non habet líberum arbítrium, pudicítiam conjugálem non habet coelum. Profécto habébunt magnum áliquid praeter coeteros in illa commúni immortalitáte, qui habent áliquid jam non carnis in carne.

℟. Dilexísti.

Lectio VI.

Sequímini Agnum quocúmque íerit: scripsit ille de vobis. Quo ire putámus hunc Agnum, quo nemo eum sequi vel áudeat, vel váleat, nisi vos vírgines. Quo putámus eum ire? in quos saltus, et prata? ubi credo sunt grándia gáudia: nec gáudia, quália in ipso regno Dei caeteris non virgínibus erunt, sed a caeterórum ómnium gaudiórum sorte distíncta. Gáudium Vírginum Christi est, de Christo, in Christo, cum Christo, post Christum, per Christum, propter Christum. Gáudia própria Vírgi-

num Christi, non sunt éadem non vírginum, quamvis Christi: nam sunt áliis ália, sed nullis tália. Ita in haec, sequímini Agnum, quia et Agni caro útique virgo. Sequímini virginitáte cordis, et carnis quocúmque íerit. Quid est eum sequi, nisi imitári?

℟. Afferéntur.

IN III. NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthaeum.

Lectio VII.

Cap. 25.

In illo témpore: dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc: Símile erit regnum coelórum decem virgínibus, quae accipiéntes lámpades suas exiérunt óbviam Sponso, et Sponsae. Et réliqua.

Homilía sancti Joánnis Chrysóstomi.

Post ingéntes labóres, post incredíbiles sudóres: et acérrimas pugnas, post trophaea, quae de natúrae rábie statuérunt, resúrgunt cum dedécore, et lampádibus eárum extínctis, terram aspiciéntes, recédunt. Nihil sane tenebrósius est, quam virgínitas óleo carens: unde sic vulgo multi immisericórdes tenebrósos solent appelláre. Quid ígitur ex virginitáte lucrátae sunt quae nec sponsum quidem vidérunt, nec saltem ad pulsándum usque pervenérunt, sed terríbile istud verbum audivére: Abíte: néscio vos.

℟. Haec est.

Lectio VIII.

Quod cum ipse díxerit, nihil áliud, quam gehénna, et intolerábilis cruciátus relínquitur: imo vero étiam gehénna, istud verbum grávius est. Hoc verbum operántibus étiam iniquitátem dixit: vigiláte, quia nescítis diem, neque horam: crebro id répetit, ut ignorántiam éxitus ab hac vita útilem esse osténdat. Ubi sunt ergo qui per totam vitam desídia torpéscunt, et quando a nobis admonéntur respondére non dúbitant, ómnia se paupéribus moriéndi témpore relictúros?

℟. Média nocte.

Lectio IX.

Audiant haec verba, et eméndent se. Multi enim abeúndi tempus expectántes, ita repénte capti sunt, ut nec injúngere suis quidquam potúerint. Sed haec quidem pa-

rábola ejus eleemósynae grátia, quae cum pecúnia conficitur, dicta est. Cur áutem haec Parábola sponsum addúcit? Ut vídeas quantum virgínibus Christus afficitur iis, quae sua paupéribus érogant: haec enim et vera virgínitas est. Nam et Páulus huic rei hanc descriptiónem attríbuit, dicens: Innúpta sollícita est de iis, quae Dómini sunt, ut sit sancta córpore, et spíritu.

Te Deum.

DIE XIV. OCTOBRIS

In Festo S. CALLISTI *Papae et Mart.* Duplex.

Omnia de Commun. unius Mart. praeter ea, quae sequuntur.

ORATIO

Deus, qui nos cónspicis ex nostra infirmitáte deficere: ad amórem tuum nos misericórditer per Sanctórum tuórum exémpla restáura. Per Dóminum.

IN I. NOCTURNO.

Lect. de Script. occur.

IN II. NOCTURNO.

Lectio IV.

Callístus Románus praefuit Ecclésiae Antoníno Heliogábalo Imperatóre. Constítuit quátuor anni témpora, quibus jejúnium ex Apostólica traditióne accéptum, ab ómnibus servarétur, aedificávit Basílicam Sanctae Maríae trans Tíberim, et in Via Appia vetus coemetérium ampliávit, in quo multi sancti Sacerdótes et Mártyres sepúlti sunt, unde ab eo Callísti coemetérium appellátur.

℟. Honéstum fecit.

Lectio V.

Ejúsdem pietátis fuit, quod beáti Calepódii Praesbyteri et mártyris corpus jactátum in Tíberim conquíri diligénter curávit, et invéntum honorífice sepelívit. Palmátium Consulári, Simplícium Senatória dignitáte illústres, Felícem, et Blandam, qui deínde omnes martyrium subiére, cum baptísmo lustrásset, missus est in cárcerem, ubi Privátum mílitem ulcéribus plenum admirabíliter sanitáti restitútum Christo adjúnxit: pro quo idem, recens adhuc a fide suscépta plumbátis usque ad mortem caesus occúbuit.

℟. Desidérium.

Lectio VI.

Sedit Callístus annos quin-

que, mensem unum, dies duódecim. Ordinatiónibus quinque mense Decémbri creávit Presbyteros séxdecim, Diáconos quátuor, Epíscopos octo. Post longam famem crebrásque verberatiónes praeceps jactus in púteum, atque ita Martyrio coronátus sub Alexándro Imperatóre, illátus est in coemetérium Calepódii via Aurélia, tértio ab Urbe lápide, prídie Idus Octóbris. Ejus póstmodum corpus in Basílicam Sanctae Maríae trans Tíberim ab ipso aedificátam delátum sub ara majóri máxima venerátione cólitur.

℟. Stola.

Lect. III. Noct. ut in Brev. hac ipsa die.

DIE XV. OCTOBRIS

In Metr. Oct. S. REPARATAE *Virg. et Mart.* Duplex.

IN I. NOCTURNO.

Lect. de Scrip. occ.

IN II. NOCTURNO.

De Epístola santi Hierónymi Praesbyteri ad Eustóchium.

Lectio IV.

De cust. Virg. tom. 1.

De virgínibus, inquit Apóstolus, praecéptum. Dómini non hábeo Cur? quia et ipse ut esset virgo, non fuit impérii, sed própriae voluntátis. Neque enim audiéndi sunt, qui eum uxórem habuísse confingunt; cum de continéntia dísserens, et suádens perpétuam castitátem intúlerit: Volo áutem omnes esse sicut meípsum. Et infra: Dico áutem innúptis, et víduis: Bonum est illis, si sic permáneant, sicut et ego. Quare ergo non habet Dómini de virginitáte praeceptum? Quia majóris est mercédis, quod non cógitur, et offértur: quia si fuisset virgínitas imperáta, núptiae videbántur ablátae, et duríssimum erat contra natúram cógere, Angelorúmque vitam ab ómnibus extorquére.

℟. Propter.

Lectio V.

Alia fuit in véteri Lege felícitas. Ibi dícitur: Beátus, qui habet semen in Sion, et domésticos in Jerúsalem: Et: Maledícta stérilis, quae non pariébat. Et: Fílii tui sicut novéllae olivárum in circúitu

mensae tuae. Vácuus erat orbis, et, ut de typicis táceam, sola erat benedíctio liberórum: Proptérea et Abraham jam senex Cethúrae copulátur: et Jacob mandrágoris redímitur, et conclúsam vulvam in Ecclésiae figúram Rachel conquéritur. Paulátim vero increscénte ségete, messor immíssus est. Virgo Elías, Elisaeus virgo, Vírgines multi filii Prophetárum. Jeremíae dícitur: Et tu ne accípias uxórem. Sanctificátus, in útero, captivitáte propínqua, uxórem prohibétur accípere. Aliis verbis idípsum Apóstolus lóquitur: Exístimo hoc bonum esse propter instántem necessitátem. Quae est ista necéssitas, quae áufert gáudia nuptiárum? Tempus breviátum est, in próximo est Nabuchodónosor.

℟. Dilexísti,

Lectio VI.

Inveniebátur ergo, ut díximus, in viris tantum hoc continéntiae bonum, et in dolóribus júgiter Eva parturiébat. Postquam vero Virgo concépit in útero, et péperit nobis púerum, cujus Principátus in húmeros ejus, Deum fortem, patrem futúri saeculi solúta maledíctio est. Mors per Evam, vita per Maríam. Idcóque, et dítius virginitátis donum fluxit in foeminas, quia coepit a foemina. Statim ut Fílius Dei ingréssus est super terram, novam sibi famíliam instítuit, ut qui ab Angelis adorabátur in coelo, habéret Angelos et in terris. Tunc Holoférnis caput Judith cóntinens amputávit: tunc Aman, qui interpretátur iníquitas, suo combústus est igni: tunc primum audítum est: Quae non est nupta, cógitat quae sunt Dómini, ut sit sancta córpore, et spíritu.

℟. Afferéntur.

IN III. NOCTURNO.

Léctio Sancti Evangélii secundum Matthaeum.

Lectio VII.

Cap. 25.

In illo témpore: dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc: Símile erit regnum coelórum decem virgínibus, quae accipiéntes lámpades suas exiérunt óbviam Sponso, et Sponsae. Et réliqua.

De Homilía sancti Augustíni Epíscopi.

Inténdat ítaque chàritas vestra. Sapiéntium lámpades

ardébant de óleo aetérno, de consciéntiae securitáte, de interióre glória, de íntima charitáte. Ardébant tamen, et illárum fatuárum. Quare tunc ardébant? quia non déerant láudes hóminum. Póstea vero quum surrexèrunt, idest in resurrectióne a mórtuis, coepérunt aptáre lámpades suas, idest paráre Deo óperum suórum réddere ratiónem. Et quia tunc nemo est qui láudet, omnis homo cáusae suae vacat. Non erant enim, qui óleum vénderent, coepérunt aptáre lámpades.

℟. Haec est.

Lectio VIII.

Cláusum est óstium. Et quid illis dictum est? Non novi vos. Non illas novit qui ómnia novit. Quid ergo est non novi vos? Improbo vos, réprobo vos: in arte mea non vos agnósco: ars mea nescit vítia. Hoc est áutem magnum: et nescit vítia, et júdicat vítia: nescit faciéndo, júdicat arguéndo. Sic ergo non novi vos. Iérunt, intravérunt quinque prudéntes. Sint in vobis quinque prudéntes ad istam prudéntiam quinárii número pertinéntes. Véniet enim hora, et quando nescímus, véniet. Sic cláusit Evangélium: Vigiláte, quia nescítis diem, neque horam.

℟. Média nocte.

Lectio IX.

Corde vígila, fide vígila, spe vígila, charitáte vígila, opéribus vígila, et quando córpore dormíeris, véniet tempus ut surgas. Cum áutem surréxeris, praepara lámpades. Tunc non extinguántur: tunc in interióre consciéntiae óleo vegeténtur: tunc sponsus ille incorpóreis néxibus amplectátur: tunc te intro-dúcat in domum, ubi numquam dórmias, ubi numquam possit tua lampas extíngui. Hódie vero laborámus, et lámpades nostrae inter ventos saeculi hujus, tentationésque flúctuant: sed árdeat in róbore flamma nostra, ut ventus tentatiónis áugeat ignem pótius, quam extínguat.

Te Deum.

DIE XVI. OCTOBRIS.
ASS. EX PRAECED.

Pro Metrop. tant.

In Festo S. THERESIAE V. Duplex.

Omn. ut in Brev. 15. *huj.*

DIE XX. OCTOBRIS.

In Festo S. Joannis Cantii *Confessoris.* Duplex.

Omnia de Comm. Confess. non Pontif. praeter sequentia.

AD I. VESPERAS.

Hymnus.

Gentis Polónae glória,
Clerique splendor nóbilis,
Decus Lycaei, et pátriae
Pater Joánnes ínclyte.
Legem supérni Núminis
Doces magíster, et facis:
Nil scire prodest: sédulo
Legem nitámur éxequi.
Apostolórum límina
Pedes viátor vísitas;
Ad pátriam, quam téndimus,
Gressus, viámque dírige.
Urbem petis Jerúsalem;
Signáta sacro sánguine
Christi colis vestígia,
Rigásque fusis flétibus.
Acérba Christi vúlnera
Haeréte nostris córdibus,
Ut cogitémus cónsequi
Redemptiónis prétium.
Te prona mundi máchina
Clemens adóret Trínitas,
Et nos novi per grátiam
Novum canámus cánticum.
Amen.

ORATIO.

Da, quaesumus omnípotens Deus, ut sancti Joánnis Confessóris exémplo in sciéntia Sanctórum proficiéntes, atque áliis misericórdiam exhibéntes, ejus méritis indulgéntiam apud te consequámur. Per Dóminum.

AD MATUTINUM

Hymnus.

Corpus domas jejúniis,
Caedis cruénto vérbere,
Ut castra poeniténtium
Miles sequáris ínnocens.
Sequámur, et nos sédulo
Gressus paréntis óptimi,
Sequámur, ut licéntiam
Carnis refraenet spíritus.
Rigénte bruma próvidum
Praebes amíctum páuperi,
Sitim, famemque egéntium
Esca, potúque súblevas.
O qui negásti némini
Opem rogánti, pátrium
Regnum tuére, póstulant
Cives Polóni, et éxteri.
Sit laus Patri, sit Fílio,
Tibíque Sancte Spíritus:
Preces Joánnis ímpetrent.
Beáta nobis gáudia.
Amen.

IN I. NOCTURNO.

Lectiones de Scriptura occurrente.

IN II. NOCTURNO.

Lectio IV.

Joánnes in Oppido Kenty Cracoviénsis Dioecésis, a quo Cántii cognómen duxit, Stanisláo, et Anna piis, et honéstis paréntibus natus, morum suavitáte, innocéntia, gravitáte ab ipsa infántia spem fecit máximae virtútis. In Universitáte Cracoviénsi Philosophíae, ac Theologíae primum Audítor, tum per omnes Academiae gradus ascendéndo proféssor, ac doctor sacra, quam annis multis trádidit, doctrína mentes audiéntium non illustrábat modo, sed et ad omnem pietátem inflammábat, simul docens scílicet, et fáciens. Sacérdos factus nihil de litterárum stúdio remíttens stúdium áuxit christiánae perfectiónis. Utque passim offéndi Deum máxime dolébat, sic eum sibi, et pópulo placáre, obláto quotídie, non sine multis lácrymis, incruénto Sacrifício satagébat. Ilkusiénsem Paróchiam annis áliquot egrégie administrávit, sed animárum perículo commótus póstea dimísit, ac postulánte Academía ad prístinum docéndi officium rédiit.

℟. Honéstum.

Lectio V.

Quidquid témporis ab stúdio supérerat, partim salúti proximórum, sacris praesértim conciónibus, curándae, partim oratióni dabat, in qua coeléstibus quandóque visiónibus, et collóquiis dignátus fertur. Christi vero passióne sic afficiebátur, ut in ea contemplánda totas intérdum noctes dúceret insómnes, ejúsque cáusa mélius recoléndae Hierosólymam peregrinátus sit: ubi et martyrii desidério flagrans, Turcis ipsis Christum Crucifixum praedicáre non dubitávit. Quater étiam ad Apostolórum límina pedes, atque viária onústus sárcina Romam venit, tum ut Sedem Apostólicam, cui máxime addíctus fuit, honoráret: tum ut (sic enim ajébat) Purgatórii poenas expósita illic quótidie peccatórum vénia redímeret. Quo in itínere a latrónibus olim spoliátus, et numquid haberet practérea interrogátus, quum negásset, áureos deínde áliquot suo insútos pállio recordátus, fugiéntibus hos étiam clamans óbtulit latrónibus, qui viri sancti candórem simul, et largitátem admiráti, étiam ablátos ultro reddidére. Aliénae famae ne quis detráheret, descríptis beáti Augustíni exémplo, in paríete versículis, se atque álios perpétuo vóluit admónitos. Famélicos de suo étiam obsónio satiábat. Nudos

áutem non emptis modo, sed detráctis quoque sibi véstibus, et cálceis operiébat, demísso ipse ínterim usque ad terram pállio, ne domum núdipes redíre viderétur.

℟. Amávit.

Lectio VI.

Brevis illi somnus, atque húmilis vestis, quae nuditátem, cibus, qui mortem dumtáxat arcéret; virginálem pudicítiam, velut lílium inter spinas, áspero cilício, flagéllis, atque jejúniis custodívit. Quin et per annos ante óbitum trigínta círciter et quinque ab esu cárnium perpétuo abstínuit. Tandem diérum juxta, ac meritórum plenus, quum vicínae, quam praesénsit, morti se diu diligentérque praeparásset, ne qua re ámplius tenerétur, si quid domi supérerat, id omníno paupéribus distríbuit. Tum Ecclésiae Sacraméntis rite munítus dissólvi jam cúpiens, et esse cum Christo, prídie Nativitátis ejus in coelum evolávit, miráculis ante, et post mortem clarus. Mórtuus ad próximam Academíae Ecclésiam sanctae Annae delátus est, ibíque honorífice sepúltus. Auctáque in dies pópuli veneratióne ac frequéntia, inter primários Polóniae, ac Lythuániae Patrónos religiosíssime cólitur. Novísque corúscans miráculis a Cleménte Decimotértio Pontífice Máximo decimoséptimo Kaléndas Augústi anno millésimo septingentésimo sexagésimo séptimo, solémni ritu Sanctórum fastis adscríptus est.

℟. Iste homo.

IN III. NOCTURNO.

Lect. ut in Commun. 1. loc.

AD LAUDES

Hymnus, ut in 1. Vesp. Sed in Metrop. dicit. sequens hymn. pro ij. Vesp. Te deprecánte.

AD II. VESPERAS.

Hymnus.

Te deprecánte, córporum
Lues recédit, ímprobi
Morbi fugántur, prístina
Rédeunt salútis múnera

Phtisi, febríque, et úlcere
Diram redáctos ad necem,
Sacrátas morti víctimas
Ejus rapis e fáucibus.

Te deprecánte, túmido
Merces abáctae flúmine,
Tractae Dei poténtia
Sursum fluunt retrógradae.

Quum tanta possis, sédibus
Coeli locátus, póscimus,
Respónde votis súpplicum,
Et invocátus súbveni.

O Una semper Trínitas!
O Trina semper Unitas!
Da supplicánte Cántio
Ætérna nobis praemia.
Amen.

DIE XXI. OCTOBRIS.

Pro Metrop. tant.

In Festo SS. URSULAE *etc. VV. MM.* Duplex.

Omn. de Com. VV. et MM. In utrisque Vesp.

℣. Adducéntur Regi.

AD MAGNIFICAT

Ant. Prudentes Vírgines. or. Da nobis etc. *ut in Brev.*

IN I. NOCTURNO.

Lect. de Script. occ.

IN II. NOCTURNO.

Nunc nobis *de Com.* 2. *loc.*

IN III. NOCTURNO.

Símile erit *de eod. Com.* 1. *loc.*

IX. l. ex duab. et com. S. Hilariónis Abb.

℣. *et Ant. ad Bened. ut supra in Vesp.*

Et fit com. S. Hilarionis Abb. ut in Brev.

DIE XXIV. OCTOBRIS.

In Festo S. RAPHAELIS ARCHANGELI. Duplex.

AD VESPERAS

Ant. Missus est Angelus Ráphael *cum reliq. de Laud. Ps.* Dixit Dóminus, *cum reliq. de Dominica; et loco ultimi Ps.* Laudáte Dóminum omnes Gentes.

Capitulum.

Tob. cap. 12.

Quando orábas cum lácrymis, et sepeliébas mórtuos, et derelinquébas prándium tuum, et mórtuos abscondébas per diem in domo tua, et nocte sepeliébas eos, ego óbtuli oratiónem tuam Dómino.

Hymnus.

Tibi Christe splendor Patris,
Vita, virtus córdium:
In conspéctu Angelórum
Votis, voce psállimus:
Alternántes concrepándo
Melos damus vócibus.
Collaudámus venerántes
Omnes coeli príncipes,
Sed praecípue fidélem
Médicum et cómitem
Raphaélem, in virtúte
Alligántem daemonem.
Quo custóde procul pelle,

Rex Christe piíssime,
Omne nefas inimíci,
Mundo corde, et córpore:
Paradíso redde tuo
Nos sola cleméntia.
Glóriam Patri melódis.
Personémus vócibus:
Glóriam Christo canámus,
Glóriam Paráclito:
Qui trinus, et unus Deus
Extat ante saecula
Amen.

℣. Stetit Angelus juxta aram templi.

℟. Habens thuríbulum áureum in manu sua.

AD MAGNIFICAT.

Ant. Ego sum Ráphael Angelus, qui asto ante Dóminum: vos áutem benedícite Deum, et narráte ómnia mirabília ejus.

ORATIO.

Deus, qui beátum Raphaélem Archángelum Tobíae fámulo tuo cómitem dedísti in via: concéde nobis fámulis tuis: ut ejúsdem semper protegámur custódia, et muniámur auxílio. Per Dóminum.

AD MATUTINUM

Invitator. Regem Archangelórum Dóminum, * Veníte, adorémus.

Psalm. Veníte. *Hymnus.* Tibi Christe *ut supra in Vesperis.*

IN I. NOCTURNO.

Ant. Ingréssus Tobías invénit júvenem praecínctum, et quasi parátum ad ambulándum, et ignórans quod Angelus esset, salutávit eum.

Psalm. Dómine Dóminus noster, *cum reliquis ut in Dedic. S. Michaelis die* 29. *Septembris.*

Ant. Angelus Ráphael seípsum occúltans, ait: Ego sum Azarías magni Ananíae fílius.

Ant. Sanum ducam fílium tuum in regiónem Medórum. et sanum tibi redúcam, allelúja.

℣. Data sunt Angelo incénsa multa.

℟. Ut adoléret ea ante altáre áureum, quod est ante óculos Dómini.

De libro Tobíae.

Lectio I.

Cap. 22.

Vocávit ad se Tobías fílium suum, dixítque ei: Quid póssumus dare viro isti sancto, qui venit tecum ? Et

respóndens Tobías, dixit patri suo; Pater, quam mercédem dábimus ei? aut quid dignum póterit esse beneficiis ejus? Me duxit, et redúxit sanum, pecúniam a Gabélo ipse recépit, uxórem ipse me habére fecit, et daemónium ab ea ipse compéscuit, gáudium paréntibus ejus fecit, me ípsum a devoratióne piscis erípuit, te quoque vidére fecit lumen coeli, et bonis ómnibus per eum repléti sumus. Quid illi ad haec potérimus dignum dare? Sed peto te, pater mi, ut roges eum, si forte dignábitur medietátem de ómnibus, quae alláta sunt, sibi assúmere.

℟. In illo témpore exaudítae sunt preces ambórum in conspéctu glóriae summi Dei: * Et missus est Angelus Dómini sanctus Ráphael, ut curáret eos ambos, quorum uno témpore sunt oratiónes in conspéctu Dómini recitátae.

℣. Tobías et Sara in tribulatióne pósiti cum lácrymis oráre coepérunt. Et missus.

Lectio II.

Et vocántes eum, pater scílicet et filius, tulérunt eum in partem, et rogáre coepérunt, ut dignarétur dimídiam partem ómnium quae attúlerant, accéptam habére. Tunc dixit eis occúlte: Benedícite Deum coeli, et coram ómnibus vivéntibus confitémini ei, quia fecit vobíscum misericórdiam suam. Etenim sacraméntum regis abscóndere, bonum est; ópera áutem Dei reveláre et confitéri, honorificum est. Bona est orátio cum jejúnio, et eleemósyna magis quam thesáuros áuri recóndere: quóniam eleemósyna a morte líberat, et ipsa est quae purgat peccáta, et facit inveníre misericórdiam, et vitam aetérnam. Qui áutem fáciunt peccátum et iniquitátem, hostes sunt ánimae suae. Manifésto ergo vobis veritátem, et non abscóndam a vobis occúltum sermónem. Quando orábas cum lácrymis, et sepeliébas mórtuos, et derelinquébas prándium tuum et mórtuos abscondébas per diem in domo tua, et nocte sepeliébas eos: ego óbtuli oratiónem tuam Dómino. Et quia accéptus eras Deo, necésse fuit, ut tentátio probáret te.

℟. Egréssus Tobías invénit júvenem spléndidum stantem praecínctum, et quasi parátum ad ambulándum et salutávit eum, et dixit: * Unde te habémus, bone júvenis?

℣. Et ignórans quod Dómini Angelus esset, salutávit eum et dixit. Unde te.

Lectio III.

Et nunc misit me Dóminus ut curárem te, et Saram uxórem filii tui a daemónio liberárem. Ego enim sum Ráphael Angelus, unus ex septem, qui astámus ante Dóminum. Cumque haec audíssent, turbáti sunt, et treméntes cecidérunt super terram in fáciem suam. Dixítque eis Angelus: Pax vobis, nolíte timére. Etenim cum essem vobíscum, per voluntátem Dei eram: ipsum benedícite, et cantáte illi. Vidébar quidem vobíscum manducáre, et bíbere; sed ego cibo invisíbili et potu, qui ab homínibus vidéri non potest, utor. Tempus est ergo ut revértar ad eum, qui me misit: vos áutem benedícite Deum, et narráte ómnia mirabília ejus. Et cum haec dixísset, ab áspectu eórum ablátus est, et ultra eum vidére non potuérunt. Tunc prostráti per horas tres in fáciem suam benedixérunt Deum, et exurgéntes narravérunt ómnia mirabília ejus.

℟. Ingréssus Angelus ad Tobíam, salutávit eum, et dixit: Gáudium sit tibi semper: * Forti ánimo esto, in próximo enim est, ut a Deo curéris.

℣. Et respóndens Tobías, ait: Quale gáudium mihi erit, qui in ténebris sédeo, et lumen coeli non vídeo? Forti.

Glória Patri. Forti.

IN II. NOCTURNO.

Ant. Dixit áutem Angelus: Apprehénde bránchiam piscis, et trahe eum extra aquas.

Ant. Obsecro te, Azaría frater, ut dicas mihi: quod remédium habébunt ista, quae de pisce serváre jussísti.

Ant. Lúmina fel sanat, sed virtus cordis et jécoris diáboli expéllit potestátem.

℣. Ascéndit fumus arómatum in conspéctu Dómini.

℟. De manu Angeli.

Sermo sancti Augustíni Epíscopi.

Serm. 1. in Dom. 15. de B. Tobia, qui est 226. de Temp.

Lectio IV.

Beátus Tobías, qui panem suum nóverat frángere esu-

riénti, mercédem célerem mercenário praeparat laboránti. Patiénter lectióne percépta, quae nuper est recitáta, admirabámur patris, filiíque tractátum, quemádmodum Angelus monet, quem aestimábant terrénum sub coelésti glória mercenárium. Ad hoc enim caecitátis incúrrit exítium, ut Angelum suscíperet médicum, qui divínis fácibus incénsus sic anhelávit. Honésta est orátio cum jejúnio, et eleemósyna. Orátio justi clavis est caeli. Ascéndit precátio, et descéndit Dei miserátio. Licet alta sit terra, altum coelum, áudit tamen Deus hóminis linguam, si mundam habet consciéntiam. Cum sénsibus lóquitur, si sit solus noster gémitus. Súfficit áuribus imber oculórum: fletus cítius áudit, quam voces. Orátio ínvidi solet de áuribus propulsári. Erat patris et filii ánima una; dum esset propríetas membrórum, erat illis singuláris germánitas animórum. Fili, inquit, dimittámus istum hóminem, adjiciéntes ad mercédem plácitam, quia nobis multa ópere suo cóntulit bona; et rogáre coepit mercenárium, ut mercédis suae sumat efféctum. Frater, inquit, áccipe quod tuum est, et tunc vade salvus. Récipe mercédem tuam, quia mihi, et filio meo bonam praebuísti misericórdiam. Tolle, ut dixi substántiam, quam cum filio meo reportásti: nam grátia, quam tibi debémus, non potest ponderári.

℟. Interrogávit Tobías Angelum: De qua domo, aut de qua tribu es tu? Qui respóndens, ait; * Ego sum Azarías Ananíae magni filius.

℣. Genus quaeris mercenárii, an ipsum mercenárium qui cum filio tuo eat? Sed ne forte solícitus sis. Ego.

Lectio V.

Contínuo Angelus gáudet de cogitáta mercéde, qui missus fúerat gratis fácere pietátem. Tobis, inquit, vel Tobías, quid de mea mercéde satis supérflue cogitátis? Habéte, quod vobis donávit Pater ille coeléstis. Ego minister sum curatiónis, ille est áuctor sanitátis. Nescítis, cujus mercenárii ope pérfrui meruístis. Defúnctos captivitátis sepelíre non timuístis. Tobis, ascendérunt ad Dóminum ópera tua, quia relícto prándio reddidísti mórtuum sepultúrae. Ego Dómino medulláta íntuli sacrifícia pro venerábili sepultúra. Ego diréctus sum operárius fori coeléstis. Mórtuum sepelístis, et mortis acúleum non ti-

muístis. Ipse sepúltus pro vobis voce tácita proclamávit. Probatiónis fúerat caecitas oculórum, unde patiéntia tua clárius meruísset de coeléstibus ornaméntum. Ego sum Ráphael, unus ex septem Angelis, qui astámus ante claritátem Dei. Non indígeo fructu humánae mercédis; dívitem me facit conversátio majestátis. Dives est ille, qui me misit, gratis jussit impéndi, quod gratis ipse concéssit. Nec ipsum honórem gratiárum mihi deputétis, quia nihil meis víribus percepístis. Deum benedícite, et illi confitémini, et ipsum glorificáte, quia vobíscum fecit bona.

℟. Exívit Tobías, ut laváret pedes suos, et ecce piscis immánis exívit ad devorándum eum: qui expavéscens, clamávit voce magna, dicens: Dómine invádit me. Et dixit ei Angelus: Apprehénde bránchiam ejus et trahe eum ad te. * Exéntera hunc piscem, et cor ejus, et fel, et jecur repóne tibi: sunt enim necessária ad medicaménta utíliter.

℣. Attráxit áutem Tobías piscem in siccum, et palpitáre coepit ante pedes ejus, et ait Angelus ei. Exéntera.

Lectio VI.

Súbito patefácto mystérii coeléstis honóre, voce Raphaélis Archángeli attóniti Tobis, et Tobías, collápsi in terram proruérunt, vocem trémulam pénitus occultavérunt, quia vocem insólitam audiérunt. Quid metuístis pater Tobis, filiúsque Tobías? Mercenárium habére coeléstem, et tamquam operárium locáre terréstrem? Celávit vobis Angelus nomen: Azarías sum, inquit, Ananíae magni filius: et cum dixit: Ego sum Ráphael Angelus, celávit in primo nómine dignitátem, ne fáceret locatóri terrórem. Si enim díceret: Ego sum Angelus, non esset Tobíae mercenárius. Serváta est dígnitas nóminis, ut postrémo magnitúdo claresceret dignitátis. Vidéte, charíssimi, quantum sit eleemósynae méritum. Angelum méruit habére operárium. Vidétis quantum próficit mórtuos sepelíre, ut oblátio ejus per Angelum Raphaélem ad coeléstem ascénderet majestátem. Vidétis, quia eleemósyna a morte líberat, et ipsa purgat peccáta, facit purgatiónem oculórum, líberat a ténebris peccatórum. Tobis via sua dedúcitur: Sara tot viris contristáta per Angelum matrimónio copulátur.

℟. Ubi introíeris domum tuam, dixit Angelus Ráphael ad Tobíam, statim adóra Dó-

minum Deum tuum, et grátias agens ei, accéde ad patrem tuum, et osculáre eum: * Statímque lini super óculos ejus ex felle isto piscis, quem portas tecum; scias enim, quóniam mox aperiéntur óculi ejus, et vidébit pater tuus lumen coeli, et in aspéctu tuo gaudébit.

℣. Tolle tecum ex felle isto piscis; erit enim necessárium. Statímque.

Glória Patri. Statímque.

IN III. NOCTURNO.

Ant. Est hic Sara Raguélis filia, quae tibi conjúgio dábitur, et omnis substántia ejus.

Ant. Septem viros hábuit, quos daemónium oppréssit, tímeo ne mihi símile contíngat.

Ant. Per tres dies oratióni cum uxóre tua vacábis, ut in sémine Abrahae benedictiónem in filiis consequáris.

℣. Apprehéndit Angelus Ráphael daemónium.

℟. Et relegávit illud in desérto superióris Ægypti.

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Lectio VII.

Cap. 5.

In illo témpore: Erat dies festus Judaeórum, et ascéndit Jesus Jerosólymam. Et réliqua.

Homilía sancti Augustíni Epíscopi.

Tract. 17. *in c.* 5. *Joann.*

Mirum non esse debet a Deo factum miráculum, mirum enim esset, si homo fecísset. Magis gaudére, quam mirári debémus, quia Dóminus noster, et Salvátor Jesus Christus homo factus est, quam quod divína inter hómines Deus fecit. Plus est enim ad salútem nostram, quod factus est propter hómines, quam quod fecit inter hómines: et plus est, quod vítia sanávit animárum, quam quod sanávit languóres córporum moriturórum.

℟. Benedícite Deum coeli, dixit Angelus Ráphael, et coram ómnibus vivéntibus confitémini ei: * Quia fecit vobiscum misericórdiam suam.

℣. Ipsum benedícite, et cantáte illi, et narráte ómnia mirabília ejus. Quia.

Lectio VIII.

Sed quia ipsa ánima nec eum nóverat, a quo sanánda erat: et óculos habébat in carne; unde facta corporália vidéret, nondum habébat sanos in corde, unde Deum laténtem agnósceret. Fecit quod vidéri póterat, ut sanarétur, unde vidéri non póterat. Ingréssus est locum, ubi jacébat magna multitúdo languéntium, caecórum, claudórum, aridórum.

℟. Tempus est ut revértar ad eum qui me misit, dixit Angelus Ráphael: * Vos áutem brnedícite Dóminum, et narráte ómnia mirabília ejus.

℣. Confitémini ei coram ómnibus vivéntibus, quia fecit vobíscum misericórdiam suam. Vos.

Glória Patri. Vos.

Lectio IX.

Et cum esset médicus et animárum et córporum, et qui venísset sanáre omnes ánimas crediturórum, de illis languéntibus unum elégit quem sanáret, ut unitátem significáret. Si medíocri corde, et quasi humáno captu et ingénio considerémus faciéntem, et quod ad potestátem pértinet, non magnum áliquid pérfécit, et quoad benignitátem, parum fecit. Tot jacébant, et unus curátus est, cum posset uno verbo omnes erígere.

Te Deum laudámus.

AD LAUDES

ET PER HORAS.

Antiphona.

Missus est Angelus Ráphael ad Tobíam, et Saram ut curáret eos.

Psalm. Dóminus regnávit, *cum. rel. de Laud. Dominic.*

Ant. Ingréssus Angelus ad Tobíam, salutávit eum, et dixit: Gáudium sit tibi semper.

Ant. Forti ánimo esto Tobías; in próximo enim est, ut a Deo curéris.

Ant. Benedícite Deum coeli, et coram ómnibus vivéntibus confitémini illi, quia fecit vobíscum misericórdiam suam.

Ant. Pax vobis, nolíte timére: Deum benedícite, et cantáte illi.

Capitulum.

Tob. cap. 12.

Quando orábas cum lácrymis, et sepeliébas mórtuos, et derelinquébas prándium tuum, et mórtuos abscondébas

per diem in domo tua, et nocte sepeliébas eos, ego óbtuli oratiónem tuam Dómino.

Hymnus

Christe sanctórum decus
Angelórum,
Rector humáni géneris, et áuctor,
Nobis sacrátum tríbue benígnus
Scándere coelum.
Angelum nobis médicum salútis
Mitte de coelis Ráphael, ut omnes
Sanet aegrótos, paritérque nostros
Dírigat actus.
Hinc Dei nostri Génitrix María,
Totus et nobis chorus Angelórum
Semper assístat, simul et beáta
Cóncio tota.
Praestet hoc nobis Déitas beáta
Patris, ac Nati, paritérque Sancti
Spíritus; cujus résonat in omni
Glória mundo.
Amen.

℣. In conspéctu Angelórum psallam tibi Deus meus.

℟. Adorábo ad templum sanctum tuum, et confitébor nómini tuo.

AD BENEDICTUS.

Ant. Ego sum Ráphael Angelus, qui asto ante Dóminum: vos áutem benedícite Deum: et narráte ómnia mirabília ejus, allelúja.

ORATIO

Deus, qui beátum Raphaélem Archángelum Tobíae fámulo tuo cómitem dedísti in via: concéde nobis fámulis tuis; ut ejusdem semper protegámur custódia, et muniámur auxílio. Per Dóminum.

AD TERTIAM

Ant. Ingréssus Angelus.

Capitul. Quando orábas *ut supra.*

℟. *br.* Stetit Angelus, * juxta aram templi. Stetit.

℣. Habens thuríbulum áureum in manu sua. Juxta aram templi. Glória Patri. Stetit Angelus.

℣. Ascéndit fumus arómatum in conspéctu Dómini.

℟. De manu Angeli.

AD SEXTAM

Ant. Forti ánimo.

Capitulum

Tob. cap. 12.

Et nunc misit me Dóminus

ut curárem te, et Saram uxórem filii tui a daemónio liberárem. Ego enim sum Ráphael Angelus, unus ex septem, qui astámus ante Dóminum.

℟. *br.* Ascéndit fumus arómatum, * In conspéctu Dómini. Ascéndit.

℣. De manu Angeli. In conspéctu Dómini. Glória Patri. Ascéndit.

℣. In conspéctu Angelórum psallam tibi Deus meus.

℟. Adorábo ad templum sanctum tuum. et confitébor nómini tuo.

AD NONAM

Ant. Pax vobis.

Capitulum.

Tob. cap. 12.

Tempus est, ut revértar ad eum, qui me misit: vos áutem benedícite Deum, et narráte ómnia mirabília ejus.

℟. *br.* In conspéctu Angélórum, * Psallam tibi Deus meus. In conspéctu.

℣, Adorábo ad templum sanctum tuum, et confitébor nómini tuo. Psallam. Glória Patri. In conspéctu.

℣. Adoráte Deum.

℟. Omnes Angeli ejus.

IN II. VESPERIS.

Ant. Missus est Angelus, *cum reliquis de Laudib. Psalm.* Dixit Dóminus *cum reliquis de Dominica, et loco ult. Psalm.* Confitébor tibi Dómine in toto corde meo: * quóniam audísti.

Capitulum, Hymnus et ℣. *ut in primis Vesperis.*

AD MAGNIFICAT

Ant. Princeps gloriosíssime, Ráphael Archángele, esto memor nostri: hic et ubíque semper precáre pro nobis Fílium Dei allelúja, allelúja.

Oratio. Deus, qui beátum Raphaélem.

DIE XXV. OCTOBRIS.

In Festo S. MINIATIS *Militis M. Flor.* Duplex.

Off. de Com. 1. *m.*

ORATIO.

Praesta, quaesumus, omnípotens Deus; ut, intercedénte beáto Miniáte Mártyre tuo, et a cunctis adversitátibus liberémur in córpore, et a pravis cogitatiónibus mundémur in mente. Per Dóminum.

IN I. NOCTURNO.

Lect. de Script. occurr.

IN II. NOCTURNO.

Thriumphális beáti mártyris Miniátis dies etc. *ut in Com.* 1. *loc.*

IN III. NOCTURNO.

Ev. Nihil est opértum etc. *ut in Brev.* 14. *hui. vel* 26. *Januarii.* 9. *l. ex duab. et com. SS. Chrysanthi et Dariae mm. ut in Brev.*

DIE XXVI. OCTOBRIS.

TRANSLAT. S. ANDREAE *Ep. Fesul. C. Flor.* sem.

Off. de' Com. CC. PP. or. Exaudi . . . *et ubi dicitur* Solemnitáte *dicatur* Translatióne.

Lect. 1. *n. de Scr. occ. reliq. de eod. Com.* 2. *loc.* 9. *l. et com. S. Evaristi Pp. m. ut in Brev.*

DIE XXVII. OCTOBRIS.

ASS. EX XXIV.

In Festo SS. CRESCII *et Socior Mart.* Duplex.

Omnia de Commun. plur. MM. praeter ea quae sequuntur.

ORATIO.

Quaesúmus, omnípotens Deus, ut beatórum Mártyrum tuórum Crescii, Omniónis, et Emptii numquam nobis desit auxílium, quorum venerábilem tríbuis celebráre triúmphum. Per Dóminum.

In I. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. et III. Nocturno de Comm. plurim. Martyrum 2. *loco.*

DIE XXXI. OCTOBRIS.

In Festo B. THOMAE BELLACCI. C. *Flor.* Duplex.

ORATIO.

Deus, qui admirábili cleméntia de peccatóribus justos, et de vasis irae facis vasa misericórdiae; concéde propítius, ut beáti Thomae Confessóris tui précibus e vitiórum servitúte solúti, perpétua filiórum tuórum libertáte gaudére mereámur. Per Dóminum.

IN I. NOCTURNO.

Lect. de Scr. occurr.

IN II. NOCTURNO.

Lectio IV.

Thomas Belláccius a Floréntia, cum adoléscens saeculi illécebris aliquándo indulsísset, divínae grátiae lúmine illustrátus, in álium repénte hóminem immutári, et ad omnem perfectiónem conténdere visus est. Sodalitáti enim sancti Hierónymi, quam a Cyppo vocant, primum adscríptus, mox inter Láicos Franciscáni Ordinis cooptátus, dignos atque ubérrimos poeniténtiae fructus fecit; tantísque virtútibus ineúntis aetátis vítia emendávit, ut seráphici paréntis sui non tam ássecla, et aemulátor, quam viva quaedam, et númeris ómnibus absolúta imágo viderétur.

℟. Honéstum fecit.

Lectio V.

Solitúdinis, ac rerum divinárum amóre inflammátus, in orándo contemplandóque assídue sese exércuit. Exímio religiósae paupertátis stúdio tantam adjécit in obediéndo alacritátem, ut moderatóris sui jussu prunas diu tractáre núdis mánibus non dubitárit, insígni miráculo illaesus. Córporis castigátor acérrimus ádeo parce, duritérque vitam egit, ut toto ferme anno, quem in septem Quadragésimas ad sancti Francísci exémplum partiebátur, solo pane, ádditis intérdum paucis, iísque mínime coctis oléribus, victitárit, nec álio unquam potu sit usus, quam aqua, vel símplici, vel injécto absynthio amarulénta. His virtútibus, multísque prodígiis, quibus eum Deus quotídie illustrábat, quantam sanctitátis opiniónem sibi conciliáverit, vel exínde dedúci potest, quod homo expers literárum nec sacris initiátus, a Princípibus viris, annuénte Summo Pontífice adhíbitus sit ad Fraterculórum pestem ab Etrúriae fínibus expelléndam, eóque auctóre, multa passim Coenóbia fundáta sint, atque ab illo eódem prudentíssime, sanctissiméque administráta.

℟. Amávit eum.

Lectio VI.

In itínere Æthiópico divínae glóriae cáusa suscépto captus a Mahometánis, atque in cistérnam véterem conclúsus, ibi íntegros vigínti dies sine ullo cibo, potúque exégit. Inde post tres menses inédia, siti, squalóre conféctus, Bár-

baris tantam patiéntiam demirántibus, edúctus cum esset, nulla contumélia, ac ne illátis quidem vulnéribus deterréri nunquam pótuit a christiánae fidei veritátibus asseréndis, detestandísque Mahometánae impietátis erróribus. Postrémo a Turcis dimíssus, et martyrii spe frustrátus, in Itáliam redux, Pontíficem adíre státuit, atque obsecráre, ut se in Infidélium regiónes remítteret. Eo consílio Romam profícíscens, gravi morbo corrípitur in Realíno suórum Fratrum Ordinis Minórum Coenóbio, ubi pie, sanctéque decéssit prídie Kaléndas Novémbris anni millésimi quadrigentésimi quadragésimi séptimi. Ejus sanctitátis, et miraculórum fama, ac populórum concúrsu ad sacrum corpus ibídem coléndum augescénte in dies, iídem Fratres, et univérsi cives sacras ejúsdem exúvias in nobiliórem locum transferéndas, et cultum ab immemorábili témpore Thomae praestitum Apostólicae Sedis judício adprobándum curárunt. Quem tandem cultum Clemens Decimusquártus Póntifex Máximus ratum habens, eum beatórum ritu solémni decréto venerári permísit.

℟. Iste homo perfécit.

IN III. NOCTURNO.

Hom. in Ev. Sint lumbi *de Commun. Conf. non Pont. 1. loc.*

IX. Lect. et com. Vig. Omn. SS. ut in Brev.

FESTA NOVEMBRIS.

DIE III. NOVEMBRIS.

In Festo Patrocinii B. M. V. Duplex. majus.

Omnia ut in Festo ad Nives 5. *Aug. in Brev. praeter Lectiones secundi Nocturni, quae sumuntur ex* 5. *die infr. oct. Nativ. ejusd. B. M. V.* 12. *Sept.* Dei Fílius *et ubi dicitur* Tuam Sanctam Festivitátem *dicatur* tuum sanctum Patrocínium.

DIE IV. NOVEMBRIS.

In Festo S. Caroli *Ep. Conf.* Duplex majus.

Omn. ut in Brev. sed Lect. 1. *Noct. de Com.* Fidélis Sermo 9. l. SS. mm. com. oct. et SS.

DIE IX. NOVEMBRIS.

In Festo Dedicat. Basilicae SS Salvatoris. Duplex.

Omnia ut in Breviar. Roman. sub hac die.

Sed in fine tertiae Lectionis secundi Nocturni addantur haec verba.

Eámdem Ecclésiam incéndiis, vastatiónibus, terrae ínsuper mótibus disjéctam, eversámque, ac sédula Summórum Pontíficum cura reparátam, nova póstmodum molitióne restitútam Benedíctus Decimustértius Póntifex Máximus Ordinis Praedicatórum, die vigésima octáva Aprílis anni millésimi septingentésimi vigésimi sexti ritu solémni consecrávit, ejúsque celebritátis memóriam hac die recoléndam státuit.

℟. Mane surgens Jacob.

DIE X. NOVEMBRIS.

In Festo S. Andreæ Avellini *Confess.* Duplex.

Omnia de Commun. Confes. non Pont. praeter ea, quae sequuntur.

ORATIO

Deus, qui in corde beáti Anpréae Confessoris tui, per árduum quotídie in virtútibus proficiéndi votum admirábiles ad te ascensiónes disposuísti: concéde nobis ipsíus méritis, et intercessióne, ita ejúsdem grátiae partícipes fieri, ut perfectióra semper exequéntes, ad glóriae tuae fastígium felíciter perducámur. Per Dóminum.

Fit commemoratio SS. Martyrum Tryphonis, Respicii, et Nymphae Virginis, ut in Breviario.

IN I. NOCTURNO.

Lect. de Scr. occ.

IN II. NOCTURNO.

Lectio IV.

Andréas Avellínus, dictus ántea Lancellótus, apud Castrum Novum Lucániae pagum natus, inter ipsa infántiae primórdia futúrae sanctitátis non obscúra praebuit indícia. Adoléscens ad lítteras addiscéndas patérna e domo egréssus, lúbricam illíus aetátis sémitam inter bonàrum ártium stúdia ita perégit, ut sapiéntiae inítium, quod est timor Dómini, ob óculos potíssimum habére numquam praetermíserit. Cum egrégia proínde forma exímium castitátis stúdium conjúnxit, quo impudícas saepe mulíerum insídias elúsit, intérdum étiam apértam vim propulsávit. Cle-

ricáli milítiae jamprídem adscríptus Neápolim se cóntulit, ut legálibus disciplínis vacáret; ibíque Jurisprudéntiae láuream adéptus atque intérea ad Sacerdotálem dignitátem evéctus, causárum patrocínia in foro dumtáxat Ecclesiástico, proque privátis quibúsdam persónis, juxta sacrórum Cánonum sanctiónes, ágere coepit. Verum cum aliquándo inter cáusam agéndam leve ei mendácium excidísset, mox vero fortúita sacrárum Scripturárum lectióne in illa verba incidísset: Os, quod mentítur occídit ánimam: tanto ejus culpae dolóre ac poeniténtia corréptus est, ut statim ab ejúsmodi vitae institúto sibi recedéndum esse dúxerit. Itaque abdicátis forénsibus curis, se totum divíno cúltui sacrísque ministériis mancipávit; cumque Ecclesiásticae virtútis exémplis eminéret, Sanctimoniálium regímini a tunc existénte Archiepíscopo Neapolitánò praeféctus fuit. Quo in múnere cum pravórum hóminum ódia subiísset, primo quidem intentátae sibi necis perículum declinávit; mox vero per sicárium tribus in fácie accéptis vulnéribus injúriae atrocitátem aequo ánimo pértulit. Tunc perfectióris vitae desidério flagrans, ut inter Cléricos, Reguláres adscriberétur, supplíciter postulávit: votíque compos factus, ob ingéntem, quo aestuábat crucis amórem, ut sibi Andréae nomen imponerétur, précibus impetrávit.

℟. Honéstum.

Lectio V.

Arctióris ítaque vitae currículum álacri stúdio ingréssus, in eas máxime virtútis exercitatiónes incúbuit, ad quas sese árduis étiam emíssis votis obstrínxit; áltero scílicet suae ipsíus voluntátis júgiter obsisténdi: áltero vero in via Christiánae perfectiónis semper ultérius progrediéndi. Reguláris disciplínae cultor assíduus, et in ea promovénda, cum áliis praeésset, studiosíssimus fuit. Quidquid ab Institúti sui offícii, et Régulae praescrípto supérerat témporis, oratióni, et animárum salúti tribuébat. In confessiónibus excipiéndis mira ejus píetas, et prudéntia enítuit. Vicos et óppida Neápoli finítima Evangélicis ministériis magno cum animàrum lucro frequens lustrábat. Quam ardéntem erga próximos sancti viri charitátem signis étiam Dóminus illustrávit. Cum enim intempésta nocte ab audíta ae-

gri confessióne domum redíret, ac plúviae, ventorúmque vis praelucéntem facem extinxísset, non solum ipse cum sóciis inter effusíssimos imbres nihil madefáctus est, verum étiam inusitáto splendóre e suo córpore mirabíliter emicánte, sóciis inter densíssimas ténebras iter monstrávit. Abstinéntia, et patiéntia, nec non abjectióne, atque ódio sui summópere praestitit. Necem fratris filio illátam imperturbáto ánimo tulit, ac suos ab omni ulciscéndi cupiditáte compéscuit; immo étiam pro interfectóribus opem, et misericórdiam júdicum implorávit.

℟. Amávit.

Lectio VI.

Plúribus in locis Clericórum Regulárium Ordinem propagávit, eorúmque domicília Mediolàni, et Placéntiae instítuit. Illíus óperam sanctus Cárolus Borromaeus, et Páulus de Arétio Cléricus regulàris, Cardinàles, quibus erat acceptíssimus, in Pastorális múneris curis adhibuérunt. Deíparam Vírginem singulári amóre, et cultu prosequebátur. Angelórum collóquio pérfrui méruit, quos, cum divinas láudes persólveret, e regióne concinéntes se audísse testátus est. Dénique post heróica virtútum exémpla, prophetìae quoque dono illústris, quo et secréta córdium, et abséntia, et futúra prospéxit, annis gravis, et labóribus fractus, ad aram celebratúrus, in verbis illis tértio repetítis: Introíbo ad altáre Dei, repentíno apoplexíae morbo corréptus est. Mox Sacraméntis rite munítus, placidíssime inter suos ánimam efflávit. Ejus corpus Neápoli in Ecclésia sancti Páuli ad haec usque témpora eo frequentíssimo pópuli concúrsu cólitur, quo fuit elátum. Illum dénique insígnibus in vita, et post mortem miráculis clarum Clemens Undécimus Póntifex Máximus solémni ritu Sanctórum Catálogo adscrípsit.

℟. Iste homo.

IN III. NOCTURNO.

Homilia S. *Gregorii Papae in Evang.* Sint lumbi vestri praecíncti *de Commun. Confess. non Pont.*

Nona Lectio legitur de SS. *MM. Tryphone, Respicio, et Nympha, cum commemor. in Laudibus ut in Breviario.*

DIE XIII. NOVEMBRIS.

In Festo S. STANISLAI KO-

stkae *Confess.* Societatis Jesu. Duplex.

Omnia de Comm. Conf. non Pontif.

ORATIO

Deus, qui inter caetera sapiéntiae tuae mirácula étiam in ténera aetate matúrae sanctitátis grátiam contulísti: da quaesumus; ut beáti Stanisláі exémplo tempus instánter operándo rediméntes, in aetérnam íngredi réquiem festinémus. Per Dóminum.

IN I. NOCTURNO.

Lectiones de Scriptura occurr.

IN II. NOCTURNO.

Lectio IV.

Stanisláus, Senatória Kostkárum gente ortus in Polónia, quam olim esset milítiam secutúrus, nomen Jesu praenuntiávit, paritúrae matris grémio divínitus inscríptum. Virginitátem adhuc puer ita çóluit, ut patérna in mensa si quid minus pudíce dictum audísset, prae horróre exánimis corrúeret. Ad Viennénse in Austria seminárium studiórum cáussa missus, non minus exémplo sodálibus quam veneratióni fuit. Coáctus inde in Lutheráni hóspitis aedes migráre, ibíque a Páulo fratre ad liberiórem vitam omni étiam asperitátum génere incitátus, doméstìcum bellum toto biénnio constantíssime sustínuit: ad aetérna se, non ad cadúca natum affírmans. Itaque únicum illi erat rerum caeléstium desidérium, perpétua cum Deo consuetúdo, cultus Deíparae ádeo tener, ut matrem suavíssime appelláret.

℟. Honéstum.

Lectio V.

Quotidiánae fratris vexatióni crebra ipse jejúnia, flagélla, aliósque insóntis corpúsculi cruciátus adjíciens, lethálem in morbum íncidit. Quo ingravescénte, cum daemonem horréndi canis spécie insiliéntem signo crucis ter fugásset, sacrum Viáticum, quod in haerética domo decúmbens frustra ab homínibus petébat, ab Angelis accépit. Mox ad púeri Jesu compléxum a beatíssima ejus Matre cómiter admíssus, ac Societáti jussus nomen dare, súbito convåluit. Sed cum áditum ad illam patris timor in Germánia praeclúderet, peregríni hábitu solus,

pedes, mendícus fugam arrípuit, certus non sístere, nisi voti compos fiat. Iter non uno Dei beneficio prósperum fuit. Nam praeter ália, Páuli prófugum fratrem jam assequéntis equi, immísso divínitus torpóre, constitérunt. Et Stanisláus Angelórum pane íterum Angélico ministério reféctus, post duodécies centéna pássuum míllia, tandem Romae in Societátem Jesu a sancto Francísco Bórgia Generáli Praepósito méruit cooptári.

℟. Amávit eum,

Lectio VI.

Tyrónis emériti virtútes in religiósae vitae paléstra splendídius eluxére: Cháritas praesértim erga Deum, in quem assídue alienáta a sénsibus mente rapiebátur. Inde illi fácies semper accénsa, nonnúmquam irrádians, perénnes lácrymae, ardor péctoris tantus, ut média quoque híeme foret ingésta idéntidem gélida temperándus. Itaque amóre vérius, quam febri aestuans, die assúmptae in caelum Vírgini sacro, ad ejus triumphálem pompam própius, ut optáverat, spectándam, ab ipsa beatárum Vírginum choro stipáta vocátus est ex Quirináli domo probatiónis, anno innocéntis vitae décimo octávo, óperum plénior quam diérum. Multis post óbitum miráculis in sua praesértim Polónia enítuit, cujus armis contra formidábiles Turcárum exércitus spectábilis e caelo áffuit non semel; et civitátes álias peste, álias incéndio liberávit. Quamóbrem Clemens Décimus eum inter primários totíus regni patrónos constítuit. Benedíctus vero Decimustértius, quod a Cleménte Undécimo jamprídem fúerat decrétum, in Sanctórum númerum rétulit.

℟. Iste homo.

IN III. NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthaeum.

Lectio VII.

Cap. 19.

In illo témpore: Obláti sunt Jesu párvuli, ut manus eis impóneret. Et réliqua.

Homilía sancti Augustíni Epíscopi.

In Psalm. 118.

Quid párvulus, nisi húmilis? haec sunt mirabília te-

stimónia tua, Dómine, quae scrutáta est ánima párvuli hujus, et ídeo invénit, quia humiliátus est, et párvulus factus est. Quis enim facit mandáta tua sicut faciénda sunt, idest ex fide, quae per dilectiónem Dei operátur, nisi ejus in corde per Spíritum Sanctum ipsa diléctio diffundátur? Hoc étiam iste párvulus confitétur. Os meum, inquit, apérui, et attráxi spíritum, quia mandáta tua desiderábam. Quid desiderábat, nisi fácere mandáta divína? Sed non erat unde fáceret infirmus fórtia, et párvulus magna. Apéruit os, confitens, quod per se ipse non fáceret, et attráxit unde fáceret.

℟. Iste est.

Lectio VIII.

Júnior sum ego, inquit, et contémptus: justificatiónes tuas non sum oblítus. Non sicut inimíci mei, qui oblíti sunt verbórum tuórum. Vidétur áutem minor aetáte non oblítus justificatiónes Dei dolére pro inimícis suis aetáte majóribus, qui oblíti sunt. Nam quid est, júnior ego non sum oblítus, nisi illi majóres oblíti sunt? Sed contémptum se dicit hic júnior: ídeo factus est major: quia ignobília, et contemptibília mundi elégit Deus: et ea, quae non sunt, tamquam sint, ut ea, quae sunt, evacuéntur. Et ecce sunt novíssimi, qui erant primi: et primi qui erant novíssimi.

℟. Sint lumbi vestri.

Lectio IX.

Iste áutem júnior non est oblítus, quia non suam vóluit, habére justítiam, sed Dei: de qua étiam nunc dicit: Justítia tua justítia in aetérnum. Propter hanc passus est persecutiónem júnior a majóre, ut díceret júnior, quod séquitur: Tribulátio et necéssitas invenérunt me; mandáta tua meditátio mea est. Saeviant, persequántur: dum tamen mandáta Dei non relinquántur: et ex ipsis mandátis étiam qui saeviunt diligántur. Intelléctum da mihi et vivam. Intelléctum poscit iste júnior; quem si non habéret, non super senióres intellígeret. Sed eum poscit in tribulatióne et necessitáte, quo intélligat, quam sit contemnéndum, quod ei possunt auférre persequéntes inimíci a quibus se dicit esse contémptum.

Te Deum laudámus.

DIE XIV. NOVEMBRIS.

In Festo B. JOANNAE DE SIGNA *Virg.* Duplex.

Omnia de Commun. Virg. praeter ea, quae sequuntur.

ORATIO.

Deus simplicitátis amátor et custos, qui Nativitátem Fílii tui pastóribus prímitus revelásti, et in beáta Joánna pastorális innocéntiae nova exémpla monstrásti; ejus précibus concéde fámulis tuis simplicitátem et innocéntiam cordis ejus júgiter aemulári. Per eúmdem.

IN I. NOCTURNO.

Lectiones de Scriptura occurr.

IN II. NOCTURNO.

Lectio IV.

Joánna Virgo in quodam pago Sígnia nuncupáto prope Floréntiam, tértio décimo Christi saeculo orta est. Paréntes hábuit obscúros, quippe coléndis agris et curándis pecúdibus mancipátos. Quoúsque Deus illam in benedictiónibus dulcédinis praevenísset, cito innótuit. Namque ab ineúnte aetáte ex more institutóque majórum aléndis óvium grégibus dédita, ac mirae simplicitátis, morúmque innocéntiae specímina praebens, oves sibi commíssas ad páscua cógere, cum ipsis per próximas silvas erráre, et sero domum revérti consuévit. In quo quidem múnere obeúndo quam grata esset illi, cui cum simplícibus est sermocinátio, tum felix gregum pastorúmque, qui cum ea familiáriter versabántur numquam interrúpta salus et incolúmitas, tum crebra per eam a Deo patráta mirácula comprobárunt. In quibus illud solémne, grándines et fúlmina usque depéllere, et a quibuscúmque coeli tempestátibus custódes et pécora salva serváre. Quod quidem ádeo Vírgini frequens erat et usitátum, ut coaevis pastóribus certum esset et explorátum, quóties áliqua coelo coórta tempéstas eórum cervícibus imminéret, ad eam quantócius cum suo quisque grege confúgere. At illa sub annósa quercu, quae adhuc licet semimórtua frondéscit, rudes illos pécudum magístros ad se accítos ad pietátem informáre, et dum detonáret, de Deo, de sceléribus amovéndis, de vitae integritáte servánda, de coeléstibus gáudiis promeréndis sermocinári in delíciis habébat: ne gutta quidem intérea ingruéntis circa plúviae in felícem árborem

incidénte, sub cujus tégmine Joánna cum pastóribus versabátur. Quin amóta tempestáte, Arnum flumen ab ímbribus ex nimbóso túrbine collectis áuctum, strato super undas pállio, domum reditúra aliquándo tranávit.

℟. Propter veritátem.

Lectio V.

Cum vero ex hisce magnálibus sanctitátis ejus fama longe latéque percrebrésceret, vitatúra ambiéntis vulgi conspéctum, et se Deo in solitúdine totam mancipatúra, aetáte adhuc íntegra in exíguum concláve sub declivitáte collis ad déxteram Arni ripam secéssit. Ibi quasi in aetérni Regis cubículum introdúcta, more reclusárum Vírginum, quarum complúres ea ferébat aetas, hoc nómine pervulgátas; eleemósynis sponte oblátis víctitans, eremíticam vitam dúcere instítuit. Quanto vero in hoc palústri recéssu laetificáverit eam gáudio cum vultu suo is, qui díligit ambulántes in innocéntia et simplicitáte, nullíus est posse reférre. Mens semper aequa, vultus in summa rerum ómnium inópia semper hílaris, sermo dulcis ac benígnus in omnes, sed praecípue áliqua aegritúdine laborántes, eam diлécto suo totam, ejúsque ad se conversiónem fácile monstrábat. Nihil áutem tantópere hanc dilécti conversiónem faciébat elucéscere, quantum mirácula quae sub brevíssimo, et húmili tecto per eam est operátus. Síquidem coeco dédita ópera ad se ab urbe veniénti, enixéque oránti, lumen oculórum restítuit. Infántem aliénum, quem foemina quaedam Joánnae devóta lactándum suscéperat et apud eam mortem obíerat, inter ulnas recéptum, nutríci vivum restítuit: áliaque plúrima simplicitátem quamdam referéntia patrávit, quae ab Synchrono scriptore, ejus Templi in quo cólitur fortásse tunc rectóre, latínis gothicárum litterárum monuméntis consignáta, étiam hódie in iísdem sacris aedibus asservántur.

℟. Dilexísti justítiam.

Lectio VI.

In his rurális aedículae angústiis cum per annos ferme quadragínta, nempe usque ad annum suae vitae tértium ac sexagésimum dúriter vixísset, quinto Idus Novémbris anni millésimi trecentésimi séptimi migrávit ad Sponsum. Pretiósam ejus mortem campánae trium proximárum Ecclesiárum sponte sonántes patefecérunt. Díruto céllulae

paríete repérta est humi jacens, resupína, et ad sarmentórum fascem reclináta cervíce, ad instar plácide quiescéntis. Virgíneum cadáver ad sancti Joánnis Baptístae delátum, íntegrum usque adhuc et incorrúptum honoríſice servátur, frequentíque, et numquam intermísso populórum concúrsu celebrátur. Grátia sanitátum, qua étiam dum víveret a Deo donáta erat; numquam fere, se invocántibus, non opituláta est, praesértim contribúlibus, et étiam nunc quam frequentíssime opitulátur. Cláruit praecípue anno Christi millésimo trecentésimo quadragésimo octávo cum dira per totam fere Európam grassarétur lues. Quo quidem calamitosíssimo tempore, tetérrimam labem ab agri Signénsis fínibus est deprecáta, perpáucis ex indígenis, alíisque qui eam sibi sédulis obséquiis promerúerant pestilénti morbo tentátis. A coeli vero tempestátibus pátrios fines defendere, fúlmina a dómibus, sacrísque tectis distinére; grándines ab arvis, et noválibus depéllere, nimbos effusíssimos prohibére, in siccitáte plúviam, in nímium protráctis ímbribus serenitátem exoráre, hoc illi véluti próprium adhuc permanére, quotidiáno fere experiménto laudátur. Cultum immemorábilem, quinque saeculórum suffrágio, et perpétuis miráculis confirmátum Pius Sextus Pontifex Máximus comprobávit, et officio público celebrándum indúlsit.

℟. Afferéntur Regi.

IN III. NOCTURNO.

Lectiones de Communi Virg. 1. loco.

DIE XV. NOVEMBRIS.

In Festo S. GERTRUDIS *Virginis*. Duplex.

Omn. de Com. Virg. non Mart. prater sequentia.

ORATIO.

Deus, qui in corde beátae Gertrúdis Vírginis jucúndam tibi mansiónem praeparásti; ipsíus méritis et intercessióne cordis nostri máculas cleménter abstérge, et ejúsdem tríbue gaudére consórtio. Per Dóminum.

IN I. NOCTURNO.

Lect. de Script. occ.

IN II. NOCTURNO.

Lectio IV.

Gertrúdis Islébii in Saxónia

nóbili génere nata; quinquénnis in Monastério Rodardénsi Ordinis sancti Benedícti, virginitátem suam, ac seípsam Jesu Christo óbtulit. Quo ex témpore a mundánis rebus prorsus aliéna virtutíque sédulo inténta, coeléstis vitae genus instítuit. Ad humaniórum litterárum notítiam rerum divinárum cognitiónem adjúnxit. Quarum meditatióne veheméntius ad virtútem incénsa brevi Christiánam perfectiónem adépta est. De Christo, ejúsque vitae mystériis saepenúmero pio cum ánimi sensu loquebátur: unámque Dei glóriam cógitans, ad illam vota sua ómnia, et actiónes referébat. Quamvis áutem multis exímiis natúrae, et grátiae donis a Deo aucta esset, ita tamen sibi ipsa vilescébat, ut inter praecípua divínae bonitátis mirácula hoc item memoráret, quod se indigníssimam misericórditer sustinéret.

℟. Propter.

Lectio V.

Trigésimum aetátis annum agens, primum Rodardénsis Monasterii, ubi religiósam vitam est proféssa, deínde Elpediáni Praeses elécta, quadragínta annórum spátio ea charitáte, prudéntia, et reguláris disciplínae stúdio munus obívit, ut Coenóbium religiósae perfectiónis domicílium viderétur. Utrobíque vero licet esset ómnium mater, et magístra, ómnium tamen mínima habéri volébat, ac demissióne pari minístram se exhibébat. Quo libérius Deo vacáret, vigíliis, abstinéntia, aliísque cruciátibus corpus afflíxit; sempérque sui símilis, morum innocéntiam, mansuetúdinem, ac patiéntiam praetulit singulárem. Proximórum salúti omni ope stúduit, piaeque curae copiósum fructum rétulit. Divíni amóris vi frequéntes patiebátur éxtases: altissimaeque contemplatiónis, et divínae uniónis donum obtínuit.

℟. Dilexísti.

Lectio VI.

Ut mèritum acceptíssimae sibi Sponsae Christus osténderet, in corde Gertrúdis jucúndam sibi esse mansiónem testátus est. Deíparam Vírginem, véluti matrem, et curatrícem a Jesu accéptam, pietáte praecípua prosequebátur: ab eáque múlta accépit benefícia. Erga diviníssimum Eucharistíae Sacraméntum, et Passiónem Dómini tanto amóre cum grati ánimi sensu affi-

ciebátur, ut intérdum ubéribus lácrymis perfunderétur. Justórum ánimas piaculáribus flammis addíctas quotidiánis subsídiis, et précibus juvábat. Multa ad confovéndam pietátem scripsit: divinárum étiam revelatiónum, et prophetíae dono clàruit. Dénique flagrantíssimo Dei amóre pótius, quam morbo languéscens, anno Dómini millésimo ducentésimo nonagésimo secúndo vita decéssit. Mirículis vivens, et post mortem a Deo illustráta est.

℟. Afferéntur Regi.

IN III. NOCTURNO.

Homilia S. Gregorii Papae in Evang. Símile erit regnum coelórum decem virgínibus, *de Comm.*

DIE XVI. NOVEMBRIS
ASS. 13. HUJ.

In Festo S. DIDACI C. sem. *omn. ut in Brev.* 13. *huj.*

DIE XVII. NOVEMBRIS

In Festo S. EUGENII *Conf. Flor.* Duplex majus.

Omnia de Commun. Conf. non Pont. primo loco.

Lect. 1. *n. de eod. Com.* 2. *loc.* Beátus vir.

DIE XVIII. NOVEMBRIS.

In Dedicatione Basilicarum SS. APOSTOLORUM PETRI ET PAULI Duplex.

Omn. de Com. Dedic. Eccl. Lect. 1. *n. pr. ut in Brev. hac ipsa die.*

IN II. NOCTURNO.

Lectio IV.

Ex locis sacris, quae olim apud Christiános veneratiónem habuérunt, illa celebérrima et frequentíssima fuérunt, in quibus cóndita Sanctórum córpora, vel áliquod Mártyrum vestígium, aut monuméntum esset. In quorum número sanctórum locórum in primis semper fuit insígnis ea Vaticáni pars, quam sancti Petri confessiónem appellábant. Nam eo Christiáni ex ómnibus orbis terrae pártibus tamquam ad fidei petram, et Ecclésiae fundaméntum conveniéntes, locum príncipis Apostolórum sepúlchro consecrátum summa religióne ac pietáte venerabántur.

℟. Orántibus in loco.

Lectio V.

Illuc Costantínus Magnus Imperátor octávo die post suscéptum baptísmum venit, depositóque diadémate, et humi jacens vim lacrymárum profúdit: mox sumpto ligóne, ac bidénte terram éruit, índeque duódecim terrae có-

phinis, honóris causa duòdecim Apostolórum, ablátis, ac loco Basílicae Príncipis Apostolórum designáto Ecclésiam aedificávit. Quam sanctus Silvéster Papa décimo quárto Kaléndas Decémbris eo modo quo Lateranénsem Ecclésiam quinto Idus Novémbris consecráverat, dedicávit, et in ea altáre lapídeum chrísmate delibútum eréxit: atque ex eo témpore sancívit, ne deínceps altária nisi ex lápide fierent. Idem beátus Sílvester Basílicam sancti Páuli Apóstoli in via Ostiénsi ab eódem Costantíno Imperatóre magnificentíssime aedificátam dedicávit. Quas Basílicas idem Imperátor, multis praediis attribútis locupletávit, ac munéribus amplíssimis exornávit.

℟. O quam metuéndus est.

Lectio VI.

Porro Vaticánam Basílicam vetustáte jamprídem collabéntem, ac proptérea multórum Pontíficum pietáte látius, ac magnificéntius a fundaméntis eréctam Urbánus Octávus hac eádem recurrénte die anni millésimi sexcentésimi vigésimi sexti solémni ritu consecrávit. Basílicam vero Ostiénsem quum dira incéndii vis anno millésimo octingentésimo vigésimo tértio pénitus consumpsísset, indeféssa qúatuor Pontíficum cura splendídius quam ántea eréctam, et ab intéritu véluti vindicátam Pius Nonus, auspicatíssimam nactus occasiónem, qua Dogma de Immaculáta Beátae Maríae Vírginis Conceptióne nuper ab ipso proclamátum, ingéntem Cardinálium et Episcopórum númerum ex díssitis étiam Cathólici Orbis regiónibus Romam attráxerat, die décima Decémbris Anni millésimi octingentésimi quinquagésimi quarti tanta circúmdatus Purpuratórum Patrum, et Antístitum coróna solémniter dedicávit, ejúsque celebritátis memóriam hac die recoléndam decrévit.

℟. Mane surgens Jacob.

IN III. NOCTURNO.

Hom. Si veráciter *ut in 4. die infr. oct. ut in Brev.*

DIE XXIV. NOVEMBRIS.

In Festo S. Joannis a Cruce *Conf.* Duplex.

Omnia de Commun. Confess. non Pontif. praeter ea, quae sequuntur.

ORATIO.

Deus, qui sanctum Joánnem

Confessórem tuum perféctae sui abnegatiónis, et Crucis amatórem exímium effecísti: concéde, ut ejus imitatióni júgiter inhaeréntes, glóriam assequámur aetérnam. Per Dóminum.

Deinde fit com. sancti Clementis, ac Sancti Chrysogoni Mart. ut in Brev.

IN I. NOCTURNO.

Lect. de Scrip. occ.

IN II. NOCTURNO.

Lectio IV.

Joánnes a Cruce Fontíberi in Hispánia piis paréntibus natus, a primis annis certo innótuit, quam Deíparae Vírgini futúrus esset accéptus: nam quinquénnis in púteum lapsus, ejúsdem Deíparae manu sublátus, incólumis evásit. Tanto áutem patiéndi desidério flagrávit, ut novénnis, spreto mollióri lecto, supra sarménta cubáre consuéverit. Adoléscens hospítio páuperum aegrotántium Metymnae Campi fámulum sese addíxit, quibus magno charitátis ardóre, vilíssima quaeque compléctens officia, praesto áderat: cujus exémplo excitáti coeteri éadem charitátis múnera ardéntius obíbant. Verum ad altióra vocátus, Beátae Maríae Vírginis de Monte Carmélo Institútum ampléxus est; ubi Sacérdos ex obediéntia factus, severióris disciplínae, et arctióris vitae cupidíssimus, primitívam Ordinis Régulam ex Superióris licéntia ita proféssus est; ut ob jugem Domínicae Passiónis memóriam, bello in se tamquam in infensíssimum hostem, indícto, vigíliis, jejúniis, férreis flagéllis, omníque poenárum génere, brevi carnem cum vítiis, et concupiscéntiis suis crucifíxerit: dignus plane, qui a sancta Terésia inter purióres, sanctiorésque ánimas Ecclésiam Dei id témporis illustrántes recenserétur.

℟. Honéstum.

Lectio V.

Singulári vitae austeritáte et ómnium virtútum praesídio munítus, prae assídua rerum divinárum contemplatióne diutúrnas, et mirábiles éxtases frequénter patiebátur: tantóque in Deum aestuábat amóre, ut cum divínus ignis sese intro diútius continére non posset, foras erúmpere, ejúsque vultum irradiáre visus sit. Proximó-

rum salúti summópere inténtus, tum in verbi Dei praedicatióne, tum in Sacramentórum administratióne fuit assíduus. Hinc tot méritis áuctus, strictiorísque disciplínae promovéndae ardóre vehéménter accénsus, sanctae Terésiae comes divínitus datus est, ut quam ipsa inter Soróres primaevam Carméli Ordinis observántiam instauráverat, eámdem et inter Fratres, Joánne adjutóre, restitúeret. Innúmeros ítaque una cum Dei fámula in divíno ópere promovéndo perpéssus labóres, Coenóbia, quae ejúsdem sanctae Vírginis cura per totam Hispániam erécta fúerant, nullis vitae incómmodis, et perículis térritus, síngula perlustrávit: in quibus, aliísque quamplúrimis ejus ópera eréctis, restaurátam observántiam propagándo, verbo et exémplo firmávit; ut mérito primus post sanctam Terésiam Carmelitárum Excalceatórum Ordinis Proféssor, et Parens habeátur.

℟. Amávit.

Lectio VI.

Virginitátem perpétuo cóluit impudentésque mulíeres ejus pudicítiae insidiári conántes, non modo répulit, sed étiam Christo lucrifécit. In divínis explicándis arcánis, aeque ac sancta Terésia, Apostólicae Sedis judício, divínitus instrúctus, libros de mystica Theología coelésti sapiéntia refértos conscrípsit. Semel interrogátus a Christo, quid praemii pro tot labóribus pósceret, respóndit: Dómine, pati, et contémni pro te. Império in daemones, quos e corpóribus saepe fugábat, discretióne spirítuum, prophetíae dono, miraculórum grátia celebratíssimus, ea semper fuit humilitáte, ut saepius a Dómino flagitáverit eo loco mori, ubi ómnibus esset ignótus. Voti compos factus, Ubédae diro morbo, et in crure quinque plagis sánie manántibus, ad impléndum patiéndi desidérium, constantíssime tolerátis, Ecclésiae Sacraméntis pie, sanctéque suscéptis, in Christi Crucifíxi ampléxu, quem semper in corde, atque ore habúerat, post illa verba: In manus tuas comméndo spíritum meum, obdormívit in Dómino, die, et hora a se praedíctis, anno salútis millésimo quinquagésimo nonagésimo primo, aetátis quadragésimo nono. Migrántem ejus ánimam splendidíssimus ignis globus excépit; corpus vero suavíssimum odórem spirávit; quod etiámnum in-

corrúptum Segóbiae honorífice cólitur. Eum plúrimis ante et post óbitum fulgéntem signis, Benedíctus Decimustértius Póntifex Máximus in sanctórum númerum rétulit.

℟. Iste homo.

IN III. NOCTURNO.

Homilia S. Gregorii Papae in Evangelio, Sint lumbi vestri *de Com.* 1. *loc.*

DIE XXVI. NOVEMBRIS.
ASS. EX XVII. HUJ.

In Festo S. GREGORII *Ep. Thaumat. Conf.* sem.

In hymn. Iste Conféssor *dicat.* Méruit suprémos.

Omn. ut in Brev. 17 *uj. cum* 9. *l. et com. S. Petri Ep. Alexandr. et m.*



OFFICIUM

DE SS. CORPORE CHRISTI

Recitandum sub ritu semiduplici omnibus feriis V. non impeditis Festo novem lectionum etiam translato, exceptis Adventu, Quadragesima et vigiliis etc. juxta tenorem Decreti S. R. C. 20. *Martii* 1706.

Omn. dicuntur prout in die Festi omiss. Allelúja *in Ant. et* ℟℟.

Si occurrat aliquod festum simplex, fit de eo comm.

Deinde fiunt, si faciendae sint, comm. consuetae seu Suffragia SS.

Tempore paschali dicit. more paschali et fit comm. de Cruce.

Ad Complet. et per Horas in fine hymnor. dicit. Jesu.... Qui natus *etc. et dicunt. preces, ad Compl. et Prim. tant.*

Lect. 1. *n. semper legunt. de Scr. occ. cum* ℟℟. 1. *noct. Festi, in* 2. *et* 3. *nn. sumunt. ex octav. ejusd. ut inferius positae.*

Notandum quod in initio Sermonum et Homiliarum ubi dicit. De Sermóne, *et* De Homília, *dicatur* Sermo, *et* Homilía.

De Festo simplici legit. 9. *l. et fit comm. in Laudibus.*

Ad Prim. ℟. Christe Fili Dei *etc.* ℣. Qui natus es. *etc.*

MENSE JANUARIO.

Lectiones 2. *et* 3. *n. ut in die Festo ejusdem.*

MENSE FEBRUARIO.

Lect. 2. *n. ex Sabbato infr. oct.*

Lect. 3. *n. ex fer.* 2. *infr. eamd. oct.*

MENSIBUS MARTIO
ET APRILI.

Ante vel post Quadragesimam.

Lect. 2. *n. ex Dom. infr. oct.*

Lect. 3. *n. ex Sabb. infr. oct. praedictam.*

MENSIBUS MAJO
ET JUNIO

Lect. 2. *et* 3. *n. ex fer.* 2. *infr. oct.*

MENSIBUS JULIO
ET AUGUSTO.

Lect. 2. *et* 3. *n. ex fer.* 3. *infr. oct.*

MENSIBUS SEPTEMBRI
ET OCTOBRI.

Lect. 2. *et* 3. *n. ex fer.* 4. *infr. oct.*

MENSIBUS NOVEMBRI
ET DECEMBRI.

Ante Adventum.

Lect. 2. *et* 3. *n. ut in die* 8.

OFFICIUM

IMMACULATÆ CONCEPTIONIS

BEATAE MARIAE VIRGINIS

Recitandum sub ritu semiduplici omnib. Sabbatis non impeditis Festo novem lectionum etiam translato et excepto Adventu.

Omn. dicuntur ut supra in die Festi pag. 11.

In utrisque Vesperis et Laudibus. ℣. Immaculáta Concéptio recólitur Sanctae Maríae Vírginis. ℟. Cujus vita ínclyta cunctas illústrat Ecclésias.

Si occurrat aliquod fest. simplex fit de eo comm.

Deinde fiunt, si faciendae sint, comm. communes seu Suffragia SS.

Tempore paschali dicit. more paschali et fit com. de Cruce. Ad Complet. et per Horas dicit. in fine hymn. ℣. Jesu... Qui natus *etc.*

Lectiones 1. *n. semper leguntur de Script. occ. cum* ℟℟. 1. *n. diei Festi pag.* 12.

In II. III. ut infra.

Si occurrat aliquod fest. simplex legit. de eo 9. *l. et fit com. in Laudibus.*

Ad Prim. ℟. Christe Fili Dei. *etc.* ℣. Qui natus es *etc.*

MENSIBUS JANUARIO ET FEBRUARIO.

Ut in 2. *die infr. oct. pag.* 18.

MENSIBUS MARTIO ET APRILI.

IN II. NOCTURNO.

(*Lect. sequentes inserviunt etiam pro iij. die infr. oct. iis locis, ubi fit de ea.*)

Sermo sancti Thomae Archiepíscopi Valentíni.

Lectio IV.

In Concept. B. M. V.

Non est facta in póndere et mensúra Virgo. Omnibus dedit, ómnia replévit. Et quemádmodum sol justítiae Christus Deus noster oríri facit lumen suum super bonos et malos: sic lumen indeficiens Virgo sacratíssima, rádios évibrans misericórdiae suae, ómnibus indifferénter sese exorábilem, ómnibus clementíssimam praebet, ómnium dénique necessitátes amplíssimo quodam miserátur afféctu. Omnibus ómnia facta est; sapiéntibus et insipiéntibus copiosíssima charitáte debitrícem se fecit; ómnibus misericórdiae sinum apéruit, ut de plenitúdine ejus accípiant univérsi; captívus redemptiónem, aeger curatiónem, tristis consolatiónem, peccátor véniam, justus grátiam, Angelus laetítiam; dénique tota Trínitas glóriam, Fílii persóna carnis humánae substántiam.

Lectio V.

O lampas lucidíssima, quantos laetificásti, quando divino splendóre illustráta in útero matris immaculáta apparuísti! Concéptio tua, Dei génitrix Virgo, gáudium annuntiávit univérso mundo. Mérito epithalámii praecéntor ille a longe in ortu tuo, te intúitus; quae, inquit, est ista quae progréditur quasi auróra consúrgens, pulchra ut luna, elécta ut sol, terríbilis ut castrórum ácies ordináta? Sicut auróra valde rútilans in mundum prodiísti, o María, quando veri solis fulgóre adumbráta in conceptióne tua immaculáta fuísti. Ipse enim sol justítiae de te processúrus ortum tuum quadam matutína irradiatióne praevéniens, in te suae lucis rádios copiosíssime transfúdit, quibus potestátes tenebrárum, quas Eva prodúxerat, in fugam convertísti.

Lectio VI.

Tu pulchra ut luna díceris, eíque non immérito comparáris; illa enim ómnium astrórum sola, soli simíllima, comparatióne et candóre venústa, inter míllia astrórum Deo assisténtium omnígena puritáte in coelo gloriósa praefúlget. Tu ergo pulchra es ut luna, imo et púlchrior luna, quia tota pulchra es, et máculae neque originális neque actuális umbra non est in te. Tu elécta es, ut sol. Ille, inquam, Sol, solis cónditor, ille eléctus est ex míllibus viró-

rum; tu elécta ex míllibus feminárum. Tu terríbilis ut castrórum ácies ordináta. An non horruérunt príncipes tenebrárum, quando vidérunt praeter morem immaculáte concéptam, armatúra omni fortióre instrúctam contra se procédere féminam? Quin et in animatióne tua ácies válidas spirituálium virtútum, et innumerabílium beatórum spiríluum milítiam delegátam fuísse nullátenus ambígimus; útpote qui custodírent léctulum Salomónis puríssimum, ne praeparátum aetérno Regi hospítium aliénus hospes inváderet.

IN III. NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthaeum.

Lectio VII.

Cap. 1.

Liber generatiónis Jesu Christi fílii David, fílii Abraham. Abraham gènuit Isaac. Isaac áutem génuit Jacob. Et réliqua.

Homilía sancti Ambrósii Epíscopi.

Exp. Evang. sec. Luc. c. 3.

Ideo istos duos géneris auctóres Evangelísta delégit: unum qui promíssum accépit de congregatióne populórum: álterum, qui de generatióne Christi oráculum consecútus est. Et ideo licet órdine sit successiónis postérior, prior tamen, quam Abraham in Dómini generatióne descríbitur; quia plus est promíssum accepísse de Christo, quam de Ecclésia; quóniam Ecclésia ipsa per Christum. Ergo unus princeps géneris secúndum carnem, alter princeps géneris secúdum spíritum: alter secúndum séminis grátiam, alter secúndum populórum fidem; pótior enim qui salvat eo, qui salvátur. Et ídeo David fílius dícitur: Liber generatiónis Jesu Christi fílii David. Ejus enim primo loco débuit fílius dici, cui dari fílius est promíssus; licet Apóstolus étiam Abrahae Christum dicat esse promíssum. Abrahae enim dictae sunt promissiónes, et sémini ejus. Non dicit: et semínibus; tamquam in multis, sed sicut in uno: et sémini tuo, qui est Christus; ut álteri proprìetas generatiónis, principátus álteri deferátur.

Lectio VIII.

Illi delátum est ut Jesus ejus fílius dicerétur: huic quasi príncipi, famíliae gen-

tiúmque praerogatíva servátur; ut ab Abraham generatiónis Domínicae manáret exórdium. Qui enim fidei áuctor est, ipsum assérere Scriptúra quoque débuit divínae generatiónis auctórem. Unde et Lucas ad Deum putávit oríginem ejus esse referéndam; quod verus Christi generátor Deus sit, vel secúndum veram generatiónem pater, vel secúndum lavácri regeneratiónem mystici múneris àuctor. Et ídeo non a primo generatiónem ejus coepit descríbere; sed pósteaquam baptísmum ejus explícuit, auctórem ómnium Deum per baptísmum cúpiens demonstráre, Christum quoque a Deo órdine manásse successiónis asséruit; univérsa contéxens, ut et secúndum natúram, et secúndum grátiam, et secúndum carnem Dei fílium demonstráret.

Lectio IX.

Quod vero per Salomónem Matthaeus generatiónem derivándam putávit, Lucas vero per Nathan: alter regálem, alter Sacerdotálem Christi famíliam vidétur osténdere. Quod non ita accípere debémus, quod álterum áltero vérius: sed alter álteri pari fide et veritáte concórdet. Fuit enim vere et secùndum carnem regális et sacerdotális famíliae: rex ex régibus, sacérdos ex sacerdótibus, licet oráculum non de carnálibus, sed de coeléstibus exprimátur; quóniam et rex in Dei virtúte laetátur, cui judícium a Patre rege defértur, et sacérdos est in aetérnum. secúndum quod scriptum est: Tu es sacérdos in aetérnum secúndum órdinem Melchísedech. Bene ígitur utérque ténuit fidem, ut Matthaeus per reges ductam oríginem comprobáret, et Lucas per sacerdótes a Deo trasmíssam in Christum sériem géneris deducéndo, sanctiórem ipsam oríginem declaráret.

MENSIBUS MAJO
ET JUNIO

IN II. NOCTURNO.

(*Lect. seq. inserviunt etiam pro v. die infr. oct.*)

Sermo sancti Bernárdi Abbátis.

Lectio IV.

De duodecim praerogativis B. V. Mariae.

Múlier, inquit, amícta so-

le. Plane amícta lúmine tamquam vestiménto. Non pércipit forte carnális: nimírum spirituále est: stultítia illi vidétur. Non sic videbátur Apóstolo, qui dicébat: Indúimini Dóminum Jesum Christum. Quam familiáris ei facta es Dómina! Quam próxima, immo quam íntima fieri meruísti, quantam invenísti grátiam apud eum! In te manet, et tu in eo: et vestis eum, et vestíris ab eo. Vestis eum substántia carnis, et vestit ille te glória suae majestátis. Vestis solem nube, sole ipsa vestíris. Novum enim fecit Dóminus super terram, ut múlier circúmdaret virum, nec álium quam Christum, de quo dicitur: Ecce vir, Oriens nomen ejus. Novum quoque fecit in coelo, ut múlier sole appareret amícta. Dénique et coronávit eum, et vicíssim ab eo méruit coronári.

Lectio V.

In cápite, inquit, ejus coróna stellárum duódecim. Dignum plane stellis coronári caput, quod et ipsis longe clárius micans, ornet eas pótius quam ornétur ab eis. Quidni corónent sídera quam sol vestit? Sicut dies verni, ait, circúmdabant eam flores rosárum, et lília convállium. Nimírum laeva sponsi sub cápite ejus et jam déxtera illíus amplexátur eam. Quis illas aestimet gemmas, quis stellas nóminet, quibus Maríae régium diadéma compáctum est? Supra hóminem est corónae hujus ratiónem expónere, indicáre compositiónem. Mihi sane singuláris rútilat fulgor, primo quidem in Maríae generatióne, secúndo in Angélica salutatióne, tértio in Spíritus superventióne, quarto in fílii Dei inenarrábili conceptióne.

Lectio VI.

Quid ergo sídereum micat in generatióne Maríae? Plane quod ex régibus orta; quod ex sémine Abrahae; quod generósa ex stirpe David. Si id parum vidétur, adde quod generatióni illi ob singuláre privilégium sanctitátis divínitus nóscitur esse concéssa; quod longe ante eísdem pátribus coelitus repromíssa: quod mysticis praesignáta miráculis; quod oráculis praenuntiáta prophéticis. Hanc enim sacerdotális virga, dum sine radíce flóruit: hanc Gedeónis vellus, dum in médio siccae áreae máduit; hanc in Ezechiélis visióne orientális porta, quae

nulli unquam pátuit, praesignábat. Hanc dénique prae céteris Isaías nunc virgam de radíce Jesse oritúram praenunciábat: nunc evidéntius vírginem paritúram. Mérito signum hoc magnum in coelo apparuísse scríbitur, quod tanto ante de coelo nóscitur fuísse promíssum.

IN III. NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthaeum.

Lectio VII.

Cap. 1.

Liber generatiónis Jesu Christi filii David, filii Abraham. Abráham génuit Isaac. Isaac áutem génuit Jacob. Et réliqua.

Homilía sancti Joánnis Chrysóstomi.

Hom. 2. *in Matth. p. init.*

Audítu quidem mirábile est, quod ineffábilis Deus, et qui nec sermónibus explicári potest, nec cogitatiónibus comprehéndi, Patríque per ómnia coaequális, per Vírginis ad nos venit úterum, et fieri ex muliere dignátus est, et habére progenitóres David, et Abraham. Et quid dico David et Abraham? étiam illas, quod magis stupéndum est, féminas, quas páulo ante memorávi. Haec ígitur áudiens mente consúrge, nihílque húmile suspicéris, sed pótius propter hoc ipsum máxime miráre, quia cum verus et diléctus filius sit sempitérni Dei, étiam filius David esse dignátus est, modo ut te filium fáceret Dei: servum patrem habére dignátus est, ut tibi servo patrem fáceret ipsum Deum.

Lectio VIII.

Vides ab ipso statim princípio, quam laeta sint haec núntia. Quod si ámbigis de his quae ad tuum spectant honórem, ab iis quae illíus sunt, étiam tua disce crédere. Quantum enim cónsequi potest humána rátio, multo est difficílius Deum hóminem fieri, quam hóminem Dei filium consecrári. Cum ergo áudieris quia filius Dei filius sit et David et Abrahae, dubitáre jam désine, quod et tu qui filius es Adae, futúrus sis filius Dei. Non enim semetípsum ita humiliásset, nisi nos esset exaltatúrus. Natus est enim secúndum carnem, ut tu nascerére spíritu: natus est ex muliere, ut tu desíneres filius esse mulíeris.

Lectio IX.

Proptérea duplex facta generátio est, haec scílicet nostrae símilis, illa nostram eminénter excédens. Quod enim natus ex fémina est, et nobis cómpetit: quod vero non ex sánguine, neque ex volun táte carnis, aut viri, sed ex Spíritu sancto, áliam nobis sublimiórem, futurámque et spíritu consequéndam generatiónem promíttit. Sed ália quoque ómnia ex símili diversitáte constábunt. Nam et baptísma profécto tale suscépit, quod habéret quidem áliquid véteris, habéret et novi. Quod enim baptizátus est a Prophéta, expréssit vetus: quod autem descéndit Spíritus, adumbrávit novum.

MENSIBUS JULIO
ET AUGUSTO.

Lectio VI.

Sermo sancti Joánnis
Damascéni.

Serm. 1, in Nat. B. M. V.

O Jóachim et Annae sanctíssima fília, quae principátibus et potestátibus, ignísque malígni telis latuísti: quae in Spíritus thálamo versata es, et sine mácula custodíta ut Sponsa Dei, naturáqueDei mater esses! O sacratíssima fília, quae in matérnis ulnis cérneris, apostaticísque virtútibus formidábilis es! O sacratíssima fília, quae matris ubéribus lactáris, atque ab Angelis undique císgeris! O cara Deo fília, paréntum decus quam, ut abs te vere dictum est, generatiónes omnes beátam dicent! O digna Deo fília, humánae venústas naturae, primígenae paréntis Hevae emendátio! Tuo namque partu, quae cecíderat erécta est. O sacrosáncta fília, feminárum glória! Quamvis enim prima Heva prevaricatiónis rea exstíterit, ac per eam mors, dum illa serpénti advérsus primum paréntem inservíret, ingréssa sit; áttamen María divínae ósbequens voluntáti deceptórem anguem ipsa decépit, ac mundo immortalitátem invéxit.

Lectio V.

Vere res omnes cónditas dignitáte antecelluísti. Nam ex te sola summus ille ópifex partem assúmpsit, massae nostrae primítias. Caro

ejus ex tuis sanguínibus concréta fuit. Quin Deus ex tuis mamíllis lac suxit, túaque lábia Dei lábiis cohaesérunt. O miráeula mentis captum et sermónem excedéntia! Dignitátem tuam praecognóscens univérsórum Deus, te proínde diléxit, dilectámque praedestinávit, atque extrémis tempóribus prodúxit, ac Deíparam matrem, suíque Fílii ac Verbi nutrítiam fecit. Laetáre, beáta Anna, quod féminam pepéreris. Haec enim fémina Dei mater natúra est, porta lucis, fons vitae, et feminárum crimen abolébit. Hujus féminae vultum deprecabúntur omnes dívites plebis. Féminam hanc reges géntium munéribus oblátis adorábunt. Hanc féminam Deo universórum Regi ófferes, virtútum tamquam fimbriis áureis circumamíctam elegántia, sanctíque Spíritus grátia ornatam, cujus glória ab intus.

Lectio VI.

O divínum, vivúmque simulácrum, cujus cónditor Deus pulchritúdine delectátus est, quod mentem quidem divínitus gubernátam habet, Deóque soli addíctam; cupiditátem vero omnem, ad id quod solum expeténdum est, et amóre dignum inténtam; iram áutem contra peccátum dumtáxat, ejúsque paréntem. Vitam natúra potiórem habébis. Habébis áutem non tibi ipsa: quippe quae non tui ipsíus causa génita sis. Quocírca Deo hanc habébis, cujus grátia in mundum prodiísti, ut orbis univérsi salúti obsequáris: Deíque antíquum consílium, nimírum incarnatiónis Verbi, ac nostrae deificatiónis, per te impleátur. Appetítus tuus divínis sermónibus nutriétur, hisque pinguésces tamquam olíva fructífera in domo Dei; tamquam lignum plantátum secus decúrsus aquárum Spìritus, tamquam vitae lignum, quod fructum vitae dedit praefiníto suo témpore; Deum scílicet incarnátum, et aetérnam universórum vitam. Cogitátum omnem alúmnum habens et ánimae profícuum, ac supervacáneum omnem et ánimis exitiósum prius réprobans, quam eum degústes. Tota thálamus Spíritus, tota cívitas Dei vivi, quam laetíficant flúminis ímpetus, sancti, inquam, Spíritus gratiárum fructus. Tota pulchra, tota Deo propínqua; haec enim Chérubim súperans, et super Séraphim evécta, próxima Deo èxtitit.

IN III. NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthaeum.

Lectio VII.

Cap. 1. Liber generatiónis Jesu Christi filii David, filii Abraham. Abraham áutem génuit Isaac. Isaac áutem génuit Jacob. Et réliqua.

De Homilia sancti Hierónymi Presbyteri.

Lib. I. Comm. in Matth.

Jacob áutem génuit Joseph. Hunc locum objécit nobis Juliánus Augústus de dissonántia Evangelistárum, cur Evangelísta Matthaeus Joseph díxerit filium Jacob, et Lucas eum filium appellárit Heli: non intélligens consuetúdinem Scripturárum, quod alter secúndum natúram, alter secúndum legem ei pater sit. Scimus enim hoc per Móysen, Deo jubénte, praecéptum, ut si frater aut propínquus absque líberis mórtuus fúerit, álius accípiat uxórem ad suscitándum semen fratris vel propínqui sui.

Lectio VIII.

Joseph virum Maríae. Cum virum audíeris, suspício tibi non súbeat nuptiárum! sed recordáre consuetúdinis Scripturárum, quod sponsi viri, et sponsae vocéntur uxóres. Et a transmigratióne Babylónis usque ad Christum generatiónes qurtuórdecim. Númera a Jechonía usque ad Joseph, et invénies generatiónes tredecim. Quartadécima ergo generátio in ipsum Christum reputábitur. Christi áutem generátio sic erat.

Lectio IX.

Quaerat díligens lector et dicat: Cum Joseph non sit pater Dómini Salvatóris, quid pértinet ad Dóminum generatiónis ordo dedúctus usque ad Joseph? Cui respondébimus primum, non esse consuetúdinis Scripturárum, ut mulíerum in generatiónibus ordo texátur. Deínde ex una tribu fuísse Joseph et Maríam, unde ex lege eam accípere cogebátur ut propínquam: et quod simul censéntur in Béthlehem, ut de una vidélicet stirpe generáti.

MENSIBUS SEPTEMBRI ET OCTOBRI

IN II. NOCTURNO.

(*seq. Lect. inserviunt etiam pro vii. die infr. oct.*)

Sermo sancti Joánnis Damascéni.

Lectio IV.

Sermo 2. in Nativ. B. M. V.

Cum homo per imménsam Dei bonitátem in rerum natúram edéndus esset, in primis coelum exténditur, substérnitur terra, suis mare términis cláuditur, céteraque ómnia, quibus útraque complénda essent, in univérsi ornátu una prodúcta sunt. Tum postrémum homo, régio cultu in paradíso velut in virtútis schola pónitur, ac nisi violásset praecéptum, a vitáli illo loco numquam exulásset:cumque expers induménti esset, nisi divínis consíliis obstitísset, haudquáquam in multis variísque affectiónibus obnóxiam mutatiónem cecidísset, ut Dei monárchae loco plura númina cóleret. Cunctis ítaque, ut verbo expédiam, interitióni déditis, miseránte Deo, ne quem suis ipse mánibus formásset, in níhilum cé-deret penitúsque abolerétur, coelum áliud novum, terrámque ac mare fábricat, in quibus propensióri consílio humánum genus reformatúrus ipse caperétur, qui capi nusquam potest. Isthaec porro est beáta multiplicitérque celebránda Virgo.

Lectio V.

O rem miram! coelum quidem est, cum velut ex peníssimis virginitátis thesáuris Solem justítiae próferat: terra vero, ceu quae ex intemerátis lumbis vitae spicam edat: mare tandem, útpote quae ex úteri sui sinu spirituálem margarítam prodit. Nunc ítaque nova ejus, qui capi nequit, creatúra elúxit: universórum Regis regális áula paráta est, ejus qui incomprehensíbilis est, ratióne utens diversórium instrúctum. Quam mundus iste magníficus est! Quam stupénda creátio, quae virtútum arbóribus venustátem habet, castitátis odóre fragrat, sensórum splendóribus claret, cunctísque bonis áliis nulla penúria frúitur: digna dénique prorsus est, in qua Deus ad hómines véniens inhábitet! Quinímo, inquit, mundus antérior quam máxime est admiràbilis. Tum enim, cum creáta sunt sídera, lau-

davérunt me voce magna Angeli mei, et praedicavérunt: nihil vero sic Deo decens gratúmque fuit, uti sancta, omnibúsque modis miránda Virgo.

Lectio VI.

O indulgéntiae demissiónem! Qui exímie bonus est próprii figménti proles audíre non rénuit, amóre captus illíus quae creátis ómnibus speciósior est, illam ampléxus, quae coeléstibus virtútibus dignitáte praeit. De hac ítaque summe admirábilis Zacharías ait: Gáude et laetáre, filia Sion, quia ecce vénio, et habitábo in médio tui, dicit Dóminus. Sed et beatíssimus Joel, de eádem, ut quidem exístimo, ita propémodum nóscitur clamáre: Confide terra, gáude et laetare, quia magnificávit Dóminus ut fáceret tibi. Terra namque est, in qua sacratíssimus Móyses umbráticae legis calceaméntum sólvere ob grátiae commendatiónem jussus est. Terra est, in qua ille carne fundátus a spíritu cánitur, qui fundat terram super stabilitátem suam. Terra est, in qua nulla peccáta e nata spina; secus vero per cujus germen illud pótius evúlsum est. Terra est, non uti prior maledícta, ac cujus fructus spinis ac tríbulis horréscant: sed super quam benedíctio Dómini fuit, et cujus fructus ventris benedíctus, ut sacro dictum est oráculo.

IN III. NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthaeum.

Lectio VII.

Cap. 1.

Liber generatiónis Jesu Christi filii David, filii Abraham. Abraham génuit Isaac. Isaac áutem génuit Jacob. Et réliqua.

Homilía sancti Joánnis Chrysóstomi.

Unde supra paulo post.

Cujus vero rei grátia librum ipsum generatiónis Christi vocat, ubi non sola útique generátio, sed tota prorsus ipsíus mystérii dispensátio continétur? Quia totíus scílicet dispensatiónis caput, radix atque princípium ómnium nobis in hoc consístit bonórum. Ut enim Móyses librum coeli appellávit, ac terrae, cum certe non de coelo solum terráque loquerétur, sed de cunctis quae inter ista subsístunt; ita étiam Evange-

lista ab ipso ómnium fonte et cápite bonórum librum vocávit.

Lectio VIII.

Qua vero de cáusa non eum ante filium Abrahae, et póstea filium David nuncupàvit? Non, sicut opinàntur áliqui, ab inferióribus volens ad superióra conscéndere. Céterum fecísset, quod fecit et Lucas; nunc áutem e contrário facit. Cur ergo commemorávit, priórem David? Quia ipse procul dúbio in ómnium versabátur ore, ob insígne honóris, et glóriae, ob ipsíus quoque témporis spátia junctióra. Etsi enim utríque promíserat Deus, sed tamen illud quasi antíquum reticebátur, hoc vero, quasi novum et recens, ab ómnibus celebrabátur.

Lectio IX.

Ipsi namque Judaei dicunt: nonne ex sémine David, et Béthlehem castéllo, unde erat David, venit Christus? Nemo ígitur illum filium Abrahae; sed omnes filium David nominábant; qui étiam honorabilióres quosque de sanctitáte reges, qui post David fuísse referúntur, ab illo omnes vocábant. Nec ipsi solum; verum étiam Deus; nam et Ezéchiel, et álii Prophétae dicunt, David surrectúrum esse eis, atque ventúrum: non de illo útique mórtuo jam loquéntes, sed de iis, qui illíus virtútem erant imitatúri. Proptérea ígitur a notióre ínterim, et celebratióre persóna sumit exòrdium: et tum demum ad antiquiórem recúrrit paréntem.

MENSIBUS NOVEMBRI, ET DECEMBRI.

Ut in die octava XV. Decembris. pag. 32.

COMMEMORATIONES

COMMUNES

SIVE

SUFFRAGIA SANCTORUM

PRO DIOECESI FLORENTINA

De Cruce.

In feriali tantum Officio.
Ad Vesperas, et ad Laudes.

Ant. Per signum Crucis de inimícis nostris líbera nos, Deus noster.

℣. Omnis terra adóret te, et psallat tibi.

℟. Psalmum dicat nómini tuo, Dómine.

ORATIO.

Perpétua nos, quaesumus Dómine, pace custódi, quos per lignum sanctae Crucis redímere dignatus es.

De S. Maria.

Quando non dicitur ejus Officium parvum.

Notandum quod haec commemoratio in Metropolitana et in omnibus Ecclesiis sub tit. B. V. M. facienda est etiam quando dicitur Officium parvum ejusd. B. V. M. quia tunc agitur tamquam de Titulari. Ita decrevit S. R. C. die 23. *Aprilis* 1695. *in Fossanen. et die* 11. *Augusti* 1691. *in Romana.*

AD VESP. ET AD LAUD.

Ant. Sancta María succúrre míseris, juva pusillánimes, réfove flébiles, ora pro pópulo, intérveni pro clero, intercéde pro devóto foemíneo sexu: séntiant omnes tuum juvámen, quicúmque célebrant tuam sanctam commemoratiónem.

℣. Ora pro nobis sancta Dei Génitrix.

℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

ORATIO

Concéde nos fámulos tuos, quaesumus Dómine Deus, perpétua mentis et córporis sanitate gaudére, et gloriósa beátae Maríae semper Vírginis intercessióne a praesénti liberári tristítia, et aetérna pérfrui laetítia.

Ab octava Epiph. usque ad Purif. dic.

℣. Post partum Virgo inviolúta permansísti.

℟. Dei Génitrix intercéde pro nobis.

ORATIO.

Deus, qui salútis aetérnae, beátae Maríae virginitáte foecúnda humáno géneri praemia praestitísti: tríbue, quaesumus, ut ipsam pro nobis intercédere sentiámus, per quam merúimus auctórem vitae suscípere Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum.

De S. Joanne Baptista

Civitatis Patrono.

AD VESPERAS.

Ant. Puer, qui natus est nobis, plusquam prophéta est: hic est enim, de quo Salvátor ait: Inter natos mulíerum non surréxit major Joánne Baptísta.

℣. Iste puer magnus coram Dómino.

℟. Nam et manus ejus cum ipso est.

ORATIO.

Deus, qui praeséntem diem honorábilem nobis in beáti Joánnis commemoratióne fecísti, da pópulis tuis spirituálium gratiam gaudiórum, et ómnium fidélium mentes dírige in viam salútis aetérnae.

AD LAUDES

Ant. Apértum est os Zacharíae, et prophetávit, dicens: Benedíctus Deus Israel.

℣. Iste puer magnus coram Dómino.

℟. Nam et manus ejus cum ipso est.

Oratio. Deus, qui etc. *ut supr. in Vesp.*

Haec com. omittitur in Laudib. Vig. S. Joann. Baptistae, cum de eo fiat commem. in orat. Officii.

De S. Joseph.

Totius Dominii Florentini Patrono.

AD VESPERAS.

Ant. Ecce fidélis servus et prudens, quem constítuit Dóminus super famíliam suam.

℣. Glória et divítiae in domo ejus.

℟. Et justítia ejus manet in saeculum saeculi.

OARTIO.

Sanctíssimae Genitrícis tuae Sponsi, quaesumus Dómine, méritis adjuvémur; ut quod possibílitas nostra non óbtinet, ejus nobis intercessióne donétur.

AD LAUDES.

Ant. Ipse Jesus erat incípiens, quasi annórum trigínta, ut putabátur fílius Joseph.

℣. Os justi meditábitur sapiéntiam.

℟. Et lingua ejus loquétur judícium.

Oratio. Sanctíssimae Genitrícis etc. *ut supr. in Vesp.*

De Apostolis.

AD VESPERAS.

Ant. Petrus Apóstolus, et Páulus doctor Géntium, ipsi nos docuérunt legem tuam, Dómine.

℣. Constítues eos príncipes super omnem terram.

℟. Mémores erunt nóminis tui, Dómine.

ORATIO.

Deus, cujus déxtera beátum Petrum ambulántem in flúctibus, ne mergerétur, eréxit: et coapóstolum ejus Páulum tértio naufragántem de profúndo pélagi liberávit: exáudi nos propítius, et concéde, et ambórum méritis aeternitátis glóriam consequámur.

AD LAUDES.

Ant. Glorióśi príncipes terrae, quómodo in vita sua dilexérunt se, ita et in morte non sunt separáti.

℣. In omnem terram exívit sonus eórum.

℟. Et in fines orbis terrae verba eórum.

Oratio. Deus, cujus etc. *ut supr. in Vesp.*

De S. Zenobio

Dioecesis Patrono

AD VESPERAS

Ant. Hic est fratrum amátor, et pópuli; hic est qui multum orat pro pópulo, et pro univérsa Civitáte sua.

℣. Sapiéntiam ejus enarrábunt gentes.

℟. Et láudem ejus enuntiábit Ecclésia.

ORATIO.

Deus qui beátum Zenóbium Confessórem tuum atque Pontíficem praedicatiónis grátia, virtútum et miraculórum glória sublimásti; da fámulis tuis, quae dócuit, intelléctu conspícere, et quae egit imitatióne complére.

AD LAUDES.

Ant. Ossa illíus visitáta sunt, et post mortem prophetavérunt.

℣. Sapiéntiam ejus enarrábunt gentes.

℟. Et láudem ejus enuntiábit Ecclésia.

Oratio. Deus qui beátum Zenóbium etc. *ut supra in Vesperis.*

De S. Antonino

Dioecesis Compatrono.

AD VESPERAS

Ant. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum: stolam glóriae índuit eum, et ad portas paradísi coronávit eum.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas.

℟. Et osténdit illi regnum Dei.

ORATIO.

Sancti Antoníni, Dómine, Confessóris tui atque Pontíficis méritis adjuvémur: ut sicut te in illo mirábilem praedicámus, ita in nos misericórdem fuisse gloriémur.

AD LAUDES

Ant. Euge serve bone, et fidélis, quia in páuca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, dicit Dóminus.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas.

℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Oratio. Sancti Antoníni etc.

De S. Reparata

Ecclesiae Metropolitanae Contitulari, in ipsa tantum Metropolitana.

AD VESPERAS.

Ant. Veni sponsa Christi, áccipe corónam, quam tibi Dóminus praeparávit in aetérnum.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis.

℟. Proptérea benedíxit te Deus in aetérnum.

ORATIO.

Deus, qui inter caetera poténtiae tuae mirácula étiam in sexu frágili victóriam martyrii contulísti: concéde propítius, ut qui beátae Reparátae Vírginis et Mártyris tuae commemoratiónem cólimus, per ejus ad te exémpla gradiámur.

AD LAUDES

Ant. Símile est regnum caelórum hómini negotiatóri quaerénti bonas margarítas, invénta una pretiósa dedit ómnia sua, et comparávit eam.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis.

℟. Proptérea.

Oratio. Deus qui inter coetera etc. *ut supr. in Vesp.*

Vel sequens pro variatione.

ORATIO.

Indulgéntiam nobis, quaesumus Dómine, beáta Reparáta Virgo et Martyr implóret: quae tibi grata semper éxtitit, et mérito castitátis, et tuae professióne virtútis.

PRO PATRONO

Vel Titulari propriae Ecclesiae, vel Capellae fiant commemorationes consuetae, ante, vel post commemorationes praedictas, pro dignitate illius, et ultimo loco de Pace.

DE PACE

AD VESP. ET AD LAUD.

Ant. Da pacem, Dómine, in diébus nostris, quia non est álius qui pugnet pro nobis. nisi tu, Deus noster.

℣. Fiat pax in virtúte tua.

℟. Et abundántia in túrribus tuis.

ORATIO.

Deus, a quo sancta desidéria, recta consília, et justa sunt ópera; da servis tuis illam, quam mundus dare non potest, pacem; ut et corda nostra mandátis tuis dédita, et hóstium subláta formídine, témpora sint tua protectióne tranquílla. Per Dóminum.

FINIS

INDEX
OFFICIORUM

NOVEMBER

Die 27. B. Leonardi a Portu Maurit. C. dup. . Pag. 3

DECEMBER

Die 4. S. Bernardi Card. Ep. C. Flor. dup. . . . 5
Die 5. S. Petri Chrysolog. Ep. C. D. dup. . . . 7
Die 8. Immac. Concept. B. M. V. dup. 2. cl. cum oct. 11
Die 9. secunda infr. oct. SS. Concept. sem. . . . 18
Die 10. Translat. Almae Domus Lauret. dup. maj. 20
Die 11. S. Damasi Pp. C. dup. 28
Die 12. B. Joannis Dominici Ep. Card. C. Flor. . *ibid.*
Die 14. S. Barbarae V. M. dup. 30
Die 15. Octava Immac. Concept. B. M. V. dup. . 32
Die 16. S. Eusebii Ep. m. sem. 34
Die 18. Expect. Partus B. M. V. dup. maj. . . . 36

JANUARIUS

Dom. 2. post Epiph. SS. Nominis Jesu dup. 2. cl. 45
Die 14. S. Hilarii Ep. C. D. dup. 54
Die 23. Desponsat. B. M. V. cum S. Joseph dup. maj. 56
Die 26. Translat. S. Zenobii Ep. C. Flor. dup. . 62
Die 28. S. Titi Ep. C. dup. 64

FEBRUARIUS

Die 1. S. Verdianae V. Flor. dup. 67
Die 2. Purific. B. M. V. in Metr. dup. 1. cl. extra
2. cl. et ubique cum octava. 69
Die 3. S. Blasii Ep. M. sem. . . . . *ibid.*
Die 6. Quinta infr. oct. Purif. B. M. V. sem. . . *ibid.*

Die 8. S. Petri Ignei Card. Ep. C. Flor. dup. . Pag. 72
Die 9. Octava Purific. B. M. V. dup. 74
Die 10. S. Scolasticae V. dup. 76
Die 11. BB. Septem Fundat. O. Servor. B. M. V. dup. 2. cl. 78
Die 12. S. Joannis de Matha C. dup. 87
Die 13. S. Catharinae de Riccis V. Flor. dup. . . *ibid.*
Die 14. S. Raymundi de Pennaf. C. sem. . . . 88
Die 15. S. Polycarpi Ep. M. dup. 89
Die 16. S. Ignatii Ep. M. dup. . . . . *ibid.*
Die 17. B. Alexii Falcon. C. Flor. . . . . . *ibid.*
Die 18. B. Juliae a Certaldo V. dup. 92
Die 23. S. Margaritae de Corton. dup. 93
Die 25. S. Petri Damiani Card. Ep. C. D. dup. . 97
Die 26. S. Andreae Ep. C. Flor. dup. maj. . . . 99
Die 28. B. Antoniae vid. Flor. dup. . . . . . *ibid.*

MARTIUS

Fer. iij. post Dom. Sept. Com. Orat. D. N. in M. Oliv. dup. maj. 101
Fer. iij. post Dom. Sexag. Com. Passion. D. N. J. Chr. dup. maj. 114
Fer. vj. post Cineres, Com. SS. Spineae Coron. D. dup. maj. 132
Fer. vj. post Dom. 1. Quadr. SS. Lanceae et Clavor D. dup. maj. 144
Fer. vj. post Dom. 2. Quadr. Com. SS. Sindonis D. N. dup. maj. 157
Fer. vj. post Dom. 3. Quadr. SS. V. Vulnerum D. N. dup. maj. 170
Fer. vj. post Dom. 4. Quadr. Praetiosiss. Sang. D. N. dup. maj. 184
Fer. vj. post Dom. Pass. Fest. VII. Dolor. B. M. V. dup. maj. 200
Die 1. B. Villanae de Bott. vid. Flor. dup. . . . 214
Die 2. Translat. S. Antonini Archiep. Flor. dup. . 217
Die 8. S. Joannis de Deo C. dup. . . . . *ibid.*
Die 11. S. Catharinae V. de Bonon. dup. . . . 220
Die 14. Fest. B. M. V. de Succurs. dup. maj. . . 222
Die 16. B. Torelli C. dup. 225
Die 18. S. Gabrielis Arch. dup. 226

Die 19. S. Joseph C. Sp. B. M. V. Etrur. Patron. dup. 1. cl. . . . . Pag. 235
Die 20. B. Hippolyti Galant. C. Flor. dup. . . . 243
Die 25. In Metr. Dedicat. Eccles. dup. 1. cl. . . 246
Die 26. In Metr. Annuntiat. B. M. V. dup. 2. cl. extra Dedicat. Eccl. Metrop. dup. . . . . . . *ibid.*

APRILIS

Die 1. Impress. SS. Stigmat. in Corp. S. Catharinae Senens. V. dup. . . . . *ibid.*
Die 4. S. Isidori Ep. C. D. dup. 247
Die 9. B. Ubaldi de Adim. C. Flor. dup. 251
Die 19. S. Crescentii C. Flor. dup. maj. 253
Die 20. S. Agnetis de Monte Polit. v. dup. . . . 254
Die 24. S. Fidelis a Sigmar. Prothom. de Propag. dup. 256
Die 26. Fest. Apparit. Imag. B. M. V. de Bono Consilio dup. maj. 268
Die 27. SS. Cleti et Marcellini PP. mm. sem. . . 275

MAJUS

Dom. iij. post Pasch. Fest. Patrocinii S. Joseph C. Sp. B. M. V. dup. 2. cl. 275
Dom. j. Maii Fest. B. M. V. Div. Past. Matr. dup. maj. 283
Die 2. S. Antonini Archiep. Flor. Compatr. dup. 2. cl. 290
Die 5. S. Pii V. Pp. C. dup. . . . . *ibid.*
Die 10. B. Nicolai Alberg. Ep. C. dup. 292
Die 11. B. Joannis a Vespinian. C. dup. 294
Die 13. S. Athanasii Ep. C. D. dup. 298
Die 14. B. Gherardi a Villam. C. dup. . . . . *ibid.*
Die 15. S. Peregrini Lat. C. dup. 301
Die 16. S. Joannis Nepom. m. dup. 303
Die 17. S. Paschalis Bayl. C. dup. 306
Die 19. B. Humilianae de Cerch. Vid. Fl. dup. . 308
Die 20. S. Guidi de Gherard. C. dup. 310
Die 21. S. Felicis de Cantal. C. sem 313
Die 22. S. Humilitatis Abb. vid. dup 316
Die 23. S. Petri Coelest. Pp. C. dup. 318
Die 24. Fest. B. M. V. sub. tit. Auxil. Christ. dup. maj . . . . *ibid.*

Die 25. S. Zenobii Ep. Flor. totius Dioecesis Patroni principal. dup. 1. cl. cum oct 325
Die 26. S. Philippi Nerii C. Flor. dup. 2. cl. . . 335
Die 27. S. M. Magd. de Paz. v. Flor. dup. 2. cl . ibid.
Die 28. S. Podii Ep. Flor. C. dup. maj. . . . . ibid.
Die 29. S. Gregorii Pp. VII. C. dup. . . . . . . ibid.
Die 30. S. Bernardini Senens. C. sem 338
Die 31. Translat. S. M. Magd. de Paz. v. Flor. sem. ibid.

JUNIUS

Fer. vj. post Oct. SS. Corp. Chr. Fest. SS. Cordis Jesu dup. maj . . . . ibid.
Dom. iij. post Pent. Fest. SS. Cordis B. M. V. dup. maj. 347
Die 1. Junii Octava S. Zenobii Ep. Flor. dup . . 354
Die 2. B. M. Bartholom. de Bagn. v. Flor. dup. maj. 357
Die 3. S. Ubaldi Ep. C. sem 359
Die 4. S. Francisci Caracc. C. dup . . . . ibid.
Die 12. S. Joannis a S. Fac. C. dup 361
Die 17. S. Raynerii C. dup. 363
Die 18. B. Petri de Pisis C. dup 368
Die 19. S. Julianae de Falcon. v. Flor. dup. 2. cl. 369
Die 20. B. Benincasae C. Flor. dup 372
Die 21. S. Aloysii Gonz. C. dup 374
Die 25. S. Gulielmi Abb. dup 377

JULIUS

Dom. j. Julii Fest. praetioss. Sanguinis. D. N. J. Chr. dup. 2. cl. 379
Dom. iij. Julii Fest. SS. Redemptoris dup. 2. cl. . ibid.
Die 3. S. Irenaei Ep. m. dup 394
Die 7. S. Romuli Ep. m. dup 399
Die 9. S. Veronicae de Julian. v. dup 401
Die 11. B. Angeli Augustini Mazz. C. Flor. dup. . 403
Die 12. S. Joannis Gualberti Ab. C. Flor. dup. 2. cl. 405
Die 16. B. M. V. de Monte Carmelo dup. maj . . ibid.
Die 18. S. Camilli de Lell. C. dup 408
Die 19. S. Vincentii a Paulo C. dup. 412
Die 20. S. Hieronymi Aemil. C. dup. 414
Die 21. S. Eliae Prophetae dup 418
Die 24. S. Christinae v. m. dup 427
Die 30. SS. Abdon et Sennen mm. dup. 429

AUGUSTUS

Die 2. S. Stephani Pp. m. dup. . . . . . . Pag. 431
Die 9. B. Joannis a Salerno C. dup. 433
Die 11. S. Philumenae v. m. dup. 435
Die 14. S. Alphonsi Mariae de Lig. Ep. C. dup. . 436
Die 16. S. Rochi C. dup. 439
Die 20. Sexta infr. oct. Assumpt. B. M. V. sem. . 441
Die 21. Septima infra oct. Ass. B. M. V. sem . . 445
Die 23. S. Philippi Benit. C. Flor. dup. 2. cl. . . 447
Die 26. S. Hyacinthi C. dup. 448
Die 27. S. Josephi Calas. C. . . . . ibid.
Die 30. S. Rosae a S. Maria V. Lim. dup. . . . 451

SEPTEMBER

Dom. proxim. Kal. Sept. vel post. Fest. S. Augustini Ep. C. Fest. B. M. V. de Consolat. dup. maj. 452
Dom. iij. Fest. VII. Dolor. B. M. V. dup. 2. cl. com. oct. 458
Dom. jv. Oct. VII. Dolor. B. M. V. dup 474
Die 1. S. Bernardi Conf. et D. dup. 476
Die 2. S. Justi Ep. Lugd. C. dup. 478
Die 3. S. Joannae Franciscae Frem. de Chant. dup. ibid.
Die 4. S. Rosae Viterb. v. dup 480
Die 6. S. Stephani Reg. C. sem 482
Die 7. B. Joannae Soderin. v. Flor. dup . . . . . ibid.
Die 18. S. Josephi a Cupert. C. dup. 484
Die 22. B. Mariae de Cervell. v. dup 490
Die 23. S. Lini Pp. m. dup. 492

OCTOBER

Dom. j. Solemnit. SS. Rosarii B. M. V. dup. maj . 492
Dom. ij. Fest. Maternitatis B. M. V. dup. maj . . 495
Dom. iij. Fest. Puritat. B. M. V. dup. maj. . . . 502
Die 1. S. Emidii Ep. m. dup 508
Die 8. S. Reparatae v. m. *in Metr.* dup. 1. cl. cum. Oct. *extr.* dup 511
Die 11. S. Birgittae vid. dup . . . . ibid.
Die 12. jv. infr. oct. S. Reparatae v. m. sem. . . ibid.
Die 14. S. Callisti Pp. m. dup. 514
Die 15. Oct. S. Reparatae v. m. dup 515

Die 16. S. Theresiae v. dup. 517
Die 20. S. Joannis Cantii C. dup. 518
Die 21. SS. Ursulae etc. vv. mm. dup 521
Die 24. S. Raphaelis Archang. dup . . . . *ibid.*
Die 25. S. Miniatis m. Flor. dup. 530
Die 26. Translat. S. Andreae Cors. Ep. Fesul. C. Fl. sem 531
Die 27. SS. Crescii etc. mm. Flor. dup . . . . . *ibid.*
Die 31. B. Thomae Bellac. C. Flor. dup . . . . *ibid.*

NOVEMBER

Dom. iij. Fest. Patroc. B. M. V. dup. maj. . . . 533
Die 4. S. Caroli Ep. C. dup. maj . . . . *ibid.*
Die 9. Dedic. Basilic. SS. Salvatoris dup . . . . *ibid.*
Die 10 S. Andreae Avell. C. dup. 534
Die 13. S. Stanislai Kotstk. C. dup. 536
Die 14. B. Joannae de Signia V. dup 539
Die 15. S. Gertrudis v. dup. 542
Die 16. S. Didaci C. sem. 544
Die 17. S. Eugenii C. Flor. dup. maj . . . . . . *ibid.*
Die 18. Dedicat. Basilic. SS. Ap. Petri et Pauli dup. *ibid.*
Die 24. S. Joannis a Cruce C. dup 545
Die 26. S. Gregorii Thaumat. Ep. C. sem 548
Officium de SS. Corpore Christi 549
Officium Immaculatae Conceptionis B. M. V . . . 551
Suffragia Sanctorum 563
Index Officiorum. 569

